P.g.b.

A.D.g.1.

R41360

B. 8/8

Viro Spectatissimo
Alexandro ... Coll: Reg: Med: Edin: ...
Socio d.d.
Auctor

Petropoli
12mo Octobris
1818

# PHARMACOPOEIA

## CASTRENSIS

## RUTHENICA

AUCTORE

*Jacobo Wylie Equite Baronetto*

S. M. Consiliario Status actuali; Ordd. Imp. St. Annæ I cl., St. Wladimiri II cl. magnæ crucis Equite; Austr. Cæsareo-Regii St. Leopoldi II cl.; Regiorum. Boruss. Aquilæ rubræ II cl.; Bavar. et Würtemberg. Commendatore; Franco-gallici: legionis honorariæ officiali; Doctore Medicinæ et Chirurgiæ; S. M. I. Archiatro; supremo Rei medico-chirurgicæ castrensis Inspectore; Curiæ medicæ sub Administr. milita Directore; Imp. medico-chirurg. Academiæ Præside; Academiæ Scient., Consil. med. sub Administr. Rei Eccles. liter. et Polit. variarumque erud. Societat. membro.

BIBLIOTH. COLL. REG. MED. EDIN.

Editio tertia auctior.

*Jussu* Augusti Imperatoris.

PETROPOLI

IN TYPOGRAPHIA MEDICA.

MDCCCXVIII.

[illegible]

SERENISSIMO et POTENTISSIMO

PRINCIPI ac DOMINO

# ALEXANDRO I

AUGUSTO OMNIUM RUSSIARUM IMPERATORI,

POLONIÆ REGI

etc. etc. etc.

RECTI JUSTIQUE CULTORI;

GENERIS HUMANI AMICO;

MAGNANIMO EUROPÆ PACIFICATORI;

SCIENTIARUM et ARTIUM PROMOTORI,

HANC CASTRENSEM PHARMACOPOEIAM

JUSSU EJUS EDITAM

EA, QUA PAR EST, DEVOTIONE ANIMIQUE SUBMISSIONE

D. D. D.

SUBDITISSIMUS AUCTOR.

# PRAEFATIO.

Poſito politicis turbinibus, quibus orbis terraqueus per vicennium et quod excurrit, concuſsus est, fine, (quum videlicet victorioſus præpotentis Rutheniæ exercitus, porrectis ultro afflictis jacentibusque gentibus, dextris, effeciſset, ut aut Reges earumdem in avita jura postliminio reciperentur, aut extorres patriam reviſerent cives,) tandem et mihi, jam e bello (cui quinquies interfui, semper, et itineris comes, et salutis custos Augusti, vel in ipso dimicantium campo,) Ruthenicæ genti, ubique victrici glorioſisſimo, reduci, fidem (in præfamine editioni secundæ præfixo,) datam, solvere licuit, atque de adornanda Pharmacopœæ castrensis tertia editione cogitare; quid vero in ea, sive consilii exstiterit, sive præstitum fuerit, destinatum est in animo paucis declarare: desiderabantur, quum in exercitu, tum etiam in tabernis, instructioribus licet, librariis, exemplaria priorum editionum; perſæpe autem a Medentibus expetebantur; si quæ autem superfuerunt, ea me absente, inscio et proinde invito, lucri cauſa, typis exscripta fuere, infinitis fere, vel correctorum, vel typothetarum incuria, mendis scatentia, quo factum est, ut summa elaborandi operis neceſsitas urserit, cui tanto alacrius subsecivas consecravi horas, quod me non fugerit, in exercitu etiam a quibusdam legionariis deſiderari. Pharmacopœa hæc in du-

as diducitur partes, Pharmacologia fusius concinnata, Pharmacopœæ proprie dictæ, præmissa est. Mirum videbitur plerisque hoc consilium meum; sed qui rationem habuerit vastissimæ Rutheniæ, dominatricis terrarum facile omnium, per 40 gr. lat. et 190 long. patentium, et norit desiderari bibliopolia, præsertim in remotis a Metropoli provinciis, perfacile palmam ei dabit, me proinde rem opera pretioque haud indignam esse facturum duxi, si hunc defectum, hanc lacunam, explerem elucubratione pharmacologici Enchiridii, quo compendiaria quædam via ostenderetur, qua Medico-chirurgi castrenses, queis, nec per rem familiarem, nec locorum opportunitatem, idem adsequi licet, in exercitio Medicinæ, inoffenso possint pede decurrere. Rem medicinam, rationali empyria nixam, ea, qua par est, simplicitate, exposui, alieno a philosophia naturæ animo, quæ speciosis ingenii argutiis novorumque et obscurorum verborum præstigiis, tantum abest, ut ei prosit, ut potius falsas obtrudendo hypotheses, consectaria errorum plena, in eandem inferat, et Medentium existimationi, et ægrotorum saluti, nocitura. Quum *facultates medicaminum*, ut Hippocrates dicit, *non fingendo, aut excogitando; sed vires, quas in corpus nostrum habent exercentque, inveniendo, perpendere oporteat*, hinc eas tantum exponendas duxi, quæ gravium auctorum testimoniis atque auctoritatibus (multiplici experientia) comprobatæ sunt, persuasum mihi habens, me non aliter,

aliorum opinioni satisfacere posse. Auctores, ad quos provocavi, ubique expositi sunt, ut lectores, fontes saltem quospiam, e quibus animum ad satietatem explere valeant, indicatos, conspiciant. Britannorum in primis rationem habui, ut eorumdem medendi rationem Ruthenis familiarem redderem. Quædam, ut Punicam Granatum etc., in priori editione pertractata, consulto omisi, quippe quæ, ut experiundo didicimus, laudibus sibi adstructis, neutiquam respondere; si quæ vero minus digna, ut Alysma Plantago (antilyssa virtute, ut experientia jam docuit, minus pollens,) addidimus, vel nonnulla cursim ac breviter attigimus, ea persuasioni tantum aliorum morem gesturi, recepimus. *Aquas medicatas Russicas*, quarum mihi analysis chemica innotuit, ea, qua par est, brevitate descripsi; habui etiam rationem *exoticarum*. Exactiorem et harum et illarum analysin, in tabulis exposui. In elaborando hocce opere quædam e propria etiam observationum penu admensus sum, haud secus ac consilio etiam quorumdam amicorum usus; sed nomina eorum proferre, si liceret et jucundissimum mihi foret et honestissimum; verum eos eo esse pudore intellexi, ut utilitati publicæ silentio, quam suæ famæ palam consulere mallent. Quidquid igitur in editione hac profeci, profecisse me plurimum hoc adjutorio lubens agnosco; neque enim tanto, inter continua avocamenta, conatui ullo modo, nisi his alienisque opibus undique collatis confisum, parem es-

se potuisse, profiteor. Arguar forsitan, quod *medicaminum* farraginem castrensibus Medico-chirurgis proposuerim; sed tales sciant me prolixitate hac parsimoniæ studuisse, scilicet, ut Medentes, quum in australioribus imperii oris morari eos contigerit, ea e multis, ibi in usum traherent, quæ, pro ratione cœli, illic indigena sunt, parvoque constant, et vice versa. Ad calcem operis indicem addidi, tum morborum, tum *medicaminum*, ut series materiei pertractatæ uberius elucescat, uno velut obtutu, videnda. Restabunt forte errores, qui correctorum oculos fugerint, quosve, aut nostra prætermisit incuria, aut humana parum cavit natura, eos, ut æqui talium rerum judices ignoscant, obnixe oro, sin minus, animadversiones eorum, nec ægre feram, nec timide defugiam; neque enim adeo mihi placeo, ut ea, quæ publici juris facio, omnibus numeris absoluta esse mihi persuadeam. Nihil præterea, quod heic addam, superest, nisi, ut quo castrensium Medico-chirurgorum rebus consulere volui, conatum boni consulant meum, hic solus et fuit et est scopus et unicus exantlatorum laborum finis, ut ex iis et Medentes et ægri fructum capere queant, et ut, auspice Deo, si largior mihi vitæ hujus usura fuerit concessa, alia quoque in usus eorum moliar. Interea liceat lectorum humanitatem et eruditionem verbis Horatii ad Numidicum deposcere: — *Si quid novisti rectius istis,*

*Candidus imperti: si non, his utere mecum.*

# M O N I T A.

Loca natalia *plantarum* respiciunt regionem, clima, solum et terram. Solum *vegetabilium* notandum est; constat enim *aromaticas*, *amaras odoriferas*que *plantas*, e siccis eminentibusque locis, radiisque solaribus expositis, legendas esse; ita VALERIANÆ OFFICINALIS varietas: foliis angustioribus (*Valeriana sylv.* BLACKII *Herb.*) in siccioribus crescens, *radice* gaudet efficaciori et gravius olente, quam illa *vulgaris*, in humidis, paludosis, occurrens, quæ monticolæ merito postponitur. POLYGALA AMARA ex locis montosis in depressa descendens, omni amaritie destituitur. *Sylvestres plantae domesticis* præferendæ, ita CICHORIUM INTYBUS, DAUCUS CAROTA, CONIUM MACULATUM *), et DIGITALIS PURPUREÆ in hortis cultæ manipulus, vix æquiparabilis est efficacia drachmæ in loco natali collectæ *herbae* **;) excipiendæ tamen *plantae*, quas experiundo didicimus, plus odoris efficaciæque cultura mutuari, ut id in plerisque VERTICILLATIS et COMPOSITIS LINNÆI***) observare licet, puta de MENTHA, SALVIA OFF., ANTHEMIDE NOBILI aliisque, ubi horticulturæ fundamentum dependet a loco *plantarum*, unde canones et principia artis formanda. Recentium *plantarum* partes aridis exhaustisque præponendæ; quod inprimis de his intelligendum, quarum activa prin-

---

*) Umbellatæ in siccis, aromaticæ, calefacientes et pellentes (Angelica, Pimpinella, Daucus;) in aquosis autem venenatæ sunt, ut Cicuta, Phellandrium, Apium palustre, quod cultura penitus mutatur.

**) Memorabile exemplum narrat Boërhaavius, de studioso, qui venenatissimas plantas in horto academico Lugduni Batavorum cultas: Atropam Belladonnam, Daturam Stramonium, Conium maculatum, citra ullum incommodum devoravit, ab unico Hyoscyamo nigro, extra horti sepimenta crescente, vehementibus convulsionibus correptus, pœnam fere suæ petulantiæ tulit.

***) Verticillatæ sunt fragrantes, nervinæ, resolventes et pellentes. Folia virtute pollent. Fragrantissimæ: Marum, Dictamnus, Sātureja, Origanum, Majorana, Ocymum, Pulegium, Melissa, Lavandula, Rosmarinus. Syngenesia compositorum in Medicina receptissima communiter amara est: M. Chamomilla, A. Cotula, Tanacetum, Centaurea benedicta, A. Absinthium etc.

cipia constant e *saponaceis* partibus, ut in ASPERIFOLIIS, *) vel cum *amaris* coalescunt, ut in CICHORIO INTYBO, LEONTODONTE TARAXACO etc. Huc spectant cumprimis CRUCIFERÆ *Juss.*, SILIQUOSÆ *Lin.*,**.) ut est SISYMBRIUM NASTURTIUM, COCHLEARIA ARMORACIA etc. Colligi eas opportet cœlo sudo et sereno, tellure videlicet, sole jam orto, neutiquam rorescente. *Radices* annuarum *plantarum* legendæ sunt accedente efflorescentia proxime; biennes vero et perennes, altero anno, primo vere, rarius autumno. *Ligna* colligenda tempore hyemali, vel ineunte vere. *Stipites* (*ramuli arborum*) colligendi tempore vernali, dum folia incipiunt erumpere. *Turiones* sunt novelli caules, vel rami, qui nondum *folia* protulere, colligendi antequam indurescant. *Gemmae* sunt *foliorum* et *florum* rudimenta, primo vere, decerpenda. *Cortices* tempore vernali desumendi, dum facillime a *ligno* secedunt, aut hyeme. *Herbae* (*caudices* adscendentes) colligendæ quando incipiunt florere ***). *Folia* legenda, postquam defloruit, sed antequam *semina* maturavit, planta. *Flores* colligendi, quam primum dehiscere incipiunt, ante casum pollinis antherarum. *Antherae* colligendæ, antequam pollinem dimittant. *Fructus* legendi, dum pericarpia sponte sese aperire incipiant. *Baccae*, nisi maturæ, non avellantur. *Semina* colligenda, dum sponte a planta secedant, vel ubi pericarpia aridiora maturescentia, jam sese explicare incipiant. Tempus a frondescentia *arborum*, excepto Syrio, ad earum defoliationem, ab hora 7 matutina ad horam 7 vespertinam. At sedulo enitendum, ut *herbae*, seu *caudices* adscendentes et *folia* colligantur sereno die, neque irrorata, neque calore flaccida, aut arida, vel decolorata. Ubi odoraria sunt, odore gaudeant sibi proprio. *Folia plantarum* mucosarum le-

*) Asperifoliæ magis minusque oleraceæ, mucilaginosæ et glutinosæ sunt, Anchusa, Borrago, Symphytum etc.

**) Siliquosæ aquosæ, acres, incidentes, abstergentes et diureticæ sunt; exsiccatione imminuitur virtus.

***) Venenatissimæ et efficacissimæ herbæ, sæpe in prima ætate et ante efflorescentiam infirmæ sunt. Aconiti Napelli tenella herba in alpinis regionibus a capris impune depascitur.

gantur juniora, succulenta. Indigenæ *herbae* quotannis colligendæ, præsertim odoriferæ. Locus siccus sapidiores, succulentus et umbrosus insipidas magis, aquosus sæpius corrosivas reddit; itaque in eadem specie, prior præferendus. *Fructus horaei* in humidis et umbrosis austeriores, in siccis et soli expositis dulciores evadunt. *Radices* sicut et *herbae* tempore et æstate sicca collectæ, præstantiores sunt et diutius incorruptæ servantur. Etiam non quovis anni tempore, eadem pollent virtute. Primo vere *radix Leontodontos Taraxaci* amaricat cum *salino* principio, *extractum* inde paratum nauseam, vel etiam vomitum excitare valet, autumno sapor ejusdem fit dulcis; *extractum syrupo* de *Saccharo* non dissimile, unde fit, quod sæpe *radices*, accedente efflorescentia penitus inefficaces deveniant; vel tamen mutationem aliquam subeant. *Herbae narcoticae*, dementantes, ut Aconitum, Atropa, Hyoscyamus, eo sunt efficaciores, quo propiores tempori florescentiæ. Versus autumnum, ex elaboratis *succis*, e biennibus et perennibus *plantis*, multum valent potissimum *radices*, hoc tempore collectæ, diutius servantur, licet in regionibus borealibus ægrius siccentur. *Cortices arborum* resinosarum melius vere, fruticum autumno, a tenuioribus ramis, deglubendi. *Ligna* hyeme, vel vere ab *alburno*, liberanda. *Flores* minores, ut in Achillea, Artemisia, cum inflorescentia colligendi; *flores* majores desumuntur efflorescentiæ tempore, absque calyce et pistillo, sola corolla servata, exceptis *aromaticis* et classis Didynamiæ Gymnospermiæ, quorum medicamentosa virtus in calycibus continetur. *Semina* succulenta atque *oleo* abundantia, debent esse recentia, nequaquam rancida et bene nutrita; farinacea autem arida, integra, ponderosa, nec *corticem* habere levem, fragilem, perfacile divisibilem. Continentia *volatile oleum* sint recentia, plena; insipida vero et inodora, vacua rejicienda, nec non *aquae* supernatantia, ope vibrationis et agitationis, fatua, a ponderosis, facile separanda.

## Exsiccatio et conservatio vegetabilium partium.

*Radices lignosae*, antequam exsiccentur, lignea parte privandæ, quæve crassæ, succulentæ, fibris epidermide aliisque alienis particulis, intra *aquam* purgandæ, conscindendæ in segmenta, vel taleolos, in umbra, aut leni calore, siccandæ, servandæ, vel in vitreis vasis, vel in cistis bene clausis. *Cortices* et *ligna* sint mediæ ætatis, aut findenda, aut radenda. *Herbae* et *flores*, vel hypocausti, vel communis furni torrefactorii calore, quo citius, eo melius, siccentur, quantitate et caloris gradu, quo id perfacile fieri queat; nam ita vires earundem aptissime servantur, cujus indicium est color nativus, quam perfectissime constans. In quibusdam *floribus* is conservatur optime, si ante solis ortum collecti fuerint, ut in Verbasco Thapso, vel, si ad laminam ferream, carboni candenti, impositam, corollæ subito exsiccentur. Exsiccatione cum in omnibus siliquosis: Sisymbrio, Cochlearia etc., tum in iis subtili materia volatili refertis, virtus imminuatur, vivæ sunt adhibendæ, vel post exsiccationem illico conterantur, ut *Conii maculati folia*, et vasis vitreis rite obturandis reponantur. In universum non *vegetabilium* solum, sed et *animalium* partes, præsertim indigenæ, in aridis conserventur locis, neque in camera cæmentitia, aut lateribus exstructa, utpote situm et humiditatem ex aëre attrahente; sed pro exsiccatione, sine ignis ope, expandendæ, libero aëris accessu siccandæ, radii solis abigendi, in ædificio exsiccatorio, tabulato supremo, spiraculis et valvulis, ferreo tecto, instructo, suis quæque bene clausis receptaculis, ex tabulis doliariis siccis, inodoris factis, reponendæ, vel vitreis vasis, quoad maximam partem, si fieri poterit, contra mucorem et teredinem, muniendæ; *Aromate* autem et principio *acri volatili* præditæ, non arido solum loco, sed et frigido servandæ, in vasis plerumque pro *aromatis* quantitate, vel alterius *principii*, hermetice clausis. *Semina* loco ab aëre perflato, sine ignis adminiculo, siccentur, *oleosa* loco frigido, sicco, capsulis involucra retinentia, his munitis, serventur.

## PONDERA et MENSURÆ.

Pondera in pharmaceuticis Ruthenorum civilibus officinis usitata, a castrensibus quoque Pharmacopœis, recepta sunt, eorumque hæc est ratio:

*Granum* (gr. j.) ponderè granum *seminis Piperis* æquat,

*Scrupulus* (℈j.) grana viginti continet.

*Drachma* (ʒj.) *scrupulos* tres habet.

*Sicilicus* (ʒjj) drachmas duas æquat.

*Uncia* (℥j.) *drachmas* octo recipit.

*Libra* (℔j) medicinali pondus unciarum 12 continetur.

*Bilibra* (℔jj) duplum præcedentis habet.

*Semis* (β) est medietas alicujus ponderis, ut *semidrachma* (ʒβ), *semuncia* (℥β), *selibra* (℔β).

*Sesqui* est totum et dimidium, ut *sesquidrachma* (ʒjβ), *Sescuncia* (℥jβ), *Sesquilibra* (℔jβ).

### TABULA

#### EXACTIOREM PONDERUM NOTIONEM SISTENS.

| | Libra | Selibra. | Uncia | Semuncia | Drachma. | Semidrachma. | Scrupulus. | Semiscrupulus. | Granum. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Granum . . | . . | . . | . . | . . | . . | . . | . . . | . . . | 1 |
| Semiscrupulus | . . | . . | . . | . . | . . | . . | . . . | 1 | 10 |
| Scrupulus . | . . | . . | . . | . . | . . | . . | 1 | 2 | 20 |
| Semidrachma | . . | . . | . . | . . | . . | 1 | 1½ | 3 | 30 |
| Drachma . . | . . | . . | . . | . . | 1 | 2 | 3 | 6 | 60 |
| Semuncia . . | . . | . . | . . | 1 | 4 | 8 | 12 | 24 | 240 |
| Uncia . . . . | . . | . . | 1 | 2 | 8 | 16 | 24 | 48 | 480 |
| Selibra . . . | . . | 1 | 6 | 12 | 48 | 96 | 144 | 288 | 2880 |
| Libra . . . . | 1 | 2 | 12 | 24 | 96 | 192 | 288 | 576 | 5760 |

Hæc pondera *liquidorum* portionibus æque, ac *solidorum* determinandis inserviunt. Pro *liquidis* quidem et in primis *aquosis* mensurandis vasa adhibentur idonea, quæ ita facta sunt, ut libra, et uncia pondere respondeant libræ medicæ divisionibus. *Mensurae* pro siccis medicaminibus, præsertim vero *herbis*, hucusque apud nos usitatæ fuerunt sequentes;

*Fasciculus*, seu moles, quæ brachio complicato capitur, manipulos, præter propter, duodecim, æquiparans, selibræ æqualis pondere. *Manipulus*, seu moles, quam manu complecti possumus, pugillis quatuor, vel semunciæ, æquivalens. *Pugillus*, seu moles, qua pollice et duobus digitis capi potest, cum drachmâ æquiparabilis; ast hæ mensuræ sunt vagæ, ut proinde satius esset *sicca* æque ac *liquida*, pondere potius, quam mensura, præscribere, ita quidem, ut loco *cochlearis* semuncia, loco *cyathi* unciæ duæ, loco *pintae* unciæ sedecim, loco *mensurae* libræ quatuor etc., aptius sumi queant.

## De dosibus medicamentorum.

In præsenti opere medicaminum præbia descripta sunt, qualia ab auctoribus in genere determinata sunt; nihilo tamenminus animadversione dignum est, eadem, pro re nata, augeri, aut diminui posse. Res circumstantes, quæ in remediorum efficaciam influunt, sunt sequentes: *sexus*, *temperamentum*, *consuetudo*, *morbi indoles*, *idiosyncrasia et aetas*. Sic v. g. sexus sequior in genere minorem cujuslibet medicamenti quantitatem requirit, quam masculinus; homines temperamento, sic dicto sanguineo, præditi, minorem dosim ferunt ac illi, qui melancholico obnoxii sunt; ita consuetudo, plurium medicaminum in organismum animalem efficaciam, minuere solet, in primis *narcoticorum* et *stimulantium*, quæ et largiori interdum præbio impune capi possunt, eorum nempe usu per longius temporis spatium protracto. Nec minus morbi indoles remedii dosim immutare sæpenumero cogit. Idiosyncrasia tandem plurimum in moderandam *medicaminum* efficaciam influit; nam quædam individua magna pollent receptivitate ad ea remedia, quæ in genere omnino parvum exserunt effectum; quum in aliis maxime activa remedia, ut v. g. *Hydrargyrum*, vix aliquam efficacitatem exerceant. Aetas in determinanda medicaminum dosi certiorem omnino offert regulam, et sequens tabula *remedio-*

*rum* præbia eidem convenientia indicans, e clarissimi Gaubii operibus deprompta, junioribus Medicis inservire poterit.

| *Aetas.* | *Quantitas proportionata.* | *Dosis relata ad aetatem.* |
|---|---|---|
| Pro adulto. | Supposito, dosim in genere esse = 1. | Drachma. |
| Bimestri . . . . . | Requiritur solummodo $\frac{1}{15}$ | gr. quatuor |
| Septimestri . . . . | . . . . . . . . . . $\frac{1}{12}$ | — quinque |
| Infra annum . . . | . . . . . . . . . . $\frac{1}{8}$ | — sept. et semis |
| Bimulo . . . . . . | . . . . . . . . . . $\frac{1}{6}$ | — decem |
| Quadrimo . . . . | . . . . . . . . . . $\frac{1}{4}$ | — quindecim |
| Septenni . . . . . | . . . . . . . . . . $\frac{1}{3}$ | Scrupulus |
| 14 annorum . . . | . . . . . . . . . . $\frac{1}{2}$ | Semidrachma |
| 17 —— —— . . . | . . . . . . . . . . $\frac{2}{3}$ | Duo scrupuli |
| 21 —— —— . . . | Dosis communis integra | Drachma. |
| 63 —— —— . . . | . . . . . . . . . . $\frac{11}{12}$ | grana LV. |
| 77 —— —— . . . | . . . . . . . . . . $\frac{5}{6}$ | scr. duo et semis |
| 100 —— —— . . . | . . . . . . . . . . $\frac{4}{6}$ | — duo |

Animadversione dignum est, sexaginta guttas aquæ 100 Alcoholis diluti, vel 120 Alcoholis, drachmæ mensuræ æquiparabiles esse.

# PARS PRIMA

## PHARMACOLOGIAM COMPREHENDENS.

*Simplicium medicamentorum et facultatum, quae in eis insunt, cognitio, ita necessaria est, ut sine ea nemo rite medicari queat.*

ORIBASIUS.

# PHARMACOLOGIA.

## ACACIA CATECHU. Willd.

Mimosa ———— Linn.

Акація Индійская.

Arbor orientalis Indiæ, provinciæ Bahar familiaris, in montibus Rotas, et Pallamoro supra Bengaliam sitis, copiose crescens. *Class:* Polygam. *Ordo:* Monœc. *O. N.* Lomentac. Linn. Leguminos. Juss. *Usuale est:*

Extractum, (*terra Catechu*, seu *Japonica Pharm: Ross.*) Катеху, сухой Японской сокъ, est succus gummeoresinosus, e ligno arboris interiore, vel prout alii malunt, e nucleis, excoctus, et inspissatus, inæqualis, siccus, durus, friabilis, in fractura nitens, extus nigrescens, interne rubidus, Aceto, Alcohole diluto, et Vino fere omnis solubilis. Styptici *saporis* protinus dulcescentis, dein amaricantis, interdum, quod usui medico non convenit, cum *terra punicea*, *argillacea* renitente, commistus, nec *Alcohole diluto*, nec *Aceto*, nec *Vino* solubilis. Paratur etiam in ora Coromandeliana e *fructibus Arecae Catechu.* Alia etiam vegetabilia similem succum largiuntur; præcipue vero *cortex Cassiae auriculatae*, *Acaciae Leucophlaeae*, *et A. arabicae. W.*

Qualitas eiusdem nititur maxima, ac prævalente parte, principio *scytodepsico* (*coriario*, *scytodephico*, vulgo *tannin*) dein *extractiva*, *muco* peculiari, et *Oxalate Calcariae.*

Virtus eiusdem adstrictoria; antiseptica; roborans.

Usus internus in debilitate muscularium fibrarum canalis intestinalis, et hinc provenientibus pertinacibus alvi profluviis: diarrhœa; dysenteria; (senibus rebelli dysenteria vexatis cum successu exhibita est *decoctura Oryzae*, cuius unciæ 32 continebant *extracti* semidrachmam. Alibert.) fluxu cœliaco; lien-

teria. Laudatur etiam in enuresi (incontinentia urinæ) relaxatione viarum uriniferarum orta, nec non in diabete; nec minus celebratur tanquam adstringens summe proficuum, in variis hæmorrhagiis, in primis menorrhagia, ita etiam in hæmoptysi, hæmorrhoide immodica. Enterodyniæ etiam plumbeæ (*colicae saturninae*) præsidio fuisse relatum accepimus, nec demum inutilem opem præstare fertur in tussi ex raucedine. Alii *extractum Catechu* sincerum, vel *pastillorum* forma *Saccharo* remistum, in gratiam halitus, aut digestionis beneficium, in ore detinent, volvuntque, aut devorant. Pastæ odoriferæ in orientalibus terris componuntur ex *extracto* eiusdem, *Ambra*, *Moscho*, *mucilagine gummi Astragali Tragacanthae*, subactis. (Hermbstaedt) *Extrinsecus* etiam adhibetur ad compescendas hæmorrhagias, ad firmandas marcescentes, laxasque gingivas, in dentium vacillatione, stomacace, vel dentifriciis pulveribus additum, vel electuariis, vel etiam per modum tincturæ. In scorbuticis ulceribus, aliisque astheniæ notas ferentibus, adiicitur unguentis digestivis tinctura, vel ipsummet *extractum melle* exceptum, in *unguentum* cogitur, vel idem *gargarismata* repercutientia, anginosa, antiscorbutica, ingreditur.

Dosis a scrupulo ad sicilicum (*drachmas duas*) in substantia.

Videsis: *Infusum Catechu*; — — *opiatum*; *Tinctura Catechu*.

## ACACIA VERA. W.

### Mimosa nilotica. L.

### Акацiя Аравiйская.

Arbor in Arabia præsertim petræa, Aegypto, in variis mediæ Africæ regionibus, Abyssinia &c. crescens, estque procera, spinosa, cortice rubicundo, spinis stipularibus geminis, digitum longis, foliis bipinnatis, partialibus bijugis, propriis octodecemjugis, glandula inter singula partialium paria, spicis *floris* globosis, flavis. *Cl.* et *O.* præcedentis. Perennis. *Usuale est:*

Gummi (*gummi arabicum*, Ph. Ross.) Аравійская камедь, succus mucosus, solis æstu siccatus, in globulis diversæ magnitudinis, pellucidis, albescentibus, vel flavescentibus, rugosis, friabilibus, interne ad modum vitri splendentibus, in coriis e Cairo veniens. Simillimam *lacrymam* exhibet Acacia Senegal, amplissimas sylvas, inter fluvios Senegal, et Gambiam, et circa Tombuctu, constituens; vilior vero species, fulva, aut rufa ex Acacia arabica, vel gummifera a Brossuonetto in Africa boreali detecta, provenire videtur, quæ minus pellucida, minusque solubilis est *aqua*. Interdum cum *gummi Pruni domesticae*, et *armeniacae*, majori glutinositate distinguendis, permiscetur. Pars *gummi Acaciae verae* sex partibus *aquae mucilaginem* consistentiæ *syrupi* impertitur, diaphanam, e contra vilior crassiorem *gelatinae* similem, minus pellucidam dat. Elichene esculento Pallasii, in australi Russia crescente, parari potest coctione *gummi*, vix non in omnibus *arabico* conveniens.

Q. nimis mucilaginosa; alimentaria; dulcescens; *inodora.* Cum quadrupla *aquae* portione *mucilaginem syrupi* mole impertitur, quæ e *Nitrate Hydrargyri* roseum, aut phæniceum colorem obtinet; e *Nitrate* autem *Ferri* flavescit, et floccis dein albescentibus præcipitatur. Ope *Acidi nitrici Acidum oxalicum*, et *Oxalas Calcariae* formantur; *Acidum* autem *citricum* evolvitur ope *Acidi muriatici.*

V. eadem est, ac *mucilaginum*, ceterorumque *gummatum:* partes tensas humectat, et mitigat; algemata sopit; imo nutritium est; per sesquimensem enim hoc *gummi* unice vitam sustentavit in itinere Hasselquist, atque hoc etiam nomine magni æstimatur ab Æthiopibus Senegambiæ accolis.

U. *interne* in aquosa solutione obponitur: tussi; pertussi; raucitati; stranguriæ; paraphoniæ catarrhali, item non minoris est efficaciæ in morbis, ubi canalis intestinalis muco violenter denudatur, ut in diarrhœa, dysenteria, tenesmo, quo in casu spasmos etiam doloresque inde profectos sopit. Mechanico usu valet ad sistendos sanguifluxus, (Ollenroth) lenien-

damque intertriginem, ut e. g. læsis mamillarum papillis, vel inspergendo, vel illinendo *mucilaginem*, mollimentum præstat. Commode etiam, injecto clystere, aut mollimenti, aut nutritus gratia, adhibetur. Adcommodum est hoc *gummi* fortioribus medicinis vehiculum, præscribitur etiam, ut in vehiculis aquosis *camphora*, *resinae*, *balsama* et *olea* iisdem admista, teneantur, et ut pulverulentæ substantiæ *resinosae* massas effingendorum *catapotiorum* subintrare queant, haud secus ac ad terendum, et parumper oxydandum HYDRARGYRUM. Scire licet e *gummi Acaciae verae*, *Acidoque oxymuriatico*, justa methodo tractatis, *Acidum citricum* in scorbuto valentissimum, exsurgere; ex *Acido* autem *citrico*, *Acidum malicum*, *oxalicum*, et *saccholacticum* obtineri posse.

D. in *pulvere*, et *solutum* a drachma ad semunciam in octo unciis *aquae*. *Mucilago* ex *aquae* libra & *gummi* uncia crassamentum offert, palato gratum, plurimisque indicationibus examussim respondens.

V. *Decoctura mucilaginea prima*; —— *secunda*; *Mucilago Acaciae.*

## ACHILLEA MILLEFOLIUM.

Гулявица тысячелистная; Тысячелистникъ; Деревей; Крововникъ; Дикая греча.

Ubivis; in primis vero siccioribus in locis, et ad vias passim occurrens. *Cl.* Syngenes. O. superfl. *O. N.* Composit. radiat. L. Corymbifer. J. Perennis. *Usual. sunt:*

FLORES *corymbosi*, vulgo *summitates florentes*, calycibus ovatis, oblongis, imbricatis; *flosculi* radii circiter 4, dilatati. FOLIA pilosiuscula, bipinnata: pinnis pinnulisque oblongis, confertis, decussatis, argute dentatis. Aliæ species, uti ACHILLEA NOBILIS, A. AGERATUM, huic a quibusdam non modo substituuntur; sed etiam præferuntur.

Q. in *oleo* volatili, et *extractivo amaro* residet, MATRICARIAE CHAMOMILLAE, analoga; plus tamen *extractivi*, quam illa-

minus *olei* continens. *Saporis* subadstringentis, subamari, cum indiciis, floribus præcipue insidentibus, aromatis.

V. leniter stimulans; peptica; sopiens; spasmos vasorum hæmorrhoidalium sedans, eorumque nimium fluxum, *externe:* discutiens, (Hoffmann, Stahl) *foliorum:* cum primis tonica.

U. In morbis asthenicis, ut in hypochondriasi, hysteria, præeuntibus Stahlio et Hoffmanno, invaluit. In hæmorrhagiis pulmonum, vi subadstringente, leniter roborante, et spasmodicos motus sopiente prodest; utilitatem sane promittit in hæmoptysi, si ea a topica partis debilitate provenit, vel congestionibus a remotis partibus, aut sympathicis nerveis stimulis exorta est, e. g. supressa hæmorrhoide, aut si status morbi spasmodicus potius, quam inflammatorius urget. In metrorrhagia gravidarum, vel post partum, aut abortum, plurimum valet, si hysteria laborat, et spasmis, (mobili nervorum systemate), (Thomas) obnoxia est ægrota, et tum recte additur, Ferrum, vel, pro re nata, *Acidum sulphuricum*, congrua dosi. Prodest quoque in doloribus spasmodicis post partum, (Mönch) nec in nimia hæmorrhoide a debilitate, frustratui habet, (Stahl) quem in finem Quarinus suadet *extracti Millefolii* partes quatuor, *Ferri limati* partem, ut fiant catapotia granorum trium pulvere *corticis L. Cinnamomi* conspergenda, atque tria, vel plura ter in diem sumenda. Ad hæmorrhoidem mucosam forma *infusi* haud ingrata, a *florum* drachmis tribus, cum *aquae* unciis octo, *lacte* admisto, mane hauriendi. (Juhlin) In chronicis pulmonum adfectibus, debilitate, accumulatione pituitæ, adenemphraxi (infarctione glandularum) stipatis, aut sub scrofuloso habitu magni æstimatur a Mellino. Phthisiscentibus convenit, recteque ei tum additur Cetraria Islandica, aut sub scrofuloso habitu *Tussilaginis Farfarae*, si præsto sunt, *folia.* Variolas, per debilitatem retrogradas, usu ejus provocavit Maumery. An decoctura ejusdem fortior par sit movendo lotio, atque proliciendis calculis, ut Mellinus adseverat, experiundo discemus. *Extrinsecus* pro vulnerario habetur, additur

quippe aromaticis *cataplasmatibus* ad curanda impura vulnera, ulcera, contusiones etc, hinc planta *stratiotes* dicta.

D. *Florum* unciæ duæ ad sesquilibram *aquae* in *infuso* rite colando. Exhibetur etiam *succus foliorum expressus*, aut *folia* in aqua infusa.

*V. Extract. Millefolii; Mistura ejusdem.*

## ACIDUM ACETICUM DILUTUM IMPURUM.

### Acetum Vini. Уксусъ.

Liquor acidus ex fermentatione vini acida natus, commodeque parabilis ex quovis fluido fermentationis vinosæ capaci, eidemque subjecto, calore (65 ad 75 Fahrenh.) apto. *Acidum aceticum dilutum* ceteris vegetabilibus *acidis* pro usu medico, haud immerito præfertur. Sincerum debet esse limpidum, purum, languide flavum, gustatu et odore gratum, tantæque aciditatis, ut duæ unciæ ad saturandam perfecte *Subcarbonatis Potassae* drachmam sufficiant. Congelatione fit fortius, et intensioris coloris; destillatione vero cum pulvere *carbonum* debilius quidem, atque gustui minus gratum; sed purius, et decolor redditur, et in primis præparatis pharmaceuticis, adcommodum. Turpilucricupidi oxypeptæ interdum, ut vim ejus intendant, *Acido sulphurico*, *muriatico*, et acribus quibusdam principiis, ut e Daphne Mezereo, Capsico annuo &c. illud adulterare solent; si *Acido sulphurico* vitiatum est, tum adfusa *Barytae* ipsius, vel *Muriatis*, vel *Acetatis Barytae* solutio sedimentum album deponit, haud amplius plene in *Acido nitrico*, solubile. Si *Acido muriatico* adulteretur, tunc solutio *Nitratis Argenti*, subalbicantem turbidamque reddit mutationem. Si vero eidem Daphne Mezereum, aut Capsicum annuum accessere, tum labio eodem humefacto, ubi evaporavit, ferventem imprimit sensum. Addita ad saturationem usque *Acidi*, *Potassa*, acredinem, si gustetur, manifesto prodit. Subinde præter opinionem cuprum eidem admistum offenditur, tum adjecto *Ammoniae Subcarbonate liquido*, detegitur colorem cœruleum impertiendo.

Q. *Acidum aceticum dilutum impurum* continet præter *Acidum aceticum et tartaricum*, *Supertartratem Potassae*, *Saccharum mucosum*, *gluten*, *Alcohol* et *aquam*, atque id, quod ex *melle*, et *fructibus horaeis*, eruitur, *Acidum malicum*.

V. ejusdem, pro ratione concentrationis, partium constitutivarum, variat: modo refrigerans; refocillans nervos; adstrictoria; antiseptica; modo irritans, et excalfaciens, et tum subinde sudorem, rarius urinam ciens. Stomacho, si *cibis* addatur, aptum; vix tamem protracto, si fortius est, usu.

U. Congrue *dilutum* (unciæ duæ conciliant *aquae* unciis triginta duabus gratum saporem) neurantistasibus sthenicis, (reactionibus vis vitæ præternaturaliter auctis) adcommodum, in primis synochæ, (cum vel sine topica adfectione) cordis et vasorum præternaturalem energiam deprimendo, calorem ipsum inhibendo, ægrumque recreando, quem in finem antiquitas, *posca*, præcipue *mellis* admistu mitificata, nihil reliquit commendatius. Febribus biliosis vulgo dictis, ejusdem indolis, recte obponitur. Febribus asthenicis minoris gradus, calore sitique stipatis, si potui detur, prodest; præcipue si stimulantia eidem, pro ratione debilitatis, fuerint adjuncta. Sudori movendo par est, præsertim, si is non neurasthenia, sed ex superante vasorum hæmatophororum actione (sthenica diathesi) suppressus est. Quamobrem in exanthematibus, morbillis, scarlatina, et id genus aliis, imo etiam in catarrho potui datum cum *infuso florum Sambuci n. Oxymelle*, juvat. Aptissimum est, ubi solidorum humorumque, exsuperante (ut quibusdam placet) *carbonico*, in putrefactionem pronitas, oboritur, haud secus in aliis neuroblaciis (reactionibus vis vitæ præternaturaliter imminutis) ut scorbuto etc, in quæ chemice, ad instar ceterorum acidorum, si potui detur, agens, corruptelæ huic adversatur, quem in finem, in sphacelo, et gangrænosis reptatibus, a summis viris commendatur, præcipue cum *cortice Cinchonae off.* et *Quercus R.* aliisque similibus; aut confluentibus variolis (cum videlicet siccescentes livent) per modum *fomenti*, adponitur. *Fomenta calida*, cum *Alcohole diluto*, *aro-*

*maticis herbis*, *Camphora* &c. in febribus, putridis vulgo dictis, pectori, abdomini, extremis partibus imposita, valent. In peste quoque effectus ejus insignes celebrarunt omnes, qui eadem correptis id exhibuerunt. Nullum adeo universale alexipharmacon antiquiores contra *narcotica venena* laudant, præcipue contra Daturam Stramonium, Hyoscyamum nigrum, Conium maculatum, Papaver somniferum, Aconitum etc. Si aceto gargarisetur, valida illa ex Atropa Belladonna (*Ephem: German*), Ranunculis variis etc. in faucibus contractio, tollitur. Languentibus, lethargicis, soporosis, syncopticis, *Acidum aceticum*, naribus, orique admotum, vel in ventriculum ingestum, adcommodum est. In pituitosis glandularum mucosarum œsophagi, et amygdalarum infarctionibus, præstans præbet gargarisma, nec minus utile, in angina, stomacace, aphthis. *Clystere* in typho, herniis incarceratis, aut ascaridibus rectum intestinum occupantibus, injecto, recte subterdatur, nec minus prodest idem in pertinaci obstipatione alvi, æquali *aquae* et *Aceti* portione, (Herz) uti etiam in tenesmo dysenterico tepide, et crebro, non siphone, sed vesica, ex unciis duabus *Aceti*, et totidem *aquae* commistis, injectus, præsertim, si sphincter ani simul *oleo camphorato* illitus fuerit (Birnstiel). Quatenus arteriarum actionem in extremis auget, sanguinis congestionem ad caput imminuit, tum cephalalgiæ admotum, præsertim cum *fermento panis nigri*, arteriarum extrema ad contractionem ciendo, sanguini propulso resistit, atque profluvia ejusdem inhibet. Hinc in epistaxi, stomatorrhœa, &c. utile, si pars, pro re nata, linteo filatim carpto, *eodem* imbuto, aut *spongia* humectetur, aut *Acetum* injiciatur. Magni sane æstimatur a prægnantibus mulieribus, dum metrorrhagiæ metuunt, sic et ad arctissimum salutis exitiique confinium, nimio lochiorum fluxu perductas, involvere linteis *oxycrato* madefactis, obstetricii Medici solent. Nec in contusionibus, adustis, ecchysibus, irritum. *Acidum aceticum* valet in hæmorrhœa gingivarum, aut faucium scorbuticorum, hæmorrhagia alveoli post dentem evulsum. *Vapores* ex *Acido acetico* expectora-

tionem promovent, et humorum dissolutionem, nec minus valent ad aëra noxium, et effluvia putrida contagiosaque corrigenda; naribus autem adplicando ad refocillandos, sub operationibus chirurgicis, ægros, prosunt. Vis *sinapismorum* adjecto *Aceto* intenditur. Partem corporis, cui *emplastrum Lyttae vesicatoriae* superdandum est, eodem humefieri expedit, intendendæ actionis causa. In pharmacia, uti solvens materiei activæ multarum substantiarum vegetabilium e. g. *Scillae maritimae bulbi* &c. adhibetur.

D. Quum *Acetum* potui datur, sescuncia ejusdem libra *aquae* diluta, addita *syrupi* semuncia, per vices, exhibetur. Duæ, quatuor unciæ, vel selibra *Aceti* sumitur, et tantundem, aut pro re nata, plus *aquae*, *clysteris* injiciendi causa.

V. *Acetum camphor. — scillites; Acidum aceticum; — — dilut. Catapl. acetat. Clyster — Foment. acidum; — commune; — discut. Oxymel simpl.*

## ACIPENSER STELLATUS et STURIO.

### Севрюга и Осетръ.

Pisces in hospitalibus Rutheniæ æquoribus, ut in hircano, ponto euxino, palude mæotide, lacu Baiкal, atque in fluminibus Rha (Volga), Ural, Obi, Irti &c. habitantes. *Cl.* Pisces. *O.* Branchiostegi CUVIER. *Usualis est:*

ICHTHYOCOLLA (*Colla piscium*, рыбной клей) e diversis partibus ACIPENSERIS membranosis; præsertim vero ex interna vesicæ natatoriæ dictæ, membrana, ratione vulgari, constantique, coctione videlicet, et inspissatione, paratur, atque convoluta varie, interdum in ferri equini formam contorta, venit. Aptissima est medicinæ, quæ ex A. STURIONE desumitur, ad quam tamen ea A. STELLATI bonitate accedit. Hæc utraque alba est, pellucida, sicca, insigni tenacitate instructa, minime pachiderma, *saporis odorisque* expers; in *aqua*, et *Alcohole* dissolvitur, & iisdem adfricat viscedinem. Quæ coctione, ut in oppido *Gurjew*, ex intestinis, pinnis, aliisque partibus harum, & aliarum

Acipenseris specierum, ut ex A. Husone (Бѣлуга) A. Rutheno (Стерлядь), nec non e Siluro Gladine (Сомъ) obtinetur, minus probatur.

Q. Qualitatis est gelatinosæ, nutritoriæ. Centum *Ichthyocollae* grana, secundum cl. Hatchet, continent materiæ in *aqua* solubilis 98 & quod excurrit, quo *gelatinam* admodum nutritoriam præberi, nemo infitias ibit.

V. ergo ejus est demulcens; antiscorbutica; lexipyreta. Solutio cl. Davy, qua præsentiam *scytodepsici* probat, consistit in 100 granis *Ichthyocollae* in *aquae* unciis viginti solutis, quæ, si lege artis, facta sit, ad 50° Fahr. in gelatinam abit.

U. Valenter curare dialeipyras (febres intermittentes) novissime cl. Seguin adseverat, quod aliorum experientia probandum est. Eidem usui, præter *Ichthyocollam*, inservit quæcunque alia vilioris pretii gelatina animalis, quæ antea in *aqua* coctione soluta, rite clarificata, atque *Saccharo* remista sufficiente, sed pro varianti ætate, diversa dosi, sub apyrexia sumi, & devicta dialeypyra, ne recrudescat, per aliquot dies continuari debet. (videsis: Bos taurus) *Menstruis aquosis* diluta demulcet, & relaxat, hinc in diarrhoeis, dysuria, asperitate faucium &c. præscribitur. Fabricius ab *Ichthyocolla* ope *aquae* in formam tenuioris *gelatinae*, redacta, cujus cochlear *jure* dilutum, pro dosi exhibebatur, salutiferos in curanda dysenteria, expertus est effectus. *Clysteribus* quoque demulcentibus adjicitur, præsertim in tenesmo & cnesmo. Præterea ad *liquores turbidos* clarificandos, & conficiendam *telam*, sic dictam *vulnerariam Britannicam*, qua vulnera cutis leviora teguntur, sæpius usurpatur; nec minus ob viscedinem, quam aquæ impertitur, ad vitra vasaque porcellanea glutinanda adhiberi potest, imo *filis sericeis* splendorem dare, *vinis turbidis* claritatem, fertur.

D. Semuncia cum libra *aquae* decocta, addito, si lubet, *liquore vitigeno*, *Saccharoque*.

## ACONITUM NEOMONTANUM.

Борецъ; Пригридъ; Лютикъ; Прострѣльная трава.

Nascitur in montosis, subalpinis. Occurit in omni Ruthenia, ad Kamtschatcam usque; præsertim vero in australibus Imperii oris. *Cl.* Polyandr. *O.* Trigyn. *O. N.* Multisiliquæ L. Ranunculac. J. Perennis pl. *Usualia sunt:*

Folia, nitida, digitato-quinquepartita, laciniis lato lanceolatis, brevissime dentatis, pedunculis glabris, galea convexa, cuculli calcare adunco obtuso, labio lanceolato, revoluto, bifido. *Folia Aconiti Cammari* & *Delphinii elati* interdum loco horum sumuntur. *Illa* sunt quinquepartita, laciniis oblongo cuneiformibus, trifidis, dentatis, galea conica elongata; *haec* vero subpeltata, tripartita, laciniis multifidis, galea nulla, corolla quinquepetala.

Q. Venenifera, principio *acri* contenta, ipso *odore* nauseoso fortique, et acri *sapore* cognitu perfacilis.

V. Irritans; organismum animalem lacessens; narcotica; (sudorem ceterasque secretiones movens) zooctona. Omnes Aconiti species, flore cœruleo, præditæ, haud multum ratione virium, discrepant.

U. Ut nervos irritans, in variis paralyseos speciebus laudatur, ita paraliseos artuum brachii crurisque sinistri ex terrore subortæ, amavroseos &c. exempla leguntur curatæ; tumores quoque in osseam duritiem densatos discussit, hidrargyro ipsi et Conio m. immorigeros, haud secus ac glandularum scirrhos dissipavit. In plexus nerveos abdominis & venæ portarum agendo, productas torpore horum dialeipyras (Burdach) uti & intumescentiam leucophlegmaticam, & œdematosam post hanc superstitem curat. In myodynia rheumatica, (rheumatalgia) etiam arthrodynia, ischiade nervosa, anchylosibus, solamen auxiliumque adfert, efficax. Nec in syphilide, psora, herpetibus, scrofulis, trichomate, spina ventosa, ulceribus, quæ cacoëthe vocant, irritum, imo, & ipsi phthisi oppositum.

D. *Foliorum* pulvis a granis duobus ad quinque. *Succi spissati:* granum mane et vesperi in *pulvere*, vel in *pilulis* ad quatuor, vel plura sensim adscendendo grana. Hic, si anno vetustior est, fit virtute cassus. Plantam recentem, incaute sumtam, interjecto brevi tempore, immanes ciere turbas, et quidem insignem imbecillitatem; motus faciei convulsivos; sudorem ejusdem frigidum; paralysin artuum; vomitiones biliosas & lividas; deliquium animi; involuntariam alvi dejectionem; asphyxiam; tandem vero mortem apoplecticam, experiundo didicimus.

V. *Succus Aconiti spissatus*; *Tinct. Aconiti*; — — *compos.*

## ACORUS CALAMUS.

### ACORUS VERUS PH. ROSS.

### Аиръ; Иръ; Лепешникъ.

Planta in Russia australi spontanea, scapi mucrone longissimo, foliaceo, in fossis, piscinis, stagnisque creberrima; *Cl.* Hexandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Piperitæ. L. Arroideæ. J. Perennis. *Usualis* est:

RADIX, geniculata, spongiosa, crassitie pollicari, *extus* rubens, *intus* alba; primo, ac exeunte vere colligenda. Confusio rhizotomorum cum IRIDE PSEUDOACORO cujus *radix intus* rubicunda, *extus* subferruginea (nullo in eam cadente aromate) *inodora*, *sapore* acri, adstringenti, evitari facile potest.

Q. *Saporis* est aromatici, acriculi, subamari; *odorem* dissecta fragrantem, præ se fert; destillatione pauxillum *olei* continet, et haud parum *feculae* largitur.

V. Præstans, stimulans permanens; tonica; peptica; antiseptica, cum primis abnormitati reproductionis neurasthenia ortæ, succurens.

U. In neurantistasibus, astheniae notas ferentibus, laudatur, ita in myodynia rheumatica (HORN) in arthrodynia (*Med. chir.*

*Zeitung* 1808 No 97.) In dialeipyris & febribus remittentibus, typhodibus, rheumatica, catarrhali, aut nervosa complicatione stipatis, haud secus ac in nevroblaciis vitiosa reproductione conspicuis, ut in scorbuto (Hoffmann), stomacace. (marcescentium gingivarum vitio.) Hunc in finem cerevisia quoque commendatur, addita cado ejusdem adhuc fervidæ selibra *radicis*. Cacostomacham indigestionem juvat. *Extrinsecus* pulvis ejusdem recte inspergitur ulceribus scrofulosis, ichorosis, putescentibus, gangrænescentibus, imo ipsi ossium cariei, vel per se, vel per modum *fotus*, *injectionis*. Odorem cancrosorum ulcerum emendat. (Niemann) Inter indigena aromata, primatum tenet, meritoque pro succedaneo, ceterorum *aromaticorum exoticorum*, majoris dispendii, habetur.

D. *Pulveris radicis* scrupulus, vel duo aliquoties de die cum *Saccharo* , vel sub forma *electuarii*. Datur quoque in *infuso*, vel *decoctura* (præsertim ad roboranda coctionis viscera) vel *decocto-infuso* e. g. Uncia decoquitur, atque in *decoctura* hac, semuncia *radicis* per semihoram digeritur, dein addita *Aetheris sulphurici alcoholisati* semuncia, duobus cochlearibus singula hora propinatur. Pulverata *radix* scopo antarthritico a 5 ad 15 grana, a neotericis, impensius hunc in finem laudantibus, propinatur.

V. *Infusum Calami; Tinctura ejusdem.*

## ÆSCULUS HIPPOCASTANUM.

### Каштанъ дикій.

Arbor Asiæ septentrionalis indigena; in Russia vero australi, ubi facile seminibus, vel sponte delapsis, vel terræ immissis, solo præcipue non nihil humido, propagatur, vulgaris. Cl. Heptandr. O. Monogyn. O. N. Trichilatæ. L. Acera. J. *Usualis est:*

Cortex, ramorum juniorum *intus* subluteus, *extrinsecus* epidermide ex rubro-fusca superinductus. Optimus decerpitur a

*ramis* trium digitorum crassitie; e *ramis* vero ætate nimis provectis, vel admodum teneris, collectus, improbatur. Sub deglubendo alburnum simul adhærescit, antea cultro auferendum, ne *corticis* efficaciam minuat.. In pulverem tenuatus, si diu servetur, odorem vappidum, adversum, contrahit, et tum balsamica virtute sua orbatur. *Cortex* saucius stillat *succum balsamicum*, viscidum, *balsamo pineo-laricino*, æmulum.

Q. *Sapor* corticis e ramis triennibus alburno ablato adstringens, grateque amarus est, quo ipso ad *corticem Cinchonae off.* propius accedit, prout et colore non multum ab eo deflectit. Analysi chemica in propatulo est, parem eidem *gummosarum resinosarumque* particularum inesse portionem, neque absimile est vero, principio *scytodepsico* pollere.

V. Adstringens; roborans; lexipyreta.

U. Lexipyreta virtute inclaruit, neque tantum dialeipyras leviores, quales tertianæ, simplices, vernales plerumque sunt, sed etiam graviores hoc cortice sunt profligatæ (Sabarot. Junghans, Turra, Zannichelli). Citra ullum incommodum capi perhibetur, ni levem pectoris constricti sensum, quibusdam motum, excipere velis, *ptisanario mucilaginoso*, facile tollendum. (Sabarot) Infantili ætati æque, ac adultiori conducit. Alii in vomitu porraceo cum ventris torminibus sævissimis, in blenorrhœa (*gleet*) obstinata, ex atonia partis profecta, salutarem ejus effectum experti sunt, imo in epilepsia tribus, vel quatuor exemplis insultus retardasse visus est (Sabarot) Gangrænæ minæ, in crure hydropici obviæ, *Vino* cui *cortex* incoctus fuit, sublatæ sunt. (Coste, Willemet.)

D. Cl. Turra uncias *corticis* duas in duodecim partes æquales dividendas curavit in *pulvere* dari, quarum una, quarta quaque hora, cum *aqua pura* ingesta. Sabarot dimidia dosi acquievit, sub iisdem intervallis, capta. *Decocturae* pariter locus est, cui pro norma quodammodo esse potest illa: ex *corticis* unciis duabus, et *Subcarbonatis Potassae* drachma cum *aquae* mensura sesquialtera, donec mensura una supersit, coc-

lis, cujus quotidie duo cyathi pro Thea usitati, sunt hausti. Junghans.

V. *Decoctura Cinchonae succedanea*; *Pulv. Cinchon. succedan.*

## ALISMA PLANTAGO.

### Plantago aquatica.

Частуха; Попутникъ водяной; Шильникъ.

Passim in aqua stagnanti, per totam occurit Europam. *Cl.* Hexandr. *O.* Polygyn. *O. N.* Tripetaloideæ L. Junci *J.* Perennis. *Usualis est:*

Herba, *foliis* ovatis, acutis; fructibus obtuse trigonis; radix bulbosa, perennis, fibrillis albescentibus constans.

Q. Principio *acri* nititur, atque eodem *Ranunculorum* simillima a Hallero esse censetur. Secundum analysin a Prof. Nelyubin institutam *radicis* hujus plantæ 1000 part. constant: ex *olei* volatilis 0,001; *resinae* propriæ indolis 0,26; *Amyli* 200; *Sacchari mucosi* 230; *materiae vegeto-albuminosae* 220; part. fibros. amylac. 280; humoris 0,449, partibus. *Sapor* subdulcis, mucilaginosus, acriculusque.

V. Subadstringens; rubefaciens; venenata.

U. in hydrope, forma decoctionis (v. *transact. Philos*), in rabie hydrophoba radix commendatur, eique a Ruthenis ruricolis obponitur cum successu, idque sequenti modo: duæ circiter *radices* in pulverem tenuantur pro uno præbio, quo frustum panis *butyro* illitum respergitur, præbium tale bis terve iteratur, observato regimine vitæ congruo; in primis vero diæta lactea e. gr. *lac vaccinum*, vel *ovillum*, *lac ebutyratum* (Пахтанье) potui datur, vel alia, quæ præternaturalem erethismum sopiunt. Hydrophobia, certissimo rabiei symptomate, se manifestante, subsidiariam opem ferent *Camphora*, *Moschus*, *Opium*, in *pilulis* auctiori gradatim dosi propinata; recte quoque *clyster* injicitur e *gummi-resina Asae foetidae*, *Oleoque hyos-*

*cyamino.* Alii sanguinem ad deliquium animi detrahendum censent. Hanc plantam a ruricolis adhiberi, et passim pro certissimo rabiei hydrophobæ *antidoto* haberi, certum est, quod quidem, etsi propria mea experientia non probarit; medicinam tamen plurimorum arbitratu efficacem, in Pharmacopoeiam duxi recipiendam, ulterioris experientiæ, capessendæ causa. — Animalia domestica, *boves* præcipue, et *oves* hanc plantam relinquere intactam, atque usu ejusdem gastrodyniam, enterodyniam, in inflammationem transituram, imo præmaturam brevi mortem subsequi, bubulcorum, et oviliorum observatio est.

## ALLIUM CEPA.

Лукъ; Цибуля.

Colitur crebro in hortis. *Cl.* Hexandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Liliaceæ L. Asphodel. *J.* Biennis. *Usualis est:*

Radix recens, bulbus rotundus, depressus, ruber e membranis concentritis conflatus. *Bulbi* flaccidi, maculosi, aut in putredinem nitentes, usui medico alieni.

Q Recentis: *odor* peculiaris, alliaceus dictus, volatilis. *Radix* dissecta vapores lacrymas excientes spargit. *Sapore* est acriculo, subdulci. Principio *acri* nititur. (*Extrait d'un mémoire sur l'analyse chimique de l'oignon par M. Vauquelin. Annales du Mus. V. Ann: X et XI. Cal.* 333).

V. *Recentis*: stimulans; sudorem lotiumque movens; pituitam ducens; aphrodisiaca, *extus* rubefaciens. *Radicis* coctæ: *extus* emolliens, pus maturans; *assatae*: stimulans, *externe* pedibus admotæ: excalefaciens, vesicans.

U. Agit in primis in plexus nerveos abdominis, quo cacostomachæ indigestioni propere subvenit; spasmis quoque hystericarum (quas etiam naribus subposita excitat) haud impar est tollendis. Actioni nervorum pulmonalium calcar addit, quo in pituitoso, spasmodicoque asthmate, screatus promovendo, utilis fit. Excretionem lotii intendendo *succus* ex-

pressus pro unciis binis, cum tantillo *Sacchari*, lotium optime provocat, et externe eius excretionem auget. Hydropicis; præcipue vero asciticis calculosisque, (ab his etiam in prophylaxin sumta,) non inutilis esse creditur. (*Ephem. German.*) Forma cataplasmatis in pulpam contusa, et cum *emollientibus* regioni urocystidis superdata, retentioni urinæ, paralysi eiusdem ortæ, succurit; nec in bubonibus, varicibus, *cocta*, laude sua orbatur; in cophosi rheumatica, et susurro aurium, *succus* gossypio exceptus, meatuique auditorio inditus, (etiam irritando) confert; in herpetes vero *acri* suo principio agere videtur. In scorbuto (*cibis* addita) coërcendo efficax. Interaneorum animalia, tum *interno usu*, quum iniecto *clystere*, pellit. *Contusa*, si corpori admoveatur, irritando producit erythema. Condiendis *cibis* adcommodatissima, præsertim grassantibus contagiosis morbis. Militibus commendari meretur *iusculum caepinum* matutino tempore sorbillandum: bulbis 12 in lebete cum *butyro* ad rubedinem elixatis, ac *farina* denique conspersis, adiicitur *aqua* cum modica *Muriatis Sodae*, et *piperis* quantitate, coctione autem peracta, pauxillum *Aceti*. Haud dissimili virtute pollent: Allium ascalonicum — fistulosum — Schaenoprasum — Scorodoprasum, quæ rarius adhibentur in Medicina; ast deficiente Allio sativo, et ubi mitius agere expedit, vix sunt hæ species, despicatui ducendæ.

V. *Cataplasma maturans* II. III; — *Tritici caepinum.*

## ALLIUM SATIVUM.

### Чеснокъ.

Planta in hortis frequentissime culta; in Sicilia spontanea. (Morison) *Cl.* et *O.* præcendentis. Perennis. *Usualis est:*

Radix recens, bulbus subrotundus, membrana communi instructus, e bulbulis pluribus fasciculatim, varia serie, conjunctis, constans, quolibet fasciculo, propria tunica, obvelato. Succus

ex eadem elicitus quartam fere radicis partem constituit. Radix in sabulo adservanda; recens vero ob maiorem efficaciam præferenda.

Q. Principio acri, et pauco volatili oleo (ex eius decorticatæ libra, olei volatilis drachmam, elicuit SPIELMANNUS) nititur. *Odor* eius est specificus, ingratus, penetralis, liberalius ingestæ, non modo halitum inquinans; sed etiam per lac, lotium, sudorem, (PAULIN) imo etiam per ulcus (KERKRING) graveolens, volatilisque ita, ut in maiori etiam œco diffundatur. *Sapor* acer, subcausticus. Siccatione, nec inodora, nec insipida fit.

V. Præstans: stimulans; pituitam, sudorem, lotiumque movens; pus maturans; rubefaciens; vesicans; antiscorbutica; anthelmintica, haud multum a SCILLA MARITIMA, medicamentosa vi, discrepans.

U. Culinaris uberrimus. *Radicis*, et *succi internus*, in helminthiasi apud plebejos vulgaris, rarius adversus tæniam efficax; inimicior vero lumbricis. Activitatem augendo vasorum lymphaticorum, exhalantiumque membranæ pulmonum mucosæ, asthmati pituitoso obponi posse haud infitior. Inveteratis senecionum catarrhis, (cum et sine radice *Scillae maritimae*) conducit, in tussi sane catarrhali apyreta, *radix lacti* incocta, atque ad libram mane ac vesperi potui data, adtestante magni nominis viro MURRAYO, profuit. In hydropisi iam dudum laudatur. Est inter exempla pestilentiæ offecisse, imo calculosis etiam subvenisse. Dialeipyris autumno grassantibus BERGIUS obposuit, propinato ab initio mane et vesperi, *bulbulo*, (quotidie unum) dein addendo, donec febriens qualibet vice quatuor, vel quinque sumsisset. Eodem scopo *contusa radix* carpis admovebatur, aut plantis pedum adposita excitando pertussim et coma febrile dispulit, eadem per modum *cataplasmatis* variolas asthenicas confluentes retrogradas, teste SYDENHAMO, magnæ existimationis clinico, revocavit; pubi vero adplicata in retentione lotii, paralysi urocystidis orta, mollimentum præstitit. *Bombycina succo Allii* imbuta, nec non auris orificio aliquoties de die indita, in cophosi rheumatica

levamen adtulit, qui *succus* etiam clavis, herpetibusque non inutilis, haud secus ac *contusa radix*, et cum *suilla adipe* imposita, verrucas extirpare perhibetur. Indigenum, arbitratu quorundam, efficax, *gummiresinae Assae foetidae*, et nonnullorum acrium, succedaneum.

D. Drachma, vel duæ non mansæ *radicis* deglutiuntur, vel uncia eiusdem contusæ in *ebullientis* libra *lactis* infunditur, vasculisque præbetur. Quod *clysteri* etiam adcommodum est, haud secus ac vapores ascaridibus rectum intestinum occupantibus, natibus ægri, in sella familiarica, cacaturientium ritu, incoxatis, in anum adscendentes, proficui.

V. *Clyster alliatus; Pilulae alliatae; Syrupus alliatus.*

## ALOË PERFOLIATA, et SPICATA.

### Сабуръ сквозелистой, и колосистой.

Frutex succulentus utriusque Indiæ, et Africæ meridionalis, et etiam in calidioribus Europæ regionibus crescens. *Cl.* Hexandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Liliaceæ L. Asphodel. J. Perennis. *Usualis est:*

Gummiresina, est succus inspissatus, *Ruthenice* Сабуръ, qui si bonus, est levis, splendens, pellucidus, et nigro-rubens, comminutusque colorem ex aureo-fulvum exhibet, non modo ex hac; sed etiam Aloë spicata secundum Cl. Thunberg (optimum præbente) obtentus. Ex insula Socotora oceani orientalis, facta optione, præferri debet *hepaticae*, vel *barbadensi*. *Caballina* salivariis destinatur. Subinde adulteratur *gummi Acaciae verae*, *succo Glycyrrhizae glabrae*, et *echinatae*, vel *baccarum Pruni spinosae spissato*, *resina*, et id genus aliis, sed tum *odor* est debilior, *sapor* minus amarus, in pulverem redacta non habet aureo-lutescentem, gratum sinceræ *colorem*; vel *succo*, expressione ex insula Barbadoës obtento viliori, vulgo *Aloë hepatica*, vel parte post expressionem residua *Aloë caballina* vulgo dicta, quæ tam *odoris* quam *saporis* sunt molesti, vel *pice*, (prunis injecta) semet prodente, proprio *odore*.

Q. Heroica, a principio magis extractivo, quam resinoso derivanda. *Odoris* submyrrhini, guttur vellicantis, *saporis* amaro nauseosi.

V. Pro ratione dosis peptica; excalfaciens; cathartica; anthelmintica; menagoga, in vasa præcipue hæmorrhoidalia, et majora intestina agens.

U. In primis in asthenia, et hinc proveniente insensibilitate, laxitateque intestinorum, atque accumulatione in iisdem muci invaluit, ut nevroblacicus status plexuum abdominalium organorumque, ad quæ nervi tendunt, tollatur, quem in finem additur, pro re nata, *radix Rhei p.* varia *Ferri* præparata, *Cucumeris Colocynthidis extractum*, et id genus alia, *Sapo*, *Submurias Hydrargyri*, idque adtemperata, vel roborandi, vel alvum ducendi scopo, dosi. Alii ictero, hypochondriasi, hydropisi, rhachitidi, atrophiæ, alvo habitualiter adstrictæ; in iis præsertim, qui sedentariam agunt vitam, et imbecillo laborant stomacho, obponunt eandem. Quid in ciendis sanguinis profluviis valeat, ejus in hæmorrhoide, et menstruis provocandis potestate, liquido perspicitur. Amenorrhœæ profecto opitulatur, si ægra non est mobili nervorum systemate prædita, sed flaccidi habitus, segnis, pallens, atque pituita abundans, præsertim in connubio *amarorum*, aliorumque *catharticorum*; prægnantibus ob metum abortus, aliena. *Catharticon* quoque animalia ventris subducens præbet. Notatu dignum est *Tartratis Stibii et Potassae* additione vim ejus catharticam intentiorem reddi. *Extrinsecus* ulceribus atonicis, putescentibus, cariei, otorrhœæ admota, aut epiphoræ (grano oculis inflato) occurrit.

D. Scopo *irritandi:* granum; *eccoprotico:* grana duo; *cathartico:* a quatuor ad decem grana, vel simpliciter per se, vel pro re nata, cum aliis *catharticis*, vel cum *aromaticis*, aut cum *amaris*, vel cum *menagogis*, *Ferro*, *gummiresina Myrrhae*, vel in solutione in *Alcohole*, vel in *pilulis*.

V. *Clyster Aloës; — — compositus; Pilulae Aloës; Pilulae ejusdem et Stalagmitidis; — Aloës foetidae.*

# ALTHÆA OFFICINALIS.

Просвирнякъ аптечный.

In Europæ subhumidis, argillosis. Copiose in Chersoneso-taurica, et Caucaso, ad rivulos et fossas, crescens. *Cl.* Monadelph. *O.* Polyandr. *O. N.* Columnifer. L. Malvac. J. Perennis. *Usualis est:*

Herba, foliis tomentosis, oblongo ovatis, obsolete trilobis, dentatis; Radix crassitie calami scriptorii, et maiori interdum, *extus* subgrisea, interne alba. Frequenter ei, aut errore, aut dolo, Lavatera thuringiaca, substituitur; qua tamen medicamentosior est Althaea. Prior differt *calyce* exteriore trifido, *foliis* subtomentosis, trilobis.

Q. Mucilaginosa. Dimidia fere *radicis* pars est blanda *mucilago*, quæ coquendo cum *aqua* extrahitur. *Folia* minus *mucilaginis;* plus vero *extractivi principii* habent. *Radix* est *inodora; gustatu* vero copiam subdulcis *mucilaginis* dimittit.

V. Nutriens; emolliens; demulcens. Agit mechanice, vel stimulos involvendo, vel ab iisdem arcendo organicas partes, aut diluendo acre, debita liquidi, qua præbetur, quantitate.

U. In nevrantistasibus sthenicis, in ophthalmiis siccis, vel illacrymatione acri stipatis, per modum *fomentationis* e *mucilagine* tenui adornandæ, in inflammatione mammularum, et tuberculis hæmorrhoidalibus sensificis. Adhibetur quoque ad resarciendum naturalis *mucilaginis* dispendium, hinc raucis, tussiculosis, hæmoptoicis, phthisiscentibus adcommoda, vel sub forma *decoctus*, vel *pastae*, vel *syrupi*. In angina gargarismatium e decoctura utile, haud secus ac in blenorrhagia iniectio ex eadem tepefacta, internoque usu adiuta. Ita quoque in diarrhœa, et dysenteria laudatur, haud secus ac in dysuria et spasmis urocystidis a calculo, vel venenis. Concisæ atque *aqua*, vel *lacte* decoctæ emolliendis, maturandisque tumoribus inflammatoriis, haud impar est cataplasma. *Foliorum* eadem ratio; sed minus, ut dictum est, mucilaginis continent.

D. Sicilicus, (drachmæ duæ) vel semuncia *radicis*, vel semuncia, aut uncia *herbae* ad dimidias libræ *aquae* incoquitur, adjectoque melle exhibetur vasculis, vel selibra *decocturae* sumitur pro clystere.

V. *Decoctura Althaeae; Species ejusdem compositae.*

## AMOMUM CARDAMOMUM.

### Elettaria Cardamomum (Maton).

### Имбирь стелющійся; Кардамонъ.

Indiæ orientalis, nominatim Javæ, Ceylonæ, in locis crescens nemorosis ad radices montium sitis. *Cl.* Monandr. *O.* Monog. *O. N.* Scitamin. L. Cannæ. J. Perenn. *Usualia* sunt:

Semina, capsulæ triquetræ utrinque acuminatæ, longitudine semipollicari, pericarpio fragili ex luteo subfusco, et *seminibus* aromaticis nigricantibus instructæ, quæ *Cardamomi minoris fructus* (*Ph. Ross.*) vocantur. Venalibus, interdum vetusta, verminculosa, semihiantia, marcida, situm redolentia, rei medicinæ aliena, admiscentur.

Q. In volatili præcipue oleo residens. *Sapor* acris, aromaticus; *odor* fragrans, acceptus.

V. Stimulans permanens; calefaciens; tonica; anthelmintica?

U. In debilitate ventriculi; dyspepsia; cardialgia; enterodynia flatulenta; chlorosi; tænia? laudantur. *Semina* masticata fœtentem animam reddunt gratiorem. Sæpius in connubio *amarorum* exhibentur.

D. Pulveris grana quinque ad scrupulum.

V. *Pulvis aromaticus.*

## AMOMUM ZINGIBER.

### Имбирь бѣлый.

Planta in India Orientali, insula Madagascar, Guinea, et aliis Africæ occidentalis regionibus crescens. *Cl.* et *O.* præcedentis. Perennis. *Usualis est:*

Radix, ramosa, nodosa, compressa, rugosa, ponderosa, *extus* cinerascens, *intus* alba, maculis lutescentibus, subresinosis, fracturæ subfibrillosæ. Decorticata pro usu medico, in umbra cautius siccanda. Levis, vermibus exesa, fragilis, intus nigrescens, vetusta, rejicienda.

Q. Præstantissima, atque Cl. Neumanno probante in *extractivo*, et *resinoso* principio; non vero, ut quidam volunt, in *oleo volatili* residens. *Odore* aromatico, non ingrato quidem; ast nares ita lacessente, ut pulvisculo in superficie separabili, sternutamenta provocare queat. *Sapor* masticatæ *radicis*: peracer, os fervoris sensu adficiens. Alii *oleum volatile* ad nonagesimam sextam sui ponderis partem tenere arbitrantur.

V. Irritans, in primis intestinalem canalem, ejusque peristalticum motum intendens, hinc *pepticarum* auxiliaria, tonicaque. Interdum leniter lotium, et transpirationem auget, rarius, dum masticatur, salivam, neque sic, ut cetera *aromata* excalfacit, eiusque effectus sunt durabiliores.

U. Principio suo acri in organon respirationis agit, hinc vis ejus medicamentosa, in accumulatione pituitæ; pertussi; tussi stomachica, titillatoria, (cum *melle*) elucet. Uvulæ e pituita nimis prolongatæ, justa sedes, et magnitudo *pulvere radicis A. Zingiberis* per manubrium cochlearis admoto, et eodem cum *Supersulphate Aluminae* et *Potassae* adhibito restituitur. Languenti neuroblacia ventriculo calcar addit, hinc in omnibus iis morbis, qui hinc originem ducunt, vel his cum molestiis sunt coniuncti, ex. gr. bradypepsia, anorexia, enterodynia flatulenta, arthrodynia, tympanitide etc. opitulatur. Materiam arthriticam radice decocta lacte, sumtaque, ad extremitates inferiores relegari nuperrime didicimus. (Bangs.) Inter *lexipyreta* referri posse existimabatur, rectius inter *aromata*, *cortici Cinchonae*, ne ventriculum molestet, addi solita, locum occupat. (Heberden). In odontalgia *tinctura ejusdem* gossypio instillata, et gingivis admota, mollimentum, educta saliva, præstitit. (Niemann.) *Conditum A. Zingiberis* exoticum, confectum e sicca *radice*, a pistoribus dulciariis in Europa, merito præfertur. In

pulverem redacta, et *Alcohole* humectata, paulum incenso et postea extincto, ut valde rubefaciens, (cum scilicet celer irritatio intenditur), commendari meretur.

D. In pulverem tenuata, a decem ad quindecim grana exhibetur; ventriculo autem viscida colluvie onerato, *Sales neutri* adduntur. Interdum *mel* adjicitur, et tum fit remedium *Zingiberis syrupo* succedaneum.

V. *Syrupus Zingiberis.*

## AMYLUM TRITICINUM.

Крохмалъ; Трухмалъ.

Principium farinaceum, e *farina seminum Tritici*, aqua frigida, relicto *principio glutinoso*, et *saccharino*, elicitum, vel prævia fermentatione *seminum*, eorum conquassatione, et edulcoratione pulveris præparatum.

Q. Pulvis subtilis, albus, inodorus, *saporis* farinacei adfusa eidem *aqua cocta* in *mucilaginem* (pultem viscidam) solubilis; *frigida* vero solvi nescius, neque colorem *tincturae Parmeliae Roccellae* in rubrum mutans.

V. Obvolvens; glutinans; exsiccans.

U. *Amylum* clystere injectum, in diarrhœa, dysenteria, tenesmo, cholera, enterodynia, et spasmis abdominis, additis præcipue congruis e. g. *opio* valet. Pulvis *Amyli* excoriationibus recte adspergitur; ast comprehendendis catapotiis, ne nimis indurescant, alienus.

D. Sesquidrachma *Amyli* adultis in clystere, in calidæ *aquae* libra, rite colata, subterdatur.

V. *Clyster Amyli*; — *nutriens*; — *opiatus.*

## ANETHUM FOENICULUM.

Foeniculum vulgare. Hoffm.

Укропъ; Копръ Волохскій.

In Rutheniæ australis rupibus cum primis cretaceis. In planitie provinciæ Schirvan, circa oppidum Schamachi, ita copio-

sum, ut Ruthenicus exercitus, castris, anno 1796, mense Novembri, sub hoc oppido, positis, per octiduum plantæ hujus caulibus emarcidis, ferme solis, ligni vice, usus sit. *Cl.* Pentandr. *O.* Digyn. *O. N.* Umbellat. L. Umbellifer. J. Perennis. *Usualia sunt:*

Semina, ovato-oblonga, *hinc* convexa, lineis quinque rotundatis, elevatis, pallidis, notata, *inde* plana, bipartibilia, duas lineas longa, pallida. Intermixta quandoque inveniuntur *semina* immatura, vel et corrupta, odoris et saporis expertia, quæ rejicienda sunt.

Q. Præstans: in volatili *oleo,* non acri, residens. *Odor* subaromaticus; *sapor* aromaticus dulcescens.

V. Carminativa; bechica; lactifera.

U. Ut leniter irritantia nervos canalis intestinalis, infantibus, ventriculo perinfirmo, enterodynia, cita alvo, pituita laborantibus, cum *Magnesia,* exhibentur. In asthmate, tussi catarrhali et pituitosa, screatus levant, præsertim cum *Suboxydo Stibii hydrosulphurato* etc. vel in *infuso* cum *radice Inulae Helenii*, *Althaeae officinalis, Tussilaginis Farfarae.* In Italia copiosissime colitur Foeniculum dulce, et planta junior cum *radice,* et *herba* frequenter ibi estur cruda, cum *Muriate Sodae,* et *pane,* (Labat.) Apud nos *semina* pulverata cum *Subcarbonate Magnesiae, cortice flavo fructus Citri aurantii,* ad lac nutricum, vel deficiens, vel suppressum, dantur augendum.

D. *Seminum* pulvis a scrupulo ad semidrachmam. Pro infuso drachmæ duæ in selibra *aquae. Olei* volatilis guttæ duæ ad sex; aquæ vero unciæ tres.

V. *Aqua Anethi Foeniculi; Elaeosaccharum——; Oleum—— volatile.*

## ANGELICA ARCHANGELICA.

Archangelica officinalis (Hoffm.) Angelica sativa. Ph. Ross.

Дягиль; Дягильникъ; Коровошникъ.

Pl. in Russia boreali, Lapponia, Islandia, plerumque in montosis, et ad ripas fluviorum, iisdem proximorum, crescens. *Cl.* Pentandr. *O.* Digynia. *O. N.* Umbellat. L. Umbellifer. J. Biennis. *Usualis est:*

Radix, fibrosa, rhizomate oblongo, crasso, *extus* ex flavo rubens, in superficiebus segmentorum transversorum alba, maculis numerosis, flavis, *oleo volatili* repletis, punctata. Vernali tempore, foliis radicalibus propulsis, effodienda. Si, ineunte vere, incidatur, *succum* flavum fundit, qui siccatus *gummiresinam* præbet, virtutibus *Angelicae* medicamentosis, abunde dotatam. Ab Angelica sylvestri, perenni, minus efficaci, quæ interdum *A. Archangelicae* dolose subrogatur, probe distinguenda. Sylvestris nascitur in locis subhumidis, habetque flores rubellos, et foliola æqualia ovato-lanceolata, serrata, cum *altera* floribus gaudeat virescentibus, foliorum impari lobato, ejusque *radix* sit admodum tenax, multoque fragrantior, exhibeatque copiosa puncta flava, transversim secta. Folia.

Q. Stirps omnibus partibus aromatica, et *Moschum* quodammodo redolens. *Radix* præter *Camphoram*, *extractivo principio*, *resina*, et *oleo volatili* nititur. *Odor* fragrans; *sapor* aromaticus, acris, excalfaciens.

V. *Radicis*, stimulans, sudorifica; *masticatae:* movens salivam, *foliorum*, secundum experimenta cel. Pringle: antiseptica.

U. In morbis asthenicis, stimulo egentibus, typhodibus, in primis contagiosis, præsertim ubi actio in cutem e re fore censetur. In paralyticis adfectionibus. In myodynia rheumatica, ubi transpirationis ratio habenda. Ita in collectionibus pulmonum pituitosis, catarrho chronico, asthmate, cum *Suboxydo Stibii hydrosulphurato*, *radice Inulae Helenii* etc. Lappones tussi, raucedine aliisque pectoris morbis vexati, *caules Angelicae*, cineribus calidis assatos, edunt. (Siellstrom.) Ceterum A. Archangelica, Dorsteniae Contrayervae, Valerianae off. et *A.* Serpentariae æquivalet, iisque, ubi hæ desunt, apte substituitur.

D. Rarius in pulvere a decem granis ad scrupulum datur, justius infusi aquosi (rubro-purpurascentis, nec *Sulphate Ferri* nigrescentis) e semuncia cum *aquae* unciis octo parati, secunda quaque hora, cochlearia duo, exhibentur.

*F. Infusum Angelicae.*

## ANTHEMIS NOBILIS.

### Chamomilla romana. Ph. Ross.

### Ромашка Римская; Пупавка.

Europæ australis, in pratis quoque Rutheniæ temperatioris spontanea; alibi vero hortensis, *foliis* bipinnatis, *foliolis* bipartitis, lineari subulatis, subvillosis, *flore* pleno. *Cl.* Syngenesia. *O.* superflua. *O. N.* Composit. radiat. L. Corymbifer. J. Annua. *Usuales sunt:*

Flores, compositi radiati, receptaculo fere plano, paleaceo, floribus *disci:* in spontanea flavis, aromaticis; *radii* vero numerosis, brevibus, fere insipidis.

Q. Egregia in *oleo volatili*, et *extractivo amaro* sita. *Odor* suaveolens, *sapor* amarus.

V. Tonica; sudorifica; antispasmodica; hystericis grata.

U. In hypochondriasi; hysteria; amenorrhœa; vomitionibus puerperarum; doloribus post partum; enterodynia spasmodica ab inflatione. Olim in dialeipyris magni pendebantur, scrupulo eorundem, quarta quaque hora, exhibito. *Extractum* admodum amarum variis eiusdem indolis medicinis sub forma *pilularum*, vel *electuarii* exhibetur. *Oleum* est præstans antispasmodicum.

D. Decem *flores*, et plus ad libram *bullientis aquae interne*, *externe* per modum *clysteris*, et *fomenti*. *Infusum concentratum* multis nauseam movet.

*F. Extractum Anthemidis nobilis*; *Oleum* — —.

## APIS MELLIFICA.

### Пчела.

In Russia ubivis, præsertim in apiariis; libentius tamen in australi, quam ceteris Ruthenici Imperii oris. *Cl.* Insecta. *O.* Hymenoptera. *Usualia sunt:*

Mel, seu *mucilago* vegetabilis *oxydata*, spissa, subpellucida, filamentorum instar ductilis, ab apibus e nectariis *florum* col-

lecta, atque in earum corpore quodammodo alterata. a) Habetur ope secretionis, *Mel saccharinum (narbonense)* referens substantiam admodum albidam, granulosam, suaviter olentem. b) *Mel album*, seu *virgineum* vulgo dictum, sponte e favis juniorum insectorum exstillans. c) *Mel commune* seu *crudum*, calore pressioneque e cellulis apum ceraceis prolicitum. Cera materia vegetabilis propriæ indolis, quæ ab apibus collecta, et in apiaria deposita, solidam favorum substantiam constituit, iisque, separato antea *melle*, *aqua fervida*, liquefactis, obtinetur, et *Cerae flavae*, vel *crudae*, nomine insignitur. Ubi vero *cera cruda* per aprications sub frequenti aquæ adspersione, colore flavo orbata, ac indurata est, *Cera alba*, dicitur. Inter *vegetabilia*, et *animalia olea*, medium tenet *Cera*, *illa* majori quantitate *oxygenii*; *haec* vero *carbonici* superans, pro cujus ratione, etiam consistentiam obtinet. *Mel purum* commiscetur interdum cum *impuro*, fermentationem perpesso, acescente, amaricante, humorem redolente, vel *mucido*, bullas e superficie sua emittente, æquoque validius expresso, usui medico minus apto; adulteratur vero *aqua*, et tum cito diffluit effusum; ita etiam *radicibus Dauci Carotae*, aliisque *dulcibus succis*, quo in casu turbidum redditur, neque amplius ad modum filamentorum ductile, multumque, mutato jam odore, sedimenti deponit; subinde etiam *Amylo* tenuius contuso, aut *farina miliaria*, aut e *pisis*; sed tum fraus striis albis proditur, et sedimento, solutione aquosa, farinaceo. *Cera*, si *resinis* adulteretur, tum fraus *Alcohole* eas solvente detegitur; si vero aut *farina*, aut *terra* eidem admista sunt, quum liquefit, fundum illa petunt. *Sulphur* adjectum, proprio se, in prunis, prodit odore.

Q. I. *Mellis:* saccharino-mucilaginosa. *Odor* ejus fragrans, isque haud raro plantas, e quibus legitur, redolet. Allium ursinum e. g. suum nauseosum cum eo communicat *odorem*, ita etiam Tiliae, et Rosmarinus, sibi proprium. *Mel tauricum* in Russia odoratius, saporeque est proprio dulci. Quod sub torridis zonis e *narcoticis plantis* legitur ab apibus, est veneniferum. *Azaleae ponticae flores* nectare scatent *hydrogeneo-carbonico*, unde *ve-*

*nenatum mel* parari ab apibus, certum est. *Mel*, acido excepto, quod in eo minus obtunditur, parum a *Saccharo* discrepans, solvitur, ut hoc, in *aqua* et *Alcohole diluto*, nec non *sale essentiali* pariter, et substantia viscoso-oleosa, teste PLENCKIO, constat. 2. *Cerae* oleosa qualitas: Odoris *cera alba* expers; *flava* vero *odorem*, uti et *saporem*, *melli* analogum, præ se fert. *Alcohole* et *Aethere sulphurico* ope caloris solvitur ceræ $\frac{1}{20}$, ex qua autem non parum expost fundum rursus petit. *Aqua* non multum e *cera* extrahitur. *Principium ceriferum*, quod tanquam vernice amicit plures fructus, ut *pruna*, et observante meritissimo equite ab HUMBOLDT CEROXYLON ANDICOLAM, modo corticis, ambit, apes, præsertim ex polline plantarum, colligunt. Liquescit *cera* ad 140° F. th.

V. *Mellis:* nutriens; demulcens; deobstruens; expectorans; laxans; diuretica; antiseptica; extrinsecus maturans. *Cerae:* emolliens; involvens, non omni balsamica parte expers. (NIEMANN.)

U. *Mellis*, misturis resolventibus additi, in morbis pulmonum asthenicis, pituitosis, præsertim sine febri, atque substatu catarrhali, in *aqua A. Foeniculi*, adjecto *Suboxydi Stibii hydrosulphurati* tantillo, solutum, huic fini optime respondet. Phthisi confirmatæ alienum. Nephralgiæ cum *Oleo*, et *Sapone* a quibusdam Britannis obponitur, forsitan et *gas carbonici* ad vias uriniferas, ut quidam volunt, evolutione, proficuum. Hunc in finem partem *Olei olivi*, cum quatuor partibus *Mellis* commiscent, et cochleatim propinant alii. Nec in splanchemphraxi abdominali illaudatum. *Aqua* dilutum, et largissimis haustibus epotum *mel*, ad superandam acrium ingestorum ferociam, perquam efficax esse DIOSCORIDES contendit. Propter facilem fermentationem flatus gignit; digestionem impedit in imbecillis, et alvifluxus ciet. *Extrinsecus* collo inunctum utile esse censetur in variis anginis, tussi catarrhali, asthmate chronico; uti et abdomini eodem modo adplicatum, infarctus hypochondriacorum resolvere, lumbricos enecare fertur. (RHEDY.) In *gargarismatibus* et *collutoriis* cum herba *Salviae officinalis*, *floribus Sambuci n.* herba *Malvae rotundifoliae*, et *sylvestris*, vel ad maturandos abscessus adhibetur cum *radice* recenti *Allii Cepae*, *farina*, *stig-*

*matibus pistilli Croci sativi*, vel ad depuranda ulcera, præsertim scorbutica cum *gummi resina Myrrhae*, *extracto corticis* viridis *fructus immaturi Juglandis regiae*, *balsamo pineo-laricino*, vel clysteribus adjicitur cum *sero lactis*, *infuso florum M. Chamomillae*, vel ad resolvendam mammarum *lacte* turgescentium duritiem cum *Conii m. foliis*, rite in pulverem tenuatis, subterdatur, aut *secalino farre* subactum, forma *emplastri*, vel *cataplasmatis* phlegmone, furunculis, admovetur. *Mel* cum *balsamo pineo-laricino* simplicissimum efficit remedium ad ulcera detergenda, vigoremque in eis exsuscitandum. Cum parva *bilis taurinae*, et *Sulphatis Zinci* portione commistum, maculis corneæ; præprimis vero nephelio, etc. medetur; neque minus in *Alcohole diluto* solutum, ossa cariosa denudata sanat. (Plenck) *Cerae* quoque *usus* multiplex: *flava* soluta, et excoriationibus interaneorum, diarrhœis, dysenteriæ (addito, suboriente putrida diathesi, tantillo *Acidi sulphurici*) tenesmo, hæmorrhagiæ intestini recti ab acri, obponitur. Suffimen etiam ex ea phthisiscentibus utile esse perhibetur; (Billard.) quod tamen inflammatorio statui, et vomicis alienum. (Morin.) *Pileola* pro obtegendis papillis mammarum excoriatis *ceracea* parvi momenti sunt, cum cito mollescant. Globulis e cera, admotis vasis læsis, hæmorrhagia a dente evulso, et ea, quæ paracenthesin insequitur, apte cohibetur.

D. Pro *usu interno mellis* drachmæ aliquot exhiberi possunt ad semel; in nephralgia autem duæ etiam unciæ per diem. Pro clystere semuncia, vel uncia sufficit. *Scopo electuarii*, pro uncia *pulveris*, binisque unciis *aquae*, tres *mellis* unciæ, sumuntur plerumque. *Saccharum*, dum licet, *melli* præferendum; hoc enim interdum enterodyniam, et tormina producit. *Cera* a scrupulo ad semidrachmam pro dosi, nempe cum quatuor *syrupi* partibus colliquefacta, vel cum *solutione gummi Acaciae verae* in *aqua* fervefacta commista, vel cum *vitello ovi* contrita, addito quopiam pingui *oleo*, e *mucilaginosa* quavis potione, v. g. *decoctura polentae avenaceae*, sumitur. Alii *ceram* cum *lacte* liquefactam propinant; sed id improbandum.

V. *Ceromel; Empl. simplex; Mel despumatum; — rosatum; Mist. Cerae adstringens; Oxymel; Cerata; Emplastra; Unguentaque varia.*

## A Q U A.

### Вода.

Universale elementum, sicut et *aër*, *aqua* habetur, uberrimum, tum propter plantas, tum propter animalia, vitæ pabulum. Omnem terrarum orbem circumdat, estque omnibus organicis corporibus, quæ absque illa, neque oriri, neque ullo modo existere possent, et pro initio, et pro valido nutrimine. Solvendo præsertim agit, proinde commune omnium rerum menstruum, sicut et omnium, tum mere chemicorum, quum organicorum quoque processuum, maximus dicitur fons, et sedes.

Q. Veteribus pro simplici quodam elemento habita est; adcuratissimis vero Lavoysieri investigationibus, et experimentis constare 86,733 Oxygenii, et 13,267 Hydrogenii partibus perhibetur, atque ad corpora composita semiusta merito refertur. A 1° ad 80° *Reaum.* therm. adparet fluida, mobilis, *insipida* est, si a peregrinis partibus libera, *inodora*, penetrabilis, omnisque elasticitatis expers, continetur autem, quod ad specificum aëris pondus, ut 1: 856. Ad ignem facile effervescit, remotoque calore refrigeratur, in quiete nullum offert sedimentum, *liquore alcalino*, et *solutione Argenti* guttatim infusis, non fit turbida. Sub tribus præcipue diversis formis, *vaporosa* scilicet, *fluida*, et *solida*, ut sub specie *pruinae*, *nivis*, *grandinis*, *glaciei*, *imbris*, *roris*, *pluviae* in athmosphera occurrit, totumque continentem lavat, et varie illum dividit.

V. *aquae* medica, secundum varium ejus caloris gradum, varia; *frigida* enim adinstar electricæ vis, ut rite Illustr. Hufelandus observavit, excitat partes corporis, atque infirmatis robur quoddam ingerit, leviter irritat, comprimit: *tepida* autem relaxat, resolvit, concoquit, salivam lotiumque movet; sæpe vomitum ciet.

U. *Aqua frigida interne* exhibita, ob vim suam comprimentem, sistit hæmorrhagias a relaxatione vasorum ortas, hæmatemesin etiam, hæmoptysin, atque ipsam metrorrhagiam, nulla scilicet corruptela, et destructione organica, præsente. In hystericis, atque hypochondriacis, mirum quantum, levaminis præstat; in ictero etiam curando, teste SUMMAIRE, magnam ferre opem, neque non prodesse posse, in tæniæ insultibus, et cruciatu, merito creditur; *tepidam* autem *aquam* nauseam facere, movere vomitum, et illum facilitare, vel tritissimum est, et larga dosi hocce scopo porrecta, omnium vomificiorum præstantissima jure habetur; leni enim agit modo, nullas producit molestias, et bene dissolutis in intimis ventriculi contentis, faciliorem eorum evacuationem promovet. Præterea optimo plurimorum medicaminum, ad *usum internum*, quum vehiculo, tum menstruo, inservit, latissimi quoque est, et domestici, et pharmaceutici usus. *Usus aquae* in medicina *externus* non minoris etiam est amplitudinis: *Lotiones*, et *balnea frigida*, atque *tepida* variis modis instituta, non solum munditiem, optimum sanitatis præsidium, conservant, verum etiam, et in multis, vel gravioribus curandis morbis, magni æstimantur. Sic exanthemata, et ulcera chronica cacoëthea, diu moleste durantia, validisque remediis resistentia, ablutionibus e *frigida* atque *tepida aqua* identidem institutis, omnino devicta exterminataque fuisse prædicavit SMITHIUS. Sanguinem e partibus corporis externis, post vasorum læsionem, effluentem, *frigida* cito sistit *aqua*, et varias ecchymoses, et sangvineas maculas, ni scilicet scorbuticæ sint indolis, discutere sæpissime valet. Gravissimo oppressi neruoso typho, Britannorum suasu, aliquoties in *frigidam* immersi *aquam*, brevi tempore perfectam recuperavere sanitatem. Atrox ac rebellis cephalalgia, MAYERNE testante, facillime domatur *frigida aqua*, ubertim in caput effusa, vel guttatim in rasam ejus partem stillata. In mania curanda *balneorum frigidissimorum*, nec non *embrocationis* solius, vel supra caput ex alto *fusionis*, aut etiam topicæ, vel totius corporis *ablutionis* simplicis, maxima efficacia passim laudatur.

Lypothimia, vel syncope adfecti, *aquae frigidae*, per vultum et pectus adspersione, facile excitantur, atque sensibus restituuntur. Multa *aquae tepidae* merita, in plurimis infantum præcipue, tum convulsivis, tum spasmodicis adfectionibus, disertissimi auctores: Girtanner, Levret, Rosenstein et alii testantur. Adhibetur etiam *aqua tepida*, sicut et *frigida*, ad *clysteres*, tum *diluentes*, tum *irritantes*, tum ad *humidas* quoque *fomentationes:* sic topice adplicata topicæ etiam debilitati occurrit, ut vasorum e. g. sanguiferorum atoniæ, encephali etc., atque frequentissimum est quoque remedium, post capitis læsiones, in tumoribus sanguineis; in commotione atque extravasatione cerebri; in phrenitide; apoplexia etc. In enteritide, dysenteria, ischuria, atque aliis multis inflammationibus topicis insigne adfert levamen. In arthrodynia et variis affectibus, spasmorumque modis, incredibile dictu, quam salutarem præstet effectum. Quam largus *balneorum* usus paucis enarrare difficile est. Dividi illa possent, Marcardio præeunte, in *calida* et *tepida*, *frigidula* et *frigida*. *Prima* scilicet nominantur, quorum temperatura caloris gradum in sanguine humano XCVI° apud *Fahr. therm.* designatum, superant; *tepida* autem vocitantur, quorum temperatura intra XCVI et LXXXV gradum versatur. *Frigidulorum* nomine, a LXXXV° ad LXV° descendendo, insigniuntur; quæ vero infra sunt, *frigida* appellantur. *Calida balnea* relaxant cutem, detegendo aperiendoque poros, transpirationem movent, atque calorem augendo, celeriores reddunt arteriarum micatus, et cum *aquae* in corpus instillationi, vasorum ope absorbentium, maxime faveant, humorum igitur dilutionem, et ipsius sanguinis rarefactionem efficiunt; sitim optime frenant, eaque immodice adhibita, perfectæ debilitatis speciem, relinquunt. *Frigida balnea* ex obposito nervos valde afficiunt, excitant; partes solidas comprimunt; telam cellularem adstringunt, et clausis poris cutaneis, exhalationi obicem ponunt, atque ob imminutum calorem, pulsum insigniter retardant. Nostris temporibus efficax *balnei frigidi* usus, in pluribus febrilibus adfectionibus, cum perver-

sa irritabilitate junctis, frequentissimus. Ill. Hufelandus inter prima diaetetica neonatorum remedia *balneum frigidulum* refert. Optime autem adhibentur *calida* atque *tepida* illa, universalia sic dicta, in exanthematibus chronicis atque febrilibus, in cutis conspicua ariditate omnibusque adfectibus, vel a sudore interrupto, vel ab exanthematibus retropulsis, gravatim prodeuntibus, oriundis, in myodynia rheumatica chronica, ileo etc. Partialia autem *balnea*, ut *manuum*, et *pediluvia* eximiæ sunt utilitatis in sanguinis ad caput congestionibus, in pertinaci cephalalgia aliisque ab adcumulatis versus superiora humoribus, adfectionum modis, derivandis. *Balneum vaporarium* (ruth. dictum *Баня*), in imperio Ruthenico usitatissimum, calidis illis longe efficacius perhibetur; mirum autem in modum in resolvendis tumoribus frigidis, catarrho pulmonum, myositide rheumatica, præcipue in otalgia, hæmorrhoide et amenorrhœa, (menstruorum suppressione) psora, capitis tinea, achoribus, phthiriasi, et in aliis plurimis morbis, efficax esse, perhibetur.

D. illius pro certo statui non potest; varia enim est, pro vario sitis, et necessitatis, gradu. Usitatissima *praeparata pharmaceutica* atque maxima *eorum* pars hujus ope *fluidi* commodissime perficiuntur; cum autem *aqua* omnino *pura* nullibi fere, nisi arte illa, quæ *destillatio* dicitur, præparata, inveniatur, et cum varia ei peregrina admixta corpora, multiformiter illam permutare, atque temperare soleant, permagni igitur intererit, si singulis sub speciebus, formisque, anquisitius de illa disseremus.

V. *Aqua depurata; — destillata*, etc.

## AQUÆ ACIDULÆ.

### Воды кисловатыя минеральныя.

a) *Pogromnenses*, in primis in Nertshinscensi circulo Ircutiensis provinciæ prope flumen Udam dictum, trans lacum Baical.

b) *Hypocaucaseae acidulae*, vulgo Кисловодскія воды vocitatæ.

c) *Kutomarenses acidulae aquae*, prope fluvium Cutomaram Ircutiensis pariter (in Sieveria vulgo Sibiria) provinciæ.

Q. Partes illarum sub littera a et c designatarum, constitu-

tivæ, haud satis adcurate investigatæ sunt; in *hypocaucasearum* autem *acidularum aquarum* viginti libris, teste cl. SCHWENSONIO, inveniuntur: 87 grana *Carbonatis Calcariae*, $53\frac{1}{3}$ *Sulphatis Sodae*, $41\frac{4}{5}$ *Sulphatis Calcariae*, $27\frac{7}{19}$ *Sulphatis Magnesiae*, $27\frac{23}{26}$ *Muriatis Sodae*, $12\frac{2}{3}$ *Subcarbonatis Magnesiae*, $2\frac{3}{5}$ *Carbonatis Ferri*, $2\frac{38}{41}$ *Muriatis Magnesiae*, $\frac{1}{4}$ quoque grani *principii extractivi*; præterea *gas acidum carbonicum* 580 unc. cubic. in illarum connubio sæpissime deprehenditur. *Color* prorsus desideratur. Subtilem et suffocantem spargunt *odorem*. *Sapor* acescens, leniter stimulans. Gravitas specifica est 1: 1,025. Temperatura + 10° *Reaum. therm.*

V. *interne* refocillans; refrigerans; sitim restinguens, lotiumque movens, et quod præcipuum est, nauseam vomitumque compescens, *externe:* excitans; alterans; relaxans.

U. *aquarum* earum *Selteranae*, sic dictae, simillimus. Nunquam, nisi *frigidae*, adhibentur, ob præcipuam in iis *Acidi carbonici* vim agentem, quæ in primas præsertim vias, nec non vasa sanguifera, nutrientia et secernentia organa sese exserit: excitant nempe, et refocillant ventriculum, et intestina, succurrunt digestioni, augent motum peristalticum. In vitiis pulmonum et renum corrigendis optime expediunt; sedando autem orgasmum sanguinis, energiam vasorum febrilem, et prohibendo destructivam partium suppurationem, maxime prosunt in phthisi pituitosa, scrofulosa et purulenta; egregio præsertim cum effectu adhibentur in vomitu pertinaci, atque chronico; in dysenteria; in febribus gastricis putridæ indolis; in hæmorrhoide refractaria suppressa; in fœditatibus quoque cutis chronicis, et ipsa podagra; ad urolithiasin denique debellandam, ischuriam et dysuriam levandam curandamque maxime conveniunt. *Externe* applicatæ *fomentationum* forma, optime chronicis, inveteratis, sarcomatosis atque scirrhosis medentur ulceribus, limitant atque tollunt putredinem corporis partialem, absorbent et prohibent fœtidum odorem. Forma *injectionum*, in vagina uteri adhibitæ, leucorrhœæ obponuntur, et suppressa reserant menstrua. *Clysteres* ex iis subtepefacti intestina blande excitant, ideoque in hæmorrhoide mucosa com-

mendantur. Ipsæ denique in his fontibus *immersiones* ob propriam illis, *carbonico acido*, continuo sese ibi evolvente, redundantem atmosphæram non raro gravibus profuisse morbis dicuntur.

D. a libra ad tres et quatuor etiam, de die exhibentur.

## AQUÆ AMARÆ.

### Воды горькосоляныя.

Eximiæ sunt: 1) *Fons Catharinae*, Sareptensis, præcipue *Sulphate Magnesiae*, insignis, prope flumen Rha, seu Volgam.

2. *Pattenhoffiae*, quæ provinciam Livoniam percurrunt, et continent in 20 ℔, *Sulphatis Sodae* 66, *Carbonatis Calcariae* 18, *Subcarbonatis Magnesiae* 14, *Aluminae* 4, *principii resinosi* 8, *Subcarbonatis Sodae* 3, *terrae siliceae* 3. g.

*Color* in genere atque *odor* prorsus desiderantur; *sapor* intense amarus, salinus: pondus specificum, ut 1 : 1,0144. Nulla constans, quantum observare licuit, temperatura.

V. eximia resolvens; cathartica; diuretica; sedans; *Epsomensium*, *Sedlitzensium* et *Seidschützensium aquarum* etc. æmula.

U. Ob purgantes præcipue, quibus pollent, effectus, optime adhibentur: in colluvie mucosa atque primarum viarum sordibus, recte etiam obponuntur congestionibus versus superiora, neque solum vermes pellunt; verum etiam mucum, in quo nidulantur illi, resolvunt atque deponunt; refrigerando autem et sedando, in plurimis catarrhalibus, pituitosis atque rheumaticis curandis adfectionibus, validissime agunt: cum autem non debilitent, quod *salibus mediis* proprium est, maxime igitur hominibus nimia præditis irritabilitate conveniunt, plethoricis nunquam satis commendandæ. Ob eximiam denique leniter resolventem potentiam laudantur in glandularum indurationibus, atque vitiis scrofulosis, pulmonum catarrho ac splanchemphraxi, ictero, urolithiasi, in viscerum abdominalium exulcerationibus, earumque comite, febri quoque hectica, et aliis. Cutis etiam vitia cito corrigere dicuntur: exanthematibus denique præcipue faciei chronicis, plethoricas in primis mulierculas infestantibus, ut usu cognitum est, optime medentur.

D. a libra usque ad tres et quatuor, partitis vicibus, de die, sumenda.

## AQUÆ FERRATÆ

### Воды желѣзистыя.

a) *Lipsienses*, (Липецкія желѣз. воды.) Tambowiensis Gubernii.

b) *Twerenses*, (Тверскія желѣзистыя воды) a Twer dictæ.

c) *Wisokoenses aquae*, (Высоцкія желѣзистыя воды) a viculo Высокое, dictæ, in Twerensis Gubernii, circulo Kaschinensi.

d) *Andreapolitanae*, (Андр. ж. в.) in districtu Ostaschkowiensi.

e) *Kaschinenses* deniqne *ferratae aquae*, (Кашинскія желѣзистыя воды), in oppido cognomini (Кашинъ) Twerensis Gubernii.

f) *Kortsewenses ferratae aquae* (Корчевскія желѣзистыя воды) ab oppidulo Kortsewa Twerensis Gubernii, dictæ.

g) *Simeonowienses ferratae aquae* (Семеновскія желѣзистыя воды) in Serpuchowiensi circulo Mosquensis Gubernii.

h) *Mosquenses ferratae aquae* prope plateam Pokrowka.

Q. Quæ in Lipetzk florent, continent secundum cl. SCHWENSONIUM in libra, *Acidi Carbonici* $3\frac{7}{8}$ cubic. unc. $\frac{139}{230}$ partes grani *Muriatis Magnesiae*, $\frac{367}{624}$ *Muriatis Sodae*, $1\frac{13}{60}$ *Oxydi Ferri*, $\frac{107}{300}$ *Sulphatis Calcariae*, $2\frac{7}{25}$ *Carbonatis Calcariae*, $\frac{11}{25}$ *Sulphatis Sodae*, $\frac{3}{120}$ *principii resinosi*, $\frac{37}{600}$ *principii extractivi* grani partes. Temperatura earum est + 5°, *R. therm.* Quæ circa Tweriam labuntur, continent, cl. REUSSIO tentante, 10,66 *gasis acidi carbonici* cubic. unc. 1,33 *Nitrogenii gasis*, 0,39 *Oxydi Ferri*, 2,81 *Subcarbonatis Potassae*, 3,08 *Carbonatis Calcariae*, 0.22 *Subcarbonatis Magnesiae*, 1,88 *Muriatis Sodae*, 0,40 *Muriatis Potassae*, tum denique 0,31 *Siliceae terrae*, 0.02 *Aluminae*, 0,85 *principii extractivi* partes. Temperatura earum notanda + 6° *R. therm.* In *Wisocoensibus aquis*, idem cl. REUSSIUS invenit, in libra, *gasis acidi carbonici* 2,25, *gasis nitrogenii* 0,66, *gasis oxygenii* autem 0,04 unc. cubic. Præterea inest illis 0,04 *Ferri* et *Mangani Oxyci*. 0,23 *Sulcarbonatis Potassae*, 200 *Calcariae Carbonatis*, 0,05 *Sulphatis Potassae*, 0,05 *Calcariae Muriatis*, 0,23 *Siliceae terrae* et

0,01 *Aluminae*, 0,11 denique *principii extractivi* p. Apud *Andreapolitanas* autem, ill. Severgino teste, in 1 ℔ sunt: *Oxydi Ferri* gr. 2, *Calcariae* 1 gr. *Sulphatis Calcariae* $\frac{1}{2}$ gr, *principii extractivi* $1\frac{1}{4}$; *Magnesiae*, et *Sulphatis Magnesiae* $\frac{1}{4}$ gr. Reussio attestante, in libra 0,09 *gasis acidi carbonici*, atque 0,0238 *nitrogenii* partes; *Ferri* autem et *Mangani oxyda* ad 0,08 grani partem: præterea continent illæ 1,87 *Carbonatis Calcariae*, 0,06 *Carbonatis* et 0,03 *Muriatis Potassae*, 0,17 *principii extractivi*, 0,22 *terrae siliceae* et *Aluminae* 0,01 grani partes. Temperatura est + 4° *R. therm.* *Kortsewenses* continent, teste cl. Reussio *Carbonatis Ferri* circiter 0,15 gr. in 1 ℔. *Simeonowienses* teste Reussio continent in unciis 16 *Carbonatis Ferri* 0,125 gr. *Carbonatis Calcariae* 0,5811, *Subcarbonatis Magnesiae* 0,167, *Sulphatis Calcariae* 0,211, *Sulphatis Magnesiae*, materiæ *extractivae aqua* solubilis 0,138, *materiae resinosae* et *Muriatis alcalini* 0,029, *siliceae* 0,102 gr. *A. acidi carbonici* 0,0296 de volumine *aquae*, A. *azotici* 0,0184, *A. oxygenii* 0,0009. *Mosquenses*, teste cl. Reussio, circiter 0,5 *Ferri* in 1 ℔ continent, et tantundem *A. carbonici*, ut paululum acidulæ sint. *Casimirenses* vero *aquae* sic, ut et *Oloneizenses*, prope pagum Bujhovam, atque aliæ plures nondum satis adcurate sunt investigatæ, et minus dignæ memoratu esse perhibentur. *Aqua ferrata frigida* omnino *coloris* expers; calida vero fuscum in rubrum vergentem sistit: *Odor* subtilis et suffocanti halitu molestus; *sapor* austerus, eum atramenti scriptorii simulans. *Pondus specificum* ut 1 : 10426. *Temperatura* a + 6° — 12° *R. therm.*

V. Irritans; tonum et functionem augens vitalem; vasa aimatopöetica incitans; calefaciens; anthelmintica.

U. In medicina latissimus: cum *Ferrum*, in *aquis* his contentum, tantæ sit efficaciæ, ut granum illius majorem ferat opem, quam scrupulum ejusdem alia forma exhibiti; falsam ideoque esse patet eorum opinionem, qui ab illius in *aquis* hisce quantitate ipsarum actionem in corpus humanum deducendam esse statuerunt. *Aquae ferratae* multimodis in varias corporis

constitutiones agunt; aliis enim valde competunt hominibus, ab aliis ægre feruntur. Phlegmaticis præcipue nunquam satis commendandæ, et iis, quorum fibræ molles sunt et laxæ, habitus corporis flaccidus, atque pallidus, qui sæpius congestionibus serosis atque fluxu mucoso laborant. Alienæ autem esse videntur plethoricis et cholericæ constitutionis hominibus, qui fibras habent rigidas et ad congestiones inflammationesque sunt proclives. Actionem illa exercent validam in digestiva, nutrientia et genitalia organa, præsertim autem in sanguifera vasa et musculos; rite igitur adhibentur in fibrarum muscularium inertia, cruoris atque lymphæ defectu; in hæmorrhagia a laxatione vasorum sanguiferorum, præeunte, in debilitate etiam ventriculi, dyspepsia, cardialgia chronica, vermibus, in hæmorrhoide quoque mucosa, in vasorum etiam lymphaticorum asthenia et glandularum irritabilitate, in diathesi scrofulosa, rhachitide, atrophia, arthrodynia et podagra astheniæ notas ferentibus, in tabe dorsali, leucorrhœa inveterata, chlorosi, in debilitate post morbos atque partus crebriores prægressos, sanguinis uberiores jacturas, ac immodicum veneris usum; in qualibet omnino corporis exinanitione, ex onanismo, in gonorrhœa (stillicidio geniturae); in vitiis etiam oculorum a mera debilitate pendentibus. Impotentiæ quoque virili eas optime succurrere, ac fœmineam sterilitatem tollere posse vulgatissima fert opinio. Gravidæ vero haud raro has respuunt *aquas*, quippe quæ abortum post se trahere creditæ sunt.

D. A libra ad bilibram et tres libras de die, vicibus partitis. *Externe* adhibentur forma *balneorum* magno cum successu.

## AQUÆ FLUVIALES.

### Воды рѣчныя.

Superficiem terræ scindunt, supraque illam, ad communem aquarum fundum, tendunt.

Q. Continent in primis *aërem atmosphæricum*, *carbonicum acidum* et minimam saltem *Carbonatis Calcariae Muriatisque Sodae* partem; atque, si lectis sabulo superstratis effluunt, puriores *fon-*

*tana* evadunt, si antea supra lutum volvuntur, sæpissime *Aluminam* mechanico modo eis junctam videbis. *Color* earum subturbidus, ceterum sunt *inodorae*, *insipidae*.

V. *externe:* tonica; adstringens; *interne* vero aperiens lotiumque movens, atque sitim restinguens.

U. amplissimus tum *diaeteticus*, quum etiam *pharmaceuticus:* pro conficiendis quippe cibis et medicamentorum præparationibus adprime utiles sunt. *Extrinsecus* autem *aqua* hæc *balnei* forma, rite admota, longe majorem et salutarem efficaciam exserit: frequentissimæ sunt in fluviis, tempore æstivo, *immersiones*, atque maxime conveniunt in systematis nervosi atque glandularum atonia, in perversa vasorum sanguiferorum incitabilitate, in debilitate totius corporis, seu nonnullarum illius partium: ut in paraplegia, impotentia virili, uracratia, scrofulis, rhachitide, atrophia infantum, rheumatica myodynia chronica, et in aliis pluribus morbis.

V. *Aqua destillata etc.*

## AQUÆ FONTANÆ.

### Воды ключевыя.

E fundo terræ stillant, et montibus delabuntur, prata plerumque permeantes, lavantesque.

Q. Atmosphæricus eis *aër* cum *Acido carbonico* et *Calcariae Carbonate*, *Muriateque Sodae* ingestus est. Non raro etiam *Calcariae Muriate*, *Sulphate Potassae*, *Carbonate Sodae* et *terra silicea*, tametsi paucissima in quantitate, (secundum Bergmannum enim 0,00004 solummodo illius parte) scatere eas compertum sit. Qualitas sane præstans. *Aqua fontanea* claritate sua crystallum æmulatur, si *frigida* est; *calida* vero in turbidum colorem vergit. *Odor* nullus; *sapor* subausterus, vix sensibilis; gravitas illius specifica, ut 1 : 1,0002; temperatura a + 6—8° circiter *R. therm.*

V. Refrigerans; lotium alvumque movens; *externe:* excitans, adstringens.

U. tum *externus*, tum *internus*, præcedenti similis. Cum autem longe majori vi aperitiva prædita illa sit, optime igi-

tur in colluvie intestinorum sordida, organorum in primis chylopoëticorum adhibetur. Poculum *frigidae aquae fontanae*, matutino tempore jejuno ventriculo illatum, unam vel plures depositiones alvinas producit, turbasque verminosas compescit.

V. *Aqua destillata etc.*

## AQUÆ GLACIALES, et NIVALES.

### Воды ледяная и снѣжная.

Dicuntur illae, quæ glacie, aut nive liquefacta, obtinentur.

Q. Hucusque saltem nulla aërifermia corpora in iis recenter liquefactis (nullum acidum carbonicum) deprehendebantur. Quibusdam *Muriatem Calcariae* cum exiguis *Acidi nitrici* vestigiis invenisse placuit. *Odor* nullus; *sapor aquam destillatam* æmulans; gravitas specifica in temperatura + 15° R. = 1,0000½.

V. *Frigidae aquae* diluens; excitans; adstringens; lotiumque movens; *calidae* autem sedans; relaxans; antispasmodica, atque diuretica.

U. Amplissimus, sicuti jam de *aqua* in genere prædicavimus. Præterea MICHELLOTUS laudat eam in atonia et irritabilitate aucta intestinorum; præprimis autem organorum chylopoëticorum, in pertinaci vomitu, hæmatemesi. Quid? In dialeipyris etiam ante et post paroxysmum sumendam, optimamque statuit HANCOSE. *Tepidam* autem *aquam* istam, præter multos spasmodicos intestinorum adfectus, ob illius vim diaphoreticam et diureticam, morbis etiam catarrhalibus bene convenire, pro comperto exploratoque habetur. Præter frequentissimum illius usum externum, quem, cum de *aqua* in genere sermo fuit, indicavimus, laudatur etiam in ophthalmitide sthenicæ indolis, in pulmonum debilitate, herniis incarceratis, in primis stercoraceæ accumulationi junctis, (RICHTER) in meteorismis febrium putridarum, (VOGEL) in epistaxi, metrorrhagia, hæmorrhagia vulnerum, in tumoribus frigidis articulorumque fungis, ubi a CALLISENO præcipue *stillicidium* commendatur. *Maniluvia* et *fomenta frigida* genitalium, in omni febre putrida validissima esse ad vires excitandas laudat VOGEL,

in paralysi denique a Hovero et Bernardo, maxime commendata sunt, ob summam, qua pollent, efficaciam.

## AQUÆ MARINÆ.
### Воды морскія.

Q. *Marinis aquis Acidum carbonicum* præcipue inhæret et nonnulla *Salia*, ut *Murias Sodae* et *Magnesiae*, atque *Sulphas* ejusdem, ipsa *Calcaria* etiam et *Carbonas Calcariae* et *Magnesiae Subcarbonas*. Exuberant præterea substantiis ex *animalium marinorum* et *vegetabilium* digestione productis. Bonam istam valetudinem, qua navigatores atque littorales incolæ fruuntur, ab *Acido muriatico* e mari evaporante et atmosphæræ maritimæ sese immiscente derivasse Hermbstaedtio visum est. *Claritas* earum sæpissime subturbida, paululum opalescens, proprio sunt præditæ *odore*. *Sapor* salino-amarus, acriculus; specifica gravitas ut 1 : 1,02. Temperatura anni temporibus ac plagae cuique adcommodata.

V. Stimulans; eccoprotica; resolvens; lotiumque movens.

U. Internus præcipue morbis ab atonia, vel partiali, vel universali, oriundis, adcommodatissimus, ut in adenemphraxi, splanchemphraxi, scrofulis præsertim et rhachitide a Gaubio, in ulceribus scrofulosis malignis a Riccaro, Russelio, commendatus: in obstructione porro hepatis, lienis, pancreatis, mesentericorum vasorum et uteri; in morbis chronicis deinde, et quidem ascitide, hypochondriasi et in hysteralgia, si nempe mere nervosæ sint illæ indolis, multoque vitio in visceribus latente nutriantur, in amenorrhœa refractaria, nephritide pituitoso-sabulosa, nec non in dialeipyris etiam quartanis atque ictero. *Usus externus balneorum, immersionum* atque *lotionum* forma, eximios produxisse effectus in variis præcipue cutaneis adfectionibus, ut lepra, ozæna inveterata, psora nec non ophthalmitide chronica vulgatissime creditus est. Ad scorbutum denique sanandum, maximam illius vim Russelius testatur. In spasmodicis deinde singularis organi, vel totius systematis convulsivisque morbis, ut catalepsi, prosopalgia, scelotyrbe,

sardonico risu, trismo nec non podagra, myodynia rheumatica chronica, cardialgia, lumbagine, ischiade &c. in epilepsia vero, atrocissimo malo, ut summum ab Hufelandio prædicatur remedium.

## AQUÆ PALUSTRES.

### Воды болотныя.

*Aquae palustres*, multam terræ superficiem, occupantes.

Q. Præter *animalium* atque *vegetabilium* reliquias, *bituminosae* et *extractivae* materiæ particulis, nec non *gase carbonico*; in primis vero *hydrogenio carbonato* uberius eas satiatas contaminatasque reperies; sunt etiam, quæ *Oxydi Ferri* majori, vel minori quantitate, repletæ inveniuntur. *Color* fuscus in rubedinem vergens; *odor* fœtidus; *sapor* austerus amaro-ingratus; gravitas specifica, ut 1 : 1,00148. Temperatura totum per annum atmosphæræ sequitur vicissitudines.

V. *Aquis stagnantibus* multo efficaciores atque utiliores sunt.

U. Earum ab agyrtis et rusticis maxime comprobatus. Artis medicæ periti parum ad eas attenderunt; sed plurimis malis vulgo illæ mederi putantur: cachexiæ in primis universæ corporis, paresi, contracturis atque membrorum anchylosibus, erysipelati solari, idque forma *balnei*, vel *immersionum*, tempore æstivo, quid? ipsorum *limorum palustrium* ad partes adfectas applicatio egregios producere effectus fama fert superstes, proinde in lepra, capitis tinea, achoribus, scorbuticis ulceribus atque inveteratis *fomentationum* modo adhibita, haud raro felicissimam eorum sanationem procurasse, vulgi opinio est.

## AQUÆ PLUVIALES.

### Воды дождевыя.

E nubibus et vaporibus, ut notum est, coalescentes.

Q. Præter atmosphæricum *aërem*, *oxygénio* præsatiatum, *carbonicum Acidum*, *Carbonatemque Calcariae* continent, nonnunquam

etiam *Calcariae Nitratis* atque *Muriatis*, nonnunquam et *Sulphatis* vestigia, a quibusdam observati, præ se ferunt.

V. A *nivali pluviatilis* vix differt, citius tamen corrumpitur: cum vegetabilibus mixta, citius in fermentationem abit, ideoque ad *Acidum aceticum* præparandum aptior esse existimatur.

U. Tam *frigidae*, quam *calidae*, sicut et *nivalis* idem. A veteribus præterea vim ei aliquam specificam adtributam fuisse accepimus; quorum tamen opinioni nequaquam subscribimus.

## AQUÆ PUTEALES.

### Воды колодезныя.

In profundis terræ sinubus, libero aëris influxu prohibito, degunt.

Q. Mephiticis eas substantiis nonnunquam esse nuptas facile arbitreris; quapropter multis in locis vim earum noxiferam audies; sunt etiam, qui, præter multas morbificas degenerationes, strumarum eis originem in nonnullis regionibus imputarunt. *Puteanarum aquarum* observantur: a) *duriusculae*, quibus major *Carbonici acidi*, ac in *fontanis fluviatilibusque* illis, quantitas inest, quæque multá *Salia*, ut *Calcariae Sulphatem* et *Carbonatem Muriatemque Sodae* præcipue continent; b) *molles* omnino *aquis fontanis* simillimæ. Qualitas illarum, si peregrinis corporum partibus non sint infectæ, *fontanae aquae*, similis. Pondus specificum ut 1: 1,0003. Temperatura a + 8—10° *R. therm.*

V. Sat efficax, nec omnino despicatui ducenda.

*U. domesticus* atque *medicatus* peramplus quoque, in præparationibus autem pharmaceuticis præcedentibus quibusdam inferior merito habetur. *Putealem* hanc *aquam* eximium esse volunt remedium in multis viscerum abdominalium adfectibus, vomitu inconsueto, cardialgia, singultu, gastricis sordibus, et aliis, ab alvina pendentibus obstructione, moliminibus. *Externum* in *gargarisationum* forma, et faciei, totiusque capitis *lotionum*, ut remedium prophylacticum, in multis, catarrhalibus in primis, et rheumaticis morbis, jam comprobatum esse, volunt.

V. *Aqua destillata* etc.

# AQUÆ SALINÆ.

## Воды соляныя.

Quæ præcipue *Sulphatem Sodae* continent et sunt meliores:

1. *Orelyenses* circa fluvium cognominem (Орелъ) in Constantinopolitano circulo (Константиноградскій уѣздъ) Poltawiensis Gubernii, quarum sunt duo fontes.

2. *Dubovogryadenses aquae*, a pago дубовыя гряды dictæ, pariter duobus conspicuæ fontibus.

3. *Bycowcenses* denique in Isyumensi districtu, qui ad Charcowiense Gubernium pertinet, a viculo Быковка, ita dictæ.

Q. Partes illarum, secundum notam analysin, sunt constitutivæ:

| | Sulphat. Sodæ. | Sulphat. Magnesiæ. | Sulphat. Calcar. | Muriat. Sodæ. | Muriat. Calcar. | Muriat. Magnesiæ. | Carbonat. Calcariæ. | Carbonat. Magnesiæ. | Principii resinosi. | Principii extractivi. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Sub. No 1. | | | | | | | | | | |
| a) | 6½ | 1½ | 2 | 3 | ¼ | ¾ | 1 | ½ | ½ | ¼ |
| b) | 27½ | 3 | 8¾ | 11 | 2¼ | 1¾ | 3½ | 1½ | ½ | . . |
| — No 2. | | | | | | | | | | |
| a) | 14 | 7 | 2½ | 1½ | 1¼ | 1 | 1¾ | 1¼ | ¾ | . . |
| b) | 12 | 6¼ | 1¾ | ¾ | 1 | ½ | 2 | 1 | ½ | . . |
| — No 3. | 31 | 10½ | 5 | 4½ | 2½ | . . | . . | 2 | . . | . . |

Qualitas *aquae frigidae*, ut claritate sua crystalla simulet. *Odore* nullo prædita. *Sapor* lixiviosus; gravitas specifica ut 1: 1,004; temperatura cuivis fonti propria.

V. *Carolinarum* et *Teplitzianarum* thermarum (in Bohemia) adinstar, egregia; nituntur enim virtute resolvente; leniter irritante; eccoprotica; acida rancidaque absorbente; zooctona etc.

U. Cum *aquae* hæ in organa præcipue chylopoëtica, renes, lienem, vasa lymphatica, glandularum atque mucosarum mem-

branarum systema vim suam exerceant, quapropter magno cum fructu adhibentur *interne* in splanchemphraxi, urolithiasi, calculis ductus choledochi, et sabulo vias uropoëticas obsidente, in glandularum indurationibus, rhachitide, scrofulis atque arthrodynia, nec non in acore primarum viarum, soda, vomituritionibus, et sic porro; hypochondriacis hominibus atque hystericis fœminis, vel maxime commendantur; minus autem in scorbuto, hydropisi hectica, cachexia et in universo corporis statu asthenico conveniunt. *Externus* illarum *usus* eximius: *balnea* ex *tepidis* aut *calidis salinis aquis* parata magni æstimantur contra myodyniam rheumaticam, arthrodyniam, spasmos, tumores, indurationes, artuum contracturas, ut vulnerum apud veteranos armigeros sanatorum, frequentissimas sequelas.

D. A libra ad bilibram, et tres libras, repetitis vicibus, dantur.

## AQUÆ STAGNANTES et LACUSTRES.

### Воды стоячія и озерныя.

Regionibus in demissis frequentissimæ, haud raro sedimentum quoddam terrestre deponentes.

Q. Cum autem e *pluviatili, fontana* atque *fluviatili aqua* constent; facile statues eas iisdem peregrinis partibus obnoxias esse, quæ apud illas deprehenduntur, præterea haud raro etiam reperies, tum animalium, tum vegetabilium corporum, ibi putrescentium, partibus sæpissime infectas esse. Non facile diaphanæ occurrunt; *odor* vix sensibilis, putidiusculus; *sapor* subausterus, ingratus; pondus specificum ut 1: 1,0012. Quod ad earum temperaturam spectat, sæpissime illae atmosphæræ vicissitudines sequuntur.

V. dynamica; *puteana aqua*, præstantior et efficacior.

U. etiam præsertim *externus*, parum abest, ut a præcedentibus, *fluviatilis* scilicet et *putealis aquae* usu, differat.

## AQUÆ SULPHURATÆ.

### Воды водотворно-сѣрныя.

Accedunt denique *aquae sulphuratae* (*hydrothionicae* dictæ) quarum sequentes sunt in Ruthenico Imperio notissimæ:

a) *Bargusinenses*, vel potius *Turcenses*, (Туркинскія водотворно-сѣрныя воды) circa lacum Baycal, a Ruthenis mare sanctum, святое море, dictum, in provincia Ircutiensi, et in aliis pluribus locis, nondum satis sunt a Chemicis exploratæ *).

b) *Baldohnenses*, *Barbenenses* et *Libawienses* in provincia Curonia.

c) *Sergiewienses*, (Сергіевскія водотворно-сѣрныя воды,) in Buguruslanensi circulo Orenburgensis provinciæ.

d) *Constantinomontanae*, circa fortalitium Constantinomontanum (Константиногорскъ) omnibus exoticis, ob efficaciam suam, merito præferendæ; antea rapacibus Caucasigenis fuerunt expositæ.

e) *Smordonianae*, ad rivulum Birzha in Lithuania, et aliæ plures, quæ adhuc nondum satis, lege artis, exploratæ sunt.

Q. Continent autem illæ secundum notam auctorum analysin:

| | Gas. hydrosulph. | Gas. carbonici. | Sulph. Calcar. | Muri. Magnesiæ. | Muri. Sodæ. | Sulph. Magn. | Subcarb. Magn. | Carbonat Calcariæ. | Sulph. Sodæ. | Temperatura. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Baldon. in 1 ℔ | $1\frac{4}{10}$ | $\frac{3}{10}$ | 14 | $\frac{4}{73}$ | $\frac{11}{14}$ | $\frac{1}{2}$ | $\frac{7}{30}$ | $\frac{11}{2}$ | $\frac{3}{10}$ | + 6 R. therm. |
| Barben. — 1 — | $10\frac{1}{2}$ | . . | . . | . . | . . . | . . | . . | . . | . . . | . . . |
| — 10 — | . . | . . | 12 | . . | 16 | 27 | . . | . . | 14 | . . . |
| Libaw. — 12 — | . . | . . | 122 | 2 | . . . | . . . | . . | 15 | 19 | . . . |
| Sergiew. — 1 — | 2 | 1 | 9,52 | 0,60 | . . . | 0,89 | 4,00 | 1,06 | 0,58 | + 7. R. |
| Const. — 20 — | 80 | $106\frac{2}{3}$ | $31\frac{2}{3}$ | $1\frac{1}{2}$ | $136\frac{7}{13}$ | $66\frac{8}{15}$ | 17 | $99\frac{2}{5}$ | $101\frac{20}{37}$ | + 36 R. th. |

*) Bargusinenses seu Turcenses thermæ adeo calent, ut adnatantem ad eas **Cyprinum Alburnum** (уклейка,) perimere ferantur.

*Claritas* turbida, transitum lucis impediens. *Odorem* putridorum ovorum, et pulveris pyrii deflagrantis præbent. *Sapor* lixiviosus, salinus, ingratus. *Pondus* specificum ut 1 : 1,0023. Temperatura a 5—36° *Reaum. therm.*

V. Excitans; diaphoretica; calefaciens; resolvens; zooctona.

U. Cum effectus *sulphuratarum aquarum* a *gase hydrogenio sulphurato*, continuo sese in illis evolvente, præsertim derivari debeant, facile igitur latissimum earum inveniet usum is, qui *Sulphur* in remediis pollere, haud iverit infitias. Sed *sulphuratas* hasce *aquas*, ipso *Sulphure* multo efficaciores esse, ubi illud in tam subtili, ac volatili reperitur forma, ut omnem chemicæ artis imitationem facile excedat, adcuratior jam indago docuit. Valde enim excitant primarum viarum irritabilitatem, augent secretionem atque excretionem, irritant systema sanguiferum, accelerant cordis actionem et pulsuum numerum augent, respirationem facilitant et sudorem pellunt, lympham discutiunt stagnantem, et congestionibus in venæ portarum systemate valde sese obponunt, coërcent proinde symptomata hæmorrhoidalia, et penetrando vasa secernentia atque in cutem præcipue agendo, varias evacuationes salubres promovent. *Venena* denique *metallica* non solum moderare, verum etiam effectus illorum omnino tollere sæpissime valent. Egregio proinde cum fructu adhibentur in omnibus hæmorrhoidalibus moliminibus, vitiis menstrui fluxus, ejusque suppressione, in catarrho pulmonum, leucorrhœa, arthrodynia chronica, lumbagine, ischiade nervosa, prosopalgia; in primis vero in syphilide inveterata, exostosi scilicet, hyperostosi, tophis, nodis, gummatibus, nec non in ossium carie, in eorum necrosi, phagedænis præcipue, ubi HYDRARGYRUM citra ullum exhibetur effectum, in morbo etiam mercuriali ex abusu HYDRARGYRI orto, omnibus *metallicis venenis* lente agentibus, eximium præbent *antidotum*. Indicantur quoque in membrorum debilitate, prægressis asthenicis morbis, vel post humorum jacturam, oborta, item in hypochondriasi, splanchemphraxi, paralysi, psora retrograda, podagra retropulsa, aliisque similibus.

D. a selibra ad libram de die partitis vicibus. *Externe: partialium* et *universalium balneorum* forma, pro re nata, repetendorum.

## ARBUTUS UVA URSI.

Амприкъ; Толокнянка.

Fruticulus Rutheniæ septentrionalis, in collibus arenosis spontaneus. *Cl.* Decandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Bicornes L. Ericeæ. J. *Usualia sunt:*

Folia, integerrima, ovata, carnosa, subtus venosa, a *foliis Vaccinii vitis idaeae*, subtus punctatis, reticulo venoso, facile distinguenda.

Q. Principio *extractivo*, *amaro*, *scytodepsicoque* nititur. *Folia* sicca sunt *odore* similia *radici Glycyrrhizae. Sapor* stypticus, grate amarus, amarities in gummosis partibus eorum latet.

V. Diuretica quidem, nec directe lithontriptica; adstringens; tonica.

U. *Folia* vi adstringente et tonica commendantur in cystorrhœa, menorrhagia, leucorrhœa, diabete, enuresi, lienteria, phthisi pituitosa, urolithiasi, præsertim in copula *baccarum Juniperi*, variisque asthenicis morbis et dyspepsia urolithiasin comitante, secretionem muci minuendo, aut acidi in ventriculo genesi officiendo.

D. In forma *pulveris* subtilioris cum *Saccharo*, aut alio congruo, a scrupulo ad duos, bis terve, de die; pro decoctura unciarum decem, *foliorum* semuncia, ad integram, sumi solet, æque in *infuso* dari potest.

## ARCTIUM LAPPA et BARDANA.

Лапушникъ; Репейникъ.

In locis incultis, maceriisque, ubivis perfrequens. Arctium Lappa calycibus glabris, A. Bardana calycibus tomentosis. *Cl.* Syngenes. *O.* Polygamia æqualis. *O. N.* Comp. capitatæ L. Cynarocephalæ. J. Biennis. *Usualia sunt:*

**Radix**, fusiformis, ramosa, lævis, spongiosa, *extus* nigricans, *intus* alba. **Folia**; **Semina**.

Q. *Radix* est ex acri subdulcis; *odoris* nauseosi. *Seminum: sapor* valde amarus, lotium decolorans.

V. *Radicis* sudorifica; diuretica; alterans; blande resolvens; *Seminum* cathartica.

U. Morbi cutis. syphilis? alopecia? myodynia rheumatica? Lochiis movendis non esse imparem puerperarum usus evicit. *Semina* calculosis profuisse est inter exempla. *Folia viridia* genuum tumores dissipasse, dolores a carcinomate podagrasque pacasse perhibentur. *Succus* eorundem (teste Hufelando) valentior. A quibusdam A. Lappa, Smilaci Sarsaparillæ præfertur; ast immerito. Potiori, meo arbitratu, jure, in locum hujus subrogari posset: Bidens tripartita (Череда) felicissimo in fœditatibus cutis, et in primis syphilide, usu Ruthenicarum anicularum, tum in Sieveria, tum alibi, incluta. *Radix Lappae* junior, tenera est, esculenta, ut *radix Scorzonerae h.* Primo vere colliguntur *caules juniores*, et modo *turionum Asparagi* in culinis præparantur.

D. *Radicis* semuncia in libra *aquae fontis*, ad colaturam unciarum octo decocta, admista *Mellis* semuncia, exhibetur per diem.

V. *Decoctura Lappae.*

## ARGENTUM NATIVUM.

### Серебро самородное.

Argentum nativum et mineralisatum, in Russia præcipue in mineris Colivanensibus, et quidem in monte serpentino sic dicto (Змѣевская гора) invenitur, datur porro in variis locis Sieveriæ, in Norvegia, Hungaria, Saxonia, Gallia, Hispania et in primis in Peru et Mexico.

Q. *Metallum perfectum*, candidum, nitoris eximii; gravitatis specificæ secundum Klaproth, ut 10,478; cusum vero, ut 10,609. Post Aurum, quo levius est, maxima ductilitate gaudet, sat violentum (ultra 999°) ut liquetur, ignem postulans,

atque dein in tetraëdras abiens crystallos, nec nisi intensissimo caloris gradu sicca via oxydabile, *oxydatum* cum *Acido muriatico* indissolubile connubium contrahens, *Acido nitrico*, solubile. Quum in vita communi vix occurrat Argentum, ab omni labe cuprea liberum, hinc cognoscitur *inquinatum* cœruleo colore, quo ex solutione in *Acido nitrico*, *Ammonia liquida* præcipitatur, eoque facilius, quo aliquanto plus, quam ad totius solutæ quantitatis præcipitationem requiritur, *Ammoniae* adfunditur. Ut *purum* pro usu pharmaceutico habeatur (methodo cel. Hildebrandt) ex parte una *Muriatis Argenti* adhibitis *Subcarbonatis Potassae partibus duabus*, reducatur.

U. Primi Arabes argentum ad usus medicatos adhibuerunt, atque ex eo easdem, ac ex auro, quod etiam ad salutarem nobis professionem traxere, virtutes sibi spoponderunt, vel huic quoque, tam ratione, quam experientia, refragantibus. *Argentum foliatum*, id est *argentum purum*, in laminas tenuissimas redactum, pro obducendis, ornamenti causa, catapotiis, creberrimi fuit usus; sed et hic mos obsolevit, neque proinde major ejus commendatio est, quam quod ad *chirurgica instrumenta*, catheterismo præcipue et cavo oris destinata, atque etiam *cupellatum* pro parando *Nitrate Argenti* adhibeatur.

V. *Nitras Argenti.*

## ARIES DOMESTICUS Fischeri.

### Ovis Aries L. Баранъ; Овенъ; Овца.

### Vervex. Кладеный Баранъ.

Ubivis in Russia, præcipue vero in temperatioribus ejusdem oris, frequentissimum animal. *Cl.* Mammalia. *O.* Bisulca. (*Ruminantia. Pecora L.*) *Usualis est:*

Caro ovillina; adeps ovillina, (*Sevum ovillum Ph. Ross.*) pinguedo, scilicet solida, ex omento, nec non ex adiposis capsulis, præsertim renalibus, atque lumbalibus animalium horum eliquata. Dum *Adeps* recens est, et pura, tum est *inodora*, albi coloris, blandi *saporis*, firmiorisque consistentiæ,

eaque usui medico aptissima; cum vero venalis non semper talis sit, peropus est, ut, si modo recens est, membranis, venulis, fibrisque omnibus demtis, tamdiu abluatur *aqua*, donec nil amplius cruenti effluxerit, demum concisa in frustula, liquefacienda atque per linteum colanda. Ob albedinem suam, atque consistentiam magis concretam variis in casibus præferri meretur *bovillae* (*Sevo bovino Ph. Ross.* сало говяжье) unguinosiori; *rancida* vero, coloris flavescentis, vel a vasis cupreis viridescens, rei medicinæ, inepta.

V. uti et ceterarum *adipis* specierum: emolliens; relaxans, atque lubricans.

U. Quibusdam *juscula vervecina* contractiora, imo et *adeps*, *lacte tepido liquefacta*, cui certa portio *Amyli triticini* admiscetur, inter domestica habentur adversus dysenteriam remedia. *Externe Adeps* per se adhibetur, ut vulnera ulceraque ab influxu aëris arceantur, præsertim si pura sunt, nullisque universalibus juncta malis, neque adest laxitas magna, et partium ad dissolutionem proclivitas. Communius tamen inservit ad paranda *unguenta*, *emplastra*, *linimenta* etc. et in militum curatione ad omnes pene usus loco *Olei expressi fructuum Theobromae Cacao* concreti, utiliter adcommodatur, et si rarior est, recte eidem substituitur *Adeps bovilla*, aut plerumque *suilla*.

## ARISTOLOCHIA SERPENTARIA.

### Serpentaria Virginiana.

Кирказонъ змѣиный; Змѣевникъ Виргинскій.

Planta Virginiæ et Carolinæ, caule flexuoso, volubili, *Cl.* Gynandr. *O.* Hexandr. *O. N.* Sarmentac. L. Aristolochiæ. J. Perennis. *Usualis est:*

Radix, fibrosa, ex viridi-lutescens, fibris tenuissimis inter se tricatis. Huic substitui *radicem Asari virginici nigram* monuit Sande et Schlegel.

Q. *Camphoraceo - aethereo - oleosa* cum *extractivo* et *resina.* Continet *radix* $\frac{1}{200}$ *olei volatilis* nimis aromatici, aurantiaci

*odoris, Oleo foliorum Melaleucae Leucadendri* similis; ast fragrantioris. (Juch.) *Odor* fragrans, camphoratus, Valerianam off. redolens, gratior tamen et fortior; *sapor* aromaticus, acris, amaricans.

V. Excitans; nervina; volatilis; *camphorae* non dispar; constantia tamen eandem superans; sudorifica; sanguinem movens, cum augmento caloris, sat conspicuo.

U. Insigni pollet efficacia in dialeipyris, præcipue, ut adjutrix *corticis Cinchonae officinalis*, item, ubi movendorum sudorum ratio habenda, detritis viribus, et pronitate in putredinem, malignis, idque illas erigendo, hanc vero coërcendo. In putridis vulgo dictis tertio stadio, quum pulsus est debilis, submissus, accedentibus stupore etiam, apathia, deliramentis, petechiis, (minante quibusdam partibus, sub reliqua funestorum symptomatum syndrome, gangræna,) optime hoc remedio vi vitali consulitur. Ita etiam in angina atonica, gangrænosa, gargarisando prod t, et ipsi gangrænæ adcommoda. In pneumonitide asthenica, exanthematibus atonicis, retrogradis Præstans ejusdem his in casibus miscela cum *cortice Cinchonae off.* (Lettsom.) Imo et *Camphora*, pro re nata, subsidiariam opem fert. Laudatur quoque in diarrhœa, dysenteria, (sine febre) uti etiam in myodynia rheumatica etc. Morsuræ venenatissimi Boiciningæ (Dale) *plantam* masticando, *succum* deglutiendo, *foliaque* contusa vulneri admovendo (Geoffroy) proficua exstitit; quem in finem nunc quoque ab indigenis Americæ confœderatæ incolis adhibetur.

D. Rarius in *pulvere* a granis decem ad scrupulum datur, commodius in *infuso aquoso* (drachmæ duæ cum selibra *aquae bullientis*) interdum *decoctura Cinchonae* additur, vel admiscetur eidem *Valeriana off. Angelica A. infusum* etiam *vinosum* commodum cum *cort. Cinchonae .off. fructus Citri Aurantii. Decoctura*, ut usu cognitum, virtute orbatur.

V. *Infusum Serpentariae.*

# ARNICA MONTANA.

Баранникъ; Баранья трава.

Planta in pratis alpinis, ericetosis, montosis, humidis, sylvaticis, apricis Europæ septentrionalis. Filamenta coroll. rad. antherifera. Recept. a seminibus pedicellatis papposum. *Cl.* Syngenesia. *O.* Polygam. superfl. *O. N.* Composit. radiat. L. Corymbiferæ. J. Perennis. *Usuales sunt:*

Flores, sine calyce, compositi lutei ex acri amari, digitis confricati sternutamenta proritantes, squamulis calycinis brevioribus lanceolatis non setosis, apice purpureis. Radix, varie contorta, fibrosa, subamara, acris, fusca. *Flores, radice* efficaciores. Huic substitui alias herbas iterata sæpius querela fuit. Inulam dysentericam, — salicinam, Hypochœridem maculatam adhiberi monuit Linnaeus. *Inulae d. caulis* ramosus, *folia* caulina plura inordinatim posita, amplexicaulia; *antherae* vero ad basin in duas terminantur setas. *Hypochoeridis caulis* subnudus: ramo solitario, *foliis* ovato-oblongis, integris, dentatis. *Floribus* admisceri *flores Hieracii*, notat Hoppe; *flores* vero *Tussilaginis Farfarae* vidit admistos Schaub, qui a veris facile discernuntur. *Planta* hæc, in hortis culta, est fere iners.

Q. *Florum* egregia, principio *acri, extractivo,* et *resina,* parvaque *volatilis olei* quantitate nitens. *Sapor* aromaticus, acris cum amaritie; trita *odorem* aromaticum virosum spargit.

V. *Florum*, nervos erigens; actionem vasorum sanguineorum incitans; resolvens; menagoga; errhina; *radicis* eadem, magis tamen tonica, atque facilius vomitum ciens. (Moench)

U. Ut nervos irritans, eorumque actionem præ arteriis intendens, valet (adhibentur *flores*, rarius *radix*) in typho variisque ejus formis. In febri, vulgo putrida dicta, vis eorum cum primis elucet. In peste eos Pearsonius ex voto tentavit. A quibusdam contra dialeipyras cum successu exhibiti. In morbis spasticis, vel convulsivis, ita in epilepsia, vel paralysi extre-

mitatum, linguæ, colli, urocystidis, ischuria paralytica, nervorum organi visus, amaurosi, hemiplegia, paraplegia, plausum tulit. Irritando plexus nerveos abdominales, et venam portarum, reserant splanchemphraxes, hinc in infarctibus lienis, pancreatis, ictero emphractico, atrophia, et id genus aliis, deprædicantur. Agunt in vasa, eorumque torpidam incitationem, secretionemque. Minuendo arteriosam, et intendendo venosam actionem, hæmorrhagiis (vi extrinsecus illata ortis) asthenicis propere subveniunt; actione vero sua in pulmones, et obscœna, metrorrhagiæ, prægresso in primis abortu, et hæmoptysi proficui. Laudantur etiam in suppressione sanguifluxuum, nevroblacia partium orta, ita in mensibus post febres suppressis, obstructis, (*Act. Berol.*) in lochiorum (*Comm. nov.*) catameniorum retentione, immo etiam hæmorrhoide suppressa. Majori venarum incitatione, hæsitationibus effusi ad cava sanguinis, et congestionibus, inflammationibus asthenicis prosunt, ideo etiam in doloribus extrinsecus illatis, suborta cruoris suffusione, sugillationibus, contusionibus, (Collin) per modum *fomenti*, commendantur. Magnam promittunt utilitatem in pulmonibus, effusione sanguinea, læsis, eorundem actionem intendendo, ita etiam in ultima pneumonitidis periodo; catarrho; pituitosa phthisi; dyspnœa; pleuritide spuria vulgo dicta; tussi humorali, vere et autumno recrudescente, adhibentur. Irritando intestinorum nervos et venas, limitando succi enterici secretionem atque antiperistalticum canalis motum producendo, diarrhœæ asthenicæ, (Stoll) rheumaticæ et dysenteriæ occurunt.

D. *Flores Arnicae* a quinque granis ad semiscrupulum dantur cum *melle*, vel *syrupo simplici* per modum *electuarii*. *Pulveris* forma incommoda; aptius in *infuso ebullientis aquae* a scrupulo vel drachma, ad selibram vel plus *aquae*, quod binis vel pluribus, secunda quaque hora, cochlearibus datur, vel *infusi florum* in sacculo suspensorum, drachmæ duæ, tres, ad libram *aquae* dantur, idque fit in copula *Valerianae off. Acori Calami*, etc. vel *decocturae Cinchonae* ad finem adjicitur

*Arnica.* Additamenta stimulantia volatilia, ut *Aetheris sulphurici*, ejusdem *alcoholisati*, vel *tincturae Opii*, sunt adcommoda. Nervos abdominales irritat, ideo æquo majores doses, molestiam abdominis, nauseam, vomitum movent, anxietates creant, diarrhœam, tormina, vi autem se ad sensorium commune exserente, cephalalgiam, vertiginem; irritando vero dermaticos nervos, sensum formicationis, dolores lancinantes, urentes, et interdum succussiones, quasi a scintilla electrica provocatas. Hoc in statu, *Acetum* succurrit efficaciter. *Radix* in pulverem tenuata, a quinque ad decem grana, datur in *infuso.*

*V. Infusum florum Arnicae — radicis ejusdem.*

## ARTEMISIA ABSINTHIUM.

### Absinthium vulgare Ph. Ross.

### Полынь.

Ubique spontanea in ruderatis, apricis. *Cl.* Syngenes. *O.* Superfl. *O. N.* Comp. discoid. *L.* Corymbifer. J. Perennis. *Usualis est:*

Herba Florens, amaro-aromatica; *foliis* sericeo-incanis compositis multifidis; *floribus* globosis, pedunculatis, nutantibus. *Summitates* s. *inflorescentia.*

Q. Præstans, in pauco *oleo* volatili, et *extractivo amaro* sita; nil vero, ut quidam volunt, *narcotici* tenet. *Odor* nidorosus, mora et siccatione evanidus fere; *sapor* valde et pure pute amarus. *Folia floribus* amariora.

V. Roborans; antiseptica; anthelmintica.

U. In imbecillitate stomachi, et canalis intestinalis; dyspepsia; hypochondriasi; hepatemphraxi; ictero, (propinato cum *sapone*, in *pilulis*, *extracto*) sic etiam in hydropisi, podagra, (Haller) calculo, commendabatur. In scorbutum etiam efficaciam suam exserit; *aqua*, *cerevisia* vel *vino* incocta, contra dialeipyras, vermes, tineam, achores, gangrænam, suetum fuit remedium. *Extrinsecus*, forma *cataplasmatis*,

*fotus*, imo et *herba recens* œdematibus discutiendi ergo admota, non officit. Ob vim putredinem coërcendi, gangrænam *aquae marinae* incocta subegit Bartholinus.

D. Rarius in *substantia* a semidrachma ad drachmam, quam in *infuso* ab uncia ad sesquilibram *bullientis aquae*. *Infusum lacteum* a quibusdam adhibitum, ut anthelminticon, vel pro *fotu*, vel *clysteribus*. *Infusum semivinosum* efficacissimum, *Sulphate Ferri* nigrescit.

V. *Cerevisia amara*; *Extractum Absinthii*; — *amarum*; *Infusum Absinthii*; *Oleum ejusdem*; *Species aromaticae*.

## ARTEMISIA JUDAICA W.

### — — — — — — Contra L.

Чернобыльникъ противуглистный.

Frutex in Palæstina, Arabia, Numidia crescens, in Aleppo optimæ notæ. *Cl.* et *O.* præcedentis. Perennis. *Usuales sunt:*

Summitates *ramulorum* cum *semine* (*Semen Cinae* sive *Santonici Ph. Ross.* Цытварное сѣмя). *Semina* sunt exigua, oblonga, ex flavo viridula, quæ etiam ex A. Santonica et A. Contra, (in salsis Russiæ desertis ad mare hircanum spontanea,) secundum quosdam desumuntur. Adulterantur interdum ea, *A. Abrotani* et *Tanaceti vulgaris seminibus*, imo etiam pulvis *radicis Aspidii Filicis maris* iisdem, teste Schaubio, lucri causa, substituitur.

Q. Præstans, in *oleo volatili* posita. *Saporis* amaro acris; *odoris* aromatici, nauseosi.

V. Anthelmintica.

U. Irritando nervos canalis intestinalis dyspepsiæ opitulantur et collectiones pituitæ refrenant; in primis vero *zooctono* principio *lumbricos teretes*, imo interdum, præsertim apud infantes, *Taeniam solium* necuisse perhibentur, vel per se data, vel cum *Valeriana off.* *Sulphate Ferri*, *Allio sativo* etc.

D. Infantibus a dimidio ad integrum scrupulum, adultis a drachma ad duas in *pulvere*, vel cum *melle*, *oxymelle scillino*,

*pulpa prunorum*, per modum *electuarii*, vel *infuso lactis*, interpolando post aliquot dies *catharticum*, vel ab initio *radix Rhei*, *Jalappae*, *Submurias Hydrargyri*, *Sulphas Ferri*, vel *Murias Ammoniae* iisdem adduntur. Iniecto etiam *extrinsecus clystere* juvant, recteque conjunguntur cum *Allio s. Valeriana off.* etc.

## ASPIDIUM FILIX MAS. W.

### Polypodium Filix Mas. L.

### Аспидникъ; Папоротникъ мужескій.

Ubique per omnem Russiam in sylvaticis spontanea. Frondibus subbipinnatis, pinnulis oblongis, obtusis, serratis, stipite aridis membranaceisque squamis, obtecto. *Cl.* Cryptog. *O.* Filices. *O. N.* Filices L. et J. Perennis. *Usualis* est:

Radix, horizontalis, *extus* nigro-fusca, *interne* flavo-albescens; oblonga, squamis obsita. A *squamis* suis perfecte purificata, et vasis bene clausis asservanda. Adulteratur *radice Pteridis aquilinae*, *Aspidii Filicis faeminae*, *A. spinulosi* W. quarum *prima* est longior, tenuior, ramosa, repens, *extus* nigra, *interne* albescens; *secunda* perpendicularis, atris fibrillis obsita, *saporis* mucilaginosi amari; *tertiae rhizoma* minus, stipites residui, tenuiores, valde sicci, *sapor* sine ulla acredine.

Q. *Sapor*, initio dulcis, dein nauseose-amarus; subacris; stypticus.

V. Permanenter stimulans; anthelmintica.

U. Contra omnes species *animalium*, in tractu intestinali nidulantium, ut *lumbricos*, *taeniam latam*, *cucurbitinam* etc. interna pars *radicis*, dosi sufficienti propinata, est validum remedium. Tertia jam die quandoque sola per se data, (diæta *salina* adjuta,) hos inimicos corporis humani, expulit. Excretione eorum tardante, subsidium in *catharticis*, præsertim in *Oleo Ricini communis*, vel nucum *Juglandis regiae*, et similibus quærendum. *Recens radix* semper *vetustae* præferenda.

D. *Pulveris* grana triginta ad drachmam, infantibus, vel forma *electuarii*. Drachmæ duæ, tres, usque ad unciam, adultis.

V. *Decoctura Aspidii composita; Pulvis ejusdem compositus.*

## ATROPA BELLADONNA.

Красавица; Одурникъ; Сонная одурь.

Caule herbaceo, brachiato, in sylvis plerumque cœduis Rutheniæ australis, locisque desertis, umbrosis, nascens; alibi vero hortensis. *Cl.* Pentandr: *O.* Monogyn. *O. N.* Solanac. *L.* Solaneæ. *J.* Perennis. *Usualia sunt:*

Folia, magna, petiolata, ovato-acuminata, intense viridia, lurida, *odoris* narcotici. Radix, sublignosa, ramosa, geniculata, e cinereo-flavescens. Potentior est *foliis.* Baccæ, atræ, subrotundæ, utut interdum opem tulisse ferantur, a medicaminum censu a plerisque Medicis amotæ, quippe quæ dolosa sua speciositate, dulcedine saporis, splendidoque nitore suo adridentes, perniciosissimi effectus pericula, occultant. In vicem hujus inscii Hyoscyamum Scopoliam, vel Solanum nigrum injuriose substituunt; quod postremum locis incultis, ruderatis, crescens, *foliis* est longius petiolatis, ovatis, obtusis, dentatis.

Q. heroica. Vauquelinus analysi chemica invenit niti illam substantia *amara,* in *Alcohole* solubili, cum *principio scytodepsico* juncta, e qua ignis *Ammoniam* elicit, quæ proinde accedit ad *acidum borussicum. Odor* virosus; *sapor* acris, substypticus.

V. Narcotica; sæpius somnifera; auctiori præcipue dosi irritans; organismo animali inimica; zooctona.

U. Ejus in neurantistases esse commendabilem certum est, huc in primis spectant spasticæ, ut epilepsia, præsertim habitualis, scelotyrbe, adfectibus animi orta, vel *succum* ejus *spissatum* exhibendo a grano, vel *folia*; pertussis quoque usu ejus curata fertur, ita, ad tollendam diuturnam myodyniam rheumaticam, arthrodyniam, ischiadem utiliter adhibetur. Ad oculi inflammationes, jam dudum a Wilschio commendatur. *Succum* cum *albumine ovi* in oculis inflammatis, lacrymantibus

cum successu adhibuere quidam. Irritando organismum animalem ad reactionem potenter sollicitat, ac proinde nevroblacias quasdam curat; ita utilis fuit, in nervorum resolutione, quæ apoplexiam sequi solet, interdum, vel *radix*, vel *herba*, vel succus etiam e recenti herba expressus et spissatus. *Infusum* etiam *foliorum* (scrupulus cum unciis decem *aquae*) commendatur, cujus unciæ duæ per diem consummuntur. Commendatur in melancholia et mania *pulvis foliorum* cum *radice Rhei* ad grana duo vel tria, vel *radicis* ad granum initio, adscendendo ad grana sex aut octo, neque desiderantur exempla, hæc mala cessise. In quosdam congeneres morbos, potentiam morbificam tollendo, specifice agere videtur, ita obponitur psoræ, herpetibus, syphilidi (cum *Submuriate Hydrargyri*,) carcinomati. Duritias resolvit, discutitque, ita scirrhoma, glossocarcinoma minitans, et mammarum cancrum, *infuso* ex *foliolo A. Belladonnae* et quatuor *aquae calidae* cyathis parato, atque cyatho quovis mane exhibito, se plus simplici vice discussisse adseverat Degnerus. Scirrhosum linguæ tuberculum usu *A. Belladonnae*, et *Nitratis Argenti fusi* contactu, sanavit Timmermannus. In scirrho etiam intestinorum inveterato, *interne* cum effectu adhibita. Non dubitant quidam cum veteribus *interne* cum emolumento adhiberi posse in cacoëtheis ulceribus, in primis phagedænicis, verminosis, ex erysipelate natis; *extus* vero in gangræna, ulceribus carcinomatosis. In exulcerationibus uteri *succum* injectum expedire, in malignis quibusvis *radicem* commendant. *Fotu foliorum* ulcera mammarum sanavit Quer. Nodos dolorosos, et pertinaces post puerperium, et neglectam lactationem ortos, usus *pulveris* ex granis duobus, et denis *Sacchari* per plures menses continuatus, secuta suppuratione, et *lactis* novo adfluxu, teste Lentin, sustulit. *Succus baccarum expressus*, atque in consistentiam *syrupi*, adjecto *Sacchar*o coctus, parvi cochlearis mensura, singula vice dysentericis cum successu est propinatus. Morsibus aspidum, (Münch) ictibus scorpionum aranearumque mederi *folio* cum *oleo* trito Plinius, Apulejusque memoriæ prodiderunt. Nec in

lue bovilla, equina, ovillina, laude sua frustranda *A. Belladonna.* *Infusum ejusdem* ante operationem cataractæ, ad prævertendam pupillæ constrictionem oculo instillare Raimarus suadet.

D. Prudentis Medici est, cum ratione potius timide, quam cum suo, et ægrorum periculo, animose progredi. *Pulveris* proinde *foliorum*, aut *radicis siccatae* granum, gradatim adscendendo, ad quina de die adultis recte datur. Infantibus gr. $\frac{1}{8}$, gr. $\frac{1}{4}$ ad duo. Münch clericus Hannoveranus ad præveniendam aut curandam rabiem hydrophobam, *radicem* secundo quoque die, in *calida aqua*, vel *cerevisia* dedit, et quidem adultis grana decem; sexennibus pueris grana quinque; quadrimis grana tria. *Foliorum siccatorum* adultis grana duodecim, quindecim, et post 48 horas grana decem, duodecim. Eorumdem scrupulum pro *infuso aquoso* (quod tamen minus adcommodum est) ad uncias decem *aquae fervefactae*, hujusque unciæ duæ adultis dantur primis diebus, dein quotidie augendo dosin, donec siccitas tensioque faucium, vertigo et pupilla dilatata adpareat. *Extrinsecus, forma pulveris*, aut *cataplasmatis* adhibetur. Præpostere atque inscite ingestam esse *A. Belladonnam* produnt: inebriatio, conquassatio capitis, cachinni, sitis inexplebilis, molestissima, deliria, anxietas præcordiorum, nisus vomendi subinde irritus, furor cum stridore dentium, et convulsionibus, pupilla, palpebris diductis, prostante immobili, pseudoblepsis, vel coecitas temporaria, ut vix ac ne vix quidem obversantem ægroti manum advertant, aut nictitent, trismus, nervorum distentiones, spasmus mandibulæ, anhelitus difficilis cum succussationibus crebris, suffocatio, apoplexia lethalis; quæ omnia rem conflictantis in præcipiti esse denotant, præsidiumque, cum a mora summum pendeat periculum, quanto ocyus quærendum urgent. Celebratissima *antidotus* est *Acidum aceticum dilutum impurum.* Hujus cochleare majus singulo quinto minuto dandum est, *clysterque* ex eodem singulo horæ quadrante injiciendus; in primis, si simul idem naribus offeratur, vel *vapor* ejusdem ex *Ferro ardenti* iisdem excipiatur. Operæ pretium pariter fa-

cient *succi* alii *vegetabiles acidi*, ut *Citri medicae*. etc. Juvat porro potio ex *Acido nitrico* et *aqua*, *adspersio aquae frigidae* in faciem, *pulvis N. Tabaci* naribus immissus, *frictio* plantarum pedum setis peragenda. *Lac tepidum* cum *Oleo nucleorum Amygdali communis*, si præsto est, largiter haustum. Alii *decocturam Coffeae saturatam*, ut auxilium offerunt. *Si venenum* adhuc in primis latibulatur viis, *vomificia* præsentaneo sunt remedio, si jam in intestinis, *potulenta multa*, si ad intestina crassa transmigravit, *catharticis*, vel *clysteribus* subducendum, idque missa omni cunctatione. At, si sensu et irritabili ventriculi natura, deletis, nullæ vomitiones provocari queant, tum *titillatio* faucium per plumam *oleo* intinctam, id præstat.

V. *Succus Belladonnae spissatus.*

## AVENA SATIVA.

### Овесъ обыкновенный.

Gramen, quod per universam seritur Russiam, locisque montosis, et macilentis bene viget; in Sicilia vero, et in insula Juan-Fernandez versus Chili sponte procrescere Anson innuit. *Cl.* Triandr. *O.* Digynia. *O. N.* Gramina. *L.* Gramineæ J. Annua. *Usualia sunt*:

Semina, oblonga utrinque extenuata, altero extremo latiori, sulco uno medio longitudinali distincta, *cortice* subangulato nucleo villoso, eaque decorticata, ustilagine vitiata, rejiciuntur.

Q. *Insipida*; farinacea.

V. Nutritoria; emolliens; demulcens.

U. *Decoctura Avenae* in febribus adcommodatissima, restituendo deperdito muco, involvendis acribus; hinc utilitas ejus in primis in catarrhalibus m. diarrhœa, dysenteria, blenorrhagia emicat, necminus ad deprimendam præternaturalem irritabilitatem in macie, hæmoptysi adhibetur, præsertim *acidulata*, imo etiam *clystere* injecto, si inflammatorium statum tollere lubet, omnino prodest. Subterdatur etiam sub vulgari, *olei unguinosi*, et pro re nata, *Muriatis Sodae*, connubio. Puls aqua facta et tepide admota ad emollien-

dos maturandosque tumores e. gr. mammarum a lacte coagulato aptissima. *Apozema Avenae excorticatae* cito acescit. *Panis avenaceus* est omnino nutriens, isque a Carpato-Russis, juga alpium, incolentibus, sub gentico nomine *овсяникъ* esitatur. Ad farinam e *seminibus Avenae* vulgo *толокно* dictam, Ruthenis usitatam, rite parandam, oportet *semina* cribri ope a s. *Spergulae arvensis* (торица) purificata, *aqua* bullienti infundere, ebullitionem aliquot candentibus lapidibus sustinere, vase, ita operto, ne minima etiam vaporum quantitas avolare queat. *Semina* hac ratione emollita de novo in calenti furno super cribrum posita siccentur, contundantur, purificentur a *palea*, (плева; кострица) atque demum molis fracta et in tenuissimam farinam mutata, vulgare *толокно*, *Far avenaceum* (*polentam avenaceam*) præbent, variis, ut supra dictum, morbis adcommodum. Optimum est *Uglitshense* in Jaroslawiensi Gubernio. *Farina avenacea tosta* in erysipelatosis, aliisque mitioribus tumoribus discutiendi ergo superdata, egregie valet.

D. Pro *decoctura*, *Avenae* uncia, et bilibra *aquae*, sumitur.

V. *Cataplasma avenaceum*; — *maturans*; *Decoctura Avenae*; *Pulvis absorbens*.

## B E T U L A  A L B A.

### Б е р е з а.

Arbor in sylvis crescens; frequentissima. *Cl.* Monœc. *O.* Tetrandr. *O. N.* Amentac. L. et J. *Usualia sunt:*

Folia, ovata, acuminata, serrata. Tenella præferuntur. Cortex interior; Succus betulinus, Березовый сокъ; carpato-russice: Березовка, perforatis terebra truncis, vel ramis, ineunte vere, ante, et sub frondescentiam, instar *lymphae*, stillans. Præfertur superiorum ramorum, tres circiter digitos, crassorum.

Q. Principio *gummeo-resinoso*, *alioque volatili* empyreumatico, et *aromate* nititur. *Foliorum: odor* balsameus; *sapor* amaro-adstringens. *Succi betulini:* sapor dulciculus.

V. *Foliorum:* reactionem exhalantium vasorum excitans;

lotium, sudoremque leniter ciens; calefaciens. *Succi betulini* antipsorica; antiscorbutica.

U. *Folia* in *infuso theaeformi* adversus arthrodyniam commendantur, (Darel) eadem *decocta extrinsecus* psoræ obponuntur, vel in vicem horum *ramuli* concisi decoquuntur; (Pauli.) recentia vero *folia* calefacta, partibus corporis, hydropysi, tumescentibus, post præviam *frictionem*, superdantur; atque sudore, quem proliciunt, prodesse existimantur. Ruricolis in Svecia evporiston contra myodyniam rheumaticam, et arthrodyniam sternere foliis lectum, ægroti, totum, præter caput, corpus, foliis obtegere, quo factum est, ut moto ubertim sudore, convaluerint plerique. (Bergius.) An in paralysi valeant, ut quibusdam placet, experiundum est. *Balnea* ex iisdem infantibus rhachiticis, scrofulosis, pustulosis, profuisse perhibentur. *Succus betulinus*, si ad alvi solutionem potetur, ascarides subducit; præconia quoque priscorum tulit in urolithiasi, vel præcavendo illi, vel dolores mitigando, quem in finem cerevisia etiam coquebatur. (Helmontius.) Alii eundem diabeti, retrogradæ psoræ, scorbuto, etc. obposuere. Paratur ex eo fermentatione *potio vinosa*, sat accepta, quæ gase *carbonico* abundans, addito *Saccharo*, *fermentoque*, atque etiam, si lubet, adjectis *seminibus Amomi Cardamomi*, et *cortice L. Cinnamomi*, gratior fit, vel, prout alii malunt, *fructus siccati Vitis viniferae*, et *Alcohol dilutum (Spiritus Vini gallicus)* sumuntur, atque protracta fermentatione, fit *fortior*, *Vinum Campanum* Galliæ, æmulans. Ad hunc fere modum est: Aqua betulina vinosa. *Cortex interior* adversus dialeipyras, præsertim, si scorbutica labe stipantur, item ad ulcera externa in decoctura ad libram laudatur. Rustici Scandinaviæ eundem calceis immittunt ad revocandum sudorem pedum, supressum. An is cum tritis *glandibus Quercus R.* commistus, pani, urgente annonæ caritate, ut id in ea Russiæ rubræ parte, quæ Podolia vocitatur, factum est, substitui queat, dubito sane de altrice ejus facultate. In Russia Oleum empyreumaticum betulinum, aut etiam *epidermidis Betulae nigrum* vel *Ruthenicum* (дёготь) audit, e cortice ubi deglubitur is,

elicitur, præter vulgares usus, ungendis vehiculorum rotis, inserviens; adhibitum etiam in hæmorrhoide. Alii exhiberi cum fructu posse in splanchemphraxi; ictero; amenorrhœa; hydropisi; diabete; fœditatibus cutis; psora; herpetibus, imo carcinomate ipso (Purmann) existimant. Laudatur etiam in pestilentia, si videlicet vestimenta *betulino oleo* imbuantur, totumque eodem corpus illinatur, sandapilarios a malo immunes reddi, experientia haud æquivoca docuit. In typhis pestilentialibus plantis pedum et volis manuum infricatur, aut ope lintei, eodem madefacti, admovetur. Contra vermes etiam valere dicitur. Ruthenica plebs utitur eodem contra blennorrhœam, et extrinsecus cum *Superacetate Plumbi* ad ulcera syphilitica.

D. *Succi betulini* bis vel ter de die selibra; præcipue in urolithiasi; *Oleum betulinum* a guttis duabus ad sex datur, aut forma *pilularum* a guttis totidem ad decem et ultra cum *sapone oleoso*, *pulvere radicis Glycyrrhizae glabrae*, aut *Saccharo*.

V. *Aqua betulina vinosa*; *Unguentum betulinum*.

## BISMUTHUM NATIVUM Hauy.

## Висмутъ самородный.

Occurrit *nativum* in metallifodinis Sieveriæ Colivano-Voscresenscensibus, nec non in monte Adontschelon in Dauria; maximus vero ejusdem preventus est in Saxonia, præterea invenitur etiam *mineralisatum* cum Sulphure sub nomine *Bismuthi sulphurati*, (сѣрный Висмутъ,) et commistum etiam cum aliis metallis, Cupro videlicet, Plumbo, Nicolo, et Tellurio in metallifodinis Berezowiensibus prope Aecatherinopolim, (notum sub nomine: *Bismuth sulphure plumbo-cuprifere* Hauy, (Висмутовая руда) ita etiam *mineralisatum* cum Sulphure (сѣрный Висмутъ) et tantummodo mistum cum Cupro sub nomine (блѣдно-красная или золотистая мѣдь) et tandem *oxydatum* (окись Висмутовая.) Perraro omnis *Arsenici*, *Cobalti* et *Argenti* etc. expers, obvium, hac metallica forma nunquam in usum medicum trahitur.

Q. Est metallum durum, fragile, ut pulverari queat, nitoris argentei, ut tamen color paulisper in rubicundum vergat, aëri expositum variis iridis coloribus, ludens, leni igne ante candescentiam (ad 400° F.) liquescens, flamma flagrans cœrulea, et sub refrigeratione, forma lamellarum coiens; intensiori autem igne partim avolans, partim oxydabile; cum effervescentia *Acido nitrico* solubile. Pondus specificum 9,670 : 9,822.

V. *Nitras Bismuthi.*

## BOLETUS IGNIARIUS.

### Agaricus Chirurgorum Ph. Ross.

### Губка древесная; трутъ.

Putrescentibus *Betulae*, *Fagi*, *Juglandis*, *Quercus*, *Tiliae* etc. caudicibus insidet, alte in ligneam compagem penetrans. *Cl.* Cryptogam. *O.* Fungi *O. N.* Fungi L. et J. *Usualis:*

Ad finem æstatis *collectus*.

Q. Tenuissime porosus, superne cinereus, margine albescens, inferne albidus. *Odoris* æque ac *saporis* expers.

U. Intensiori siccatus igne, atque in subtilem pulverem tenuatus, sudorem phthisicorum, a granis decem ad scrupulum, e quovis apto vehiculo porrectus, cohibere fertur.

V. *Boletus igniarius praeparatus.*

## BOS TAURUS.

### Bos, Vacca, Vitulus.

### Быкъ; Корова; Теленокъ.

In tota Europa, præprimis autem in Helvetia, neque minus in Americæ meridionalis partibus nonnullis, uti est Terra firma. *Cl.* Mammalia. *O.* Bisulca. (*Pecora.* L). *Usualia sunt:*

Caro *bubula*, *vitulina* cum *ossibus*, e qua et e *pedibus vitulinis* coctione parantur *juscula* et *gelatinae*. Lac; serum (pars ejusdem *caseosis butyraceis* partibus orbata, *aquosa*,) vel spontaneum, vel factitium. Postremum varia nomina, pro ratione adhibiti coaguli, sortitur; ideo *Serum lactis acetosum*, —— *aluminatum*, —— *sinapinum* etc. audit. Caseus; Saccharum

LACTIS, e sero evaporatione atque crystallisatione, idque in Helvetia et Lotharingia magnis in fabricis paratur. BUTYRUM INSULSUM, pars *oleosa* e *lacte* vaccino, arte obtenta. SEVUM BUBULUM, pinguedo e capsulis adiposis cordis, renum et maxime omentorum, eliquata. ADEPS TAURI PEDUM, coctione pedum, ungulis et cute denudatorum et collectione eliquaminis, jusculo innatantis, parabilis. BILIS TAURINA RECENS, vesicularum fellearum; communius vero *spissata* in vase figulino, vulgo *Fel Tauri inspissatum;* nobis vero: BILIS TAURINA SPISSATA, dicta. *Caro* in usum medicum adhibenda debet esse recens, ubi gelatinam parare lubet, fibrosæ *carnis* partes ventriculum mechanice irritantes removeantur. *Sevum bubulum* aliaque, ut: *hircinum*, et *ovillum*, quæ, alterum pro altero, sumi possunt, ranciditate, *odore* et heterogeneo quodam admisto, sint libera.

Q. *Carnis* in principio ipsius glutinoso sita est. *Odor:* si recens, nullus; *sapor* proprius animalis. *Lac*, *Serum* ejusdem, *Caseus*, *Butyrum*, *Sevum*, *Adeps* eandem fere possident qualitatem in *oleosis*, *albuminosis* et aliis nutritoriis partibus quærendam. *Odor* et *sapor* proprius animalis; *Butyri* tamen *sapor* blandus. *Saccharum lactis*, refert massam crystallinam, albi coloris, *inodoram*, *saporis* subdulcis, estque *Saccharum*, cui *caseosae* et *oleosae* partes adhærent. octo partibus *aquae*; minime vero Alcohole, solubile. *Bilis*, *extracti* formam habet, e fusco-virescentis, proprii *odoris* et intense amari *saporis*. *Aqua* plane solvitur *Bilis taurina*; ex solutione autem in *Alcohole* facta deponitur principium *albuminosum*, peramarum. Nec cum *Kalinis* effervescit, nec cum *acidis*, sed posterioribus densatur. *Oleis* unguinosis exacte unitur, nec itidem volatilibus. Destillatione ex *bile* educuntur: *liquor aquosus*, cito putrescens, *gas carbonium* et *Hydrogenii carbonati*, *Ammonium*, *Oleum empyreumaticum* et *carbo* ex *Soda* et *Subphosphate Calcariae* compositus.

V. *Lactis*, *Sacchari ejusdem*, *Butyri*: nutriens; involvens; relaxans. *Seri lactis* et *lactis ebutyrati*: attenuans; diluens; antiseptica. *Gelatinae*: nutriens, quin irritet ventriculum, lexipyreta.

*Bilis:* stomachica; antacida; anthelminthica; motum intestinorum tardiorem accelerans. (Niemann)

U. Juscula, et gelatinæ, in tabe, sub febre hectica, maxime commendantur, ita etiam in scorbuto, et tempore reconvalescentiæ. Cl. Seguin, primus gelatinam optato cum successu in dialeipyris tentavit. *Lac vaccinum*, ut nutriens, commendatur in tabe, phthisi, febre hectica, scorbuto, atque in aliis morbis, pravam nutritionem arguentibus; porro utile est ad diluenda obtundendaque deglutita *venena* acria, in enterodynia plumbea, quibus in casibus magna in quantitate porrigitur; datur quoque, pro re nata, per modum *clysteris*, haud secus, ac ad *cataplasmata* emollientia additur. *Lac ebutyratum*, non malum præbet refrigerans, nutriensque remedium, non solum in morbis inflammatoriis, sed etiam in hecticis et aliis infirmitatibus. *Serum lactis* virtutibus fere convenit cum *lacte*, iisdemque, uti hoc commendatur in casibus, præterea laudatur a quibusdam in protractis catarrhis, in hæmoptysi, hæmorrhoide, nec non mesenteremphraxi. Etsi non tam facile, ut *lac*, in ventriculo acescat; ob magnam tamen fluidi copiam, sæpe interanea haud parum relaxat, variaque inde dependentia mala producit, ad quæ prævertenda, non male adduntur eidem frustula quædam *corticis C. Aurantii*. Interdum eo variæ plantæ infunduntur, puta: Sisymbrium Nasturtium, Leontodon Taraxacum, Cichorium Intybus et similia, ac si temporis ratio fert, *succus* quoque ex hisce plantis expressus, apte additur adversus splanchemphraxin. *Saccharum lactis* idem promittit, quod *Serum*, (naturalis *Sacchari* hujus solutio;) notare tamen expedit, hoc cacostomachis magis convenire, dum *aquae* superflua potest evitari quantitas. *Butyrum insulsum*, intrinsecus adhibetur ad obtundenda, et involvenda *venena acria metallica*, deglutita. In tenesmo, dysenteria et aliis in casibus, ubi satius est *clysterem* injectum per aliquod tempus in intestino recto hærere, præstat vegetabilibus *oleis*. *Externe* ad varios usus parandaque *unguenta* inservit. *Sevum bubulum*, uti etiam *hircinum* et *ovillinum* ad *emplastra unguentaque* paranda usurpantur. *Sevum bubulum* huic scopo suf-

ficeret, sed si æque facile unumquodque adquiri possit, hæc varietatis copia, alterum alteri præferenti, lubenter concedatur *Adeps Tauri pedum:* unguentis opthalmicis commodissimum est constituens, fluidam utpote semper formam servans et ne post annum quidem rancedinem sentiens. In vicem *Olei olivi* in torpore, rigiditate ex contractura artuum, optime lubricat volas, vel digitos fricantis, atque medicamentis absorbtionis causa inungendis, mollissimum est vehiculum. *Bilis taurina recens*, in qualibet *aromatica aqua* soluta, dysenteriæ præsidio est, (Horn;) convenit pariter debili stomacho, hypochondriacis, hystericis, verminosis, chloroticis. *Externe:* maculas corneæ superficiales dissipare posse existimatur.

D. *Gelatinae* semuncium, pari aquæ portione, ad lenem solutam ignem, mox ante paroxysmum dialeipyrarum propinavit Seguinus, atque, tum intervallis decem minutorum hæcce præbia bis iterari voluit, ita, ut in toto ante paroxysmum sumta fuerit sescuncia; sub paroxysmo autem omnis potio præcipue *acida*, ægris negaretur; finito autem illo eadem dosis iterum porrigebatur aliquoties, nec non, etsi rarius, apyreticis diebus. Addi *aquam aromaticam*, vel *Aetheris sulphurici* pauxillum, e re esse censetur. Dosis *vaccini lactis* pro ratione morbi, aliarumque concurrentium rerum, variat. Ubi id magnis præbiis dari expedit, juvat, ne in ventriculo acesceret, aut ad corrigendum, si quem susceperit acorem, adjici quidpiam *Magnesiae*, quod imbecillo præcipue stomacho aptum. *Serum lactis* solum a selibra ad sesquilibram, vel etiam tres libras præscribitur interdum, ut excipiens, vel, ut constituens, in quarundam potionum, aliorumque remediorum præparatione. *Sacchari lactis* in pulvere, cum (vel sine) *Nitrate Potassae*, drachma, ter quaterve de die, vel semuncia in *seri* libra, aut bilibra *aquae fervidae* soluta de die. *Bilis recens* porrigitur aliquoties de die ad semunciam cum *aromatica* quapiam *aqua; spissata* vero a scrupulo ad drachmam cum *sapone oleoso*, *extractis amaris*, *Ferro limato*, in pilulis. Ceteris *amaris* vix præstat.

V. *Bilis taurina spissata; Clyster nutriens; Gelatina animalis; Linimentum bilis salinum I; — — — II; Serum lactis; — — aluminatum; — — sinapinum.*

## BRASSICA NAPUS.

Капуста рѣпчатая; дикая Рѣпа.

Planta copiosissime cultura crescens. *Cl.* Tetradyn. *O.* Siliquos. *O. N.* Siliquos. L. Crucifer. J. Biennis. *Usualia sunt:*

Semina, rotunda, bruna, nucleos albos, oleo farctos, includentia, amariuscula, acricula. Radix.

Q. *Oleosa.* Tertiam partem ponderis *olei unguinosi* erogant; immatura vero *semina* dant vilius, et parcius.

V. eadem, quæ ceterorum *oleorum.* Videsis: Oleam europæam.

U. *Oleum napinum,* (рѣпное масло) e *seminibus B. Napi,* ubi probe maturuerunt, expressum, in militari praxi aliis oleis, pretii carioris, substitui potest, præcipue depuratum, in enervandis etiam *venenis!,* ut fertur, proficuum. *Saponi* insuper viliori, et opificiis laneis crudum inservit, præterea ad lampades adhibetur; ardens tamen, fuligine sua, pectus gravare, supellectilem inquinare, stupaque, dum exstinguitur, graviter fœtere, perhibetur. *Radices napinae* in Gotlandia, sponte edules, et sapidæ, etsi graciliores, quam cultæ. Ob dulcem *succum* eas levare tussim, haud est absimile vero; scorbuticis prosunt. Bergius.

V. *Ceratum simplex; Oleum napinum.*

## BUBON GALBANUM.

Галбанникъ Африканскій.

Suffrutex in India orientali, Arabia, Syria, Mauritania, sponte crescens. *Cl.* Pentandr. *O.* Digyn. *O. N.* Umbellat. L. Umbellifer. J. Perennis. *Usualis est:*

Gummi-resina (*Gummi Galbani Ph. Ross.* Галбанъ,) granis ex albo-lutescentibus, sibi invicem, vel adglutinatis, vel massæ molliori luteæ, immistis, composita, e trunco prope *radicem* transversim secto, fluens, mox indurescens. In granis ad-

lata semipellucidis, albicantibus, vel flavo-rubellis, optima habetur. Aliis adulterata *gummiresinis*, est immunda, fusco-lividi coloris, minorisque odoris etc. Si aliæ ei admistæ sunt substantiæ, tum solutione in *Aethere nitrico alcoholisato* fraus detegitur.

Q. *aethereo-oleoso-gummeo-resinosa. Sapor* amarus, acer; *odor* gravis, ingratus, fere alliaceus.

V. Stimulans; resolvens; expectorans; menagoga; antispasmodica.

U. In obscænas sequioris sexus partes agendo, menstrua reserat, debilitate individuali suppressa, hinc etiam hysteriæ, eadem de causa ortæ, opitulatur. Flatus dissipat, doloresque inde ortos, et spasmos pacat. Pollet etiam anthelmintica vi. In universum cautionem injungunt arteriarum micatus accelerati, et febrile molimen; secus fertur melius. *Extrinsecus* vim resolventem exserit: hinc in myodynia rheumatica, arthrodynia, in variis inflammationibus, astheniæ notas ferentibus, ita in contusionibus, fracturis, ulceribus mali moris, tuberculis hæmorrhoidalibus; (admoto linteo, *tinctura* ejus imbuto) pernionibus (per *modum emplastri* in copula *resinae pineo-sylvestris empyreumaticae, Acetatis Cupri, Muriatis Ammoniae.*) Abscessus *forma emplastri* ad maturationem perducit, partesque abscedentes, vel duras (ut clavos) emollit.

D. Vel *forma pilularum* addito quopiam congruo pulvere, vel *emulsionis* (duabus drachmis *gummiresinae* hujus, *vitello ovi*, drachma *gummi Acaciae verae*, et selibra *aquae* constantis,) vel *solutionis* in *Aceto*, vel *eodem scillite*, vel *Acetate Ammoniae liquido*, vel in *Aethere sulphurico alcoholisato* etc. a granis decem ad scrupulum.

V. *Emplastrum Galbani stibiatum; — gummi-resinosum.*

### CALLICOCCA IPECACUANHA Brotero.

### Cephaëlis — — — — — — W.

### Ипекакуанникъ.

Planta proveniens in australioribus Brasiliæ locis: in Pernam-

buquia, Bahia, Riojanæria, Paulensia, Mariannia aliisque Brasiliæ provinciis. *Cl.* Pentandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Aggregatæ L. Rubiaceæ. J. Perennis. *Usualis est:*

Radix, (vulgo *radix Ipecacuanhae*, рвотный корень) subcilindrica, flexuosa, tenuis, digitali, et quod excurrit, longitudine, crassitie pennæ anserinæ, vel minoris, annulis eminentibus, inæqualibus, numerosis cincta, ex substantia constans exteriori, mellei, vel grisei coloris, fragili, amaro-acri, et nauseosa, epidermide tecta cinerea, vel nigricante, atque ex parte intima centrali lignea, tenaciori, subflavescente, insipidaque; filo percursa lignoso, æquali, albo, fere insipido, mucilagineo, a quo facile in plures annulos fissa, contiguos et inæquales, fissuris lævibus, separatur. Characteribus heic descriptis a *radicibus Violae* et *Apocyni*, fibra instructis centrali e fusco-rubescente, aliisque emeticis: ut a Psychotria emetica, Periploca emetica, Euphorbia Ipecacuanha, Triosteo perfoliato, Psoralea glandulosa, Podophyllo peltato, Cynancho Ipecacuanha etc. depromtis, perfacile distinguitur.

Q. Principio nititur *resinoso*, *cinchonino* (Duncan.) *Odor* mucidus, nauseabilis pulveratæ *radicis;* cortex ejusdem inodorus; *sapor* amarus, acriculus, pungens.

V. Stimulans, majori dosi vomificia; minori vero sudorifica; sublevando vasorum (membranæ pulmonum mucosæ) exhalantium constrictionem, sputum movens; interdum liquans alvum; antispasmodica, in substantia præcipue corticali sita.

U. Inter præstantia jure refertur *vomificia*, ususque ejusdem in multivariis morbis, ubi per *emesin* ventriculum exinaniri juvat, increbuit, nec infantibus tenellis repudiandus, nec præsente febre, quum citra calorem operetur, incongruus. Satius tamen duco, quod de omni *evacuante* in universum valet, exacerbationum tempus vitare; ita ante accessionem febris intermittentis præmissa integra apyrexias hora, vel subsidente jam febri, sub stadio frigoris, rectissime datur. Febribus continuis non nisi incipientibus, opportunum *emeticon*. Spasmos

dosi refracta sopire variis elucet documentis, sic non vulgaris est efficaciæ in asthmate spasmodico, cui hypochondriaci et hystericæ matronæ, persæpe sunt obnoxiæ et feminæ mensium obstructione laborantes, vel termino, quo cessant, propiores. Ita in tussi catarrhali respondit pluries sputa levando, opemque absque evacuatione sensibili ferendo. Nec in pertussi, epilepsia, imo etiam ictero inutilis. Magna in existimatione in alvi profluviis fuit, sacraque vocabatur anchora, qua nullum præstantius, tutiusque remedium esse existimabatur. Nec nunc fama ejus cecidit, licet limatius judicium, morbi stadium, cui conveniat postliminio curatius discernere didicerit. In dysenteria plurimi fit, sed morbi initio datur optime, quum vires adhuc sufficiunt, viscera adhuc firma, præcipue sub vomendi conatu, cardialgia, borborygmis etc. Nec suo in cohibendis hæmorrhagiis pretio defraudanda est, ita in immoderato catameniorum, aut hæmorrhoidis fluxu, hæmoptysi, metrorrhagia, parva, sed frequentius repetita dosi. In hæmaturia quoque teste Dahlbergio, profuit. Exanthematibus, ubi subito disparuere, revocandis, adcommodum remedium, nec minus utile in testiculi induratione, vomitionibus, discutienda. Haud desunt, qui melancholiæ et maniæ obposuerunt. Usus ejusdem, ut vomificii, phthisiscentibus, herniosis, hæmorrhagiis et congestione sanguinis ad caput laborantibus, alienus. Ut C. Ipecacuanhæ abnormis actio, vel imminuitur, vel sufflaminatur *Opio*, ita vicissim illa, par est effectui *Opii*, æquo majori, infringendo.

D. *Pulveris* grana duo, tria, scopo *emetico*, infantibus; adultis grana quindecim ad viginti, addito interdum grano *Tartratis Stibii* et *Potassae*. In ceteris morbis pro re nata variat.

V. *Pulvis Ipecacuanhae*; —— *opiatus*; —— *stibiatus*; *Vinum Ipecacuanhae*.

## CANNABIS SATIVA.

### Конопля.

Planta Indiae, in Russia ad 66°, et quod excedit, ut

in Lapponia Kemensi, semina maturescunt; in Perside vero, imo etiam apud nos ad Wolgam, Achtubam, et fl. Török etc. spontanea. *Cl.* Dioecia. *O.* Pentandr. *O. N.* Scabridæ Annua. *Usualia sunt:*

Semina, rotunda, glabra, binis valvis, *oleoso-mucilaginosa.* Immatura, impura, quandoque et rancida, improbantur.

Q. In *oleoso, mucilaginosoque* principio residens. *Odoris* virosi.

V. Demulcens; sedans; nutriens.

U. *Seminum oleoso-mucilaginosorum* scopo involvendi in diarrhœis, stranguria ab inflammatione viarum uriniferarum, sic in blennorrhagia, vel urolithiasi. Immo etiam in ictero spasmodico, tussi catarrhali profuisse feruntur. Arabes, teste Simeone Setgi exprimunt *succum* ex *foliis* inebriantem, *cacumina* item cum *melle* comedunt, (Lister,) ad propitiandam animi domesticam sollicitudinem, quod occasionem, ut verosimile est, dedit, *succum Cannabis sativae* in *Opii* locum proponendi. (*Journal v. Hufeland.*) Caffri loco *Nicotianae* fumant.

D. Uncia *seminum,* cum libra *bullientis aquae* conteritur, atque colatur, ut fiat *emulsio;* vel semuncia *seminum* libra bullientis *aquae* infunditur. Interdum addere expediet *Althaeam off.* vel similia. *Semina* contusa, *lactique* incocta, pro cataplasmate adhibentur.

V. *Infusum Cannabis; Oleum cannabinum.*

## CAPSICUM ANNUUM.

### Piper indicum, seu hispanicum.

Перецъ годичный стручковый; Гишпанскій;—Турецкій.

Planta caule herbaceo, pedunculis solitariis, fructibus oblongis, pendulis; Americæ meridionalis, Indiæ utriusque; in vaporariis apud Ruthenos colitur. *Cl.* Pentandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Solanac. *L.* Solaneæ J. Annua. *Usualis est:*

Fructus, capsularis, ruber, nitidus, conicus, incurvatus,

*seminibus* subrotundis, compressis, albidis refertus. *Fructus Capsici baccati* non est adeo acer, nec proinde huic substituendus.

Q. Præstans, in *resinoso* residens principio. *Sapor piperi* analogus, acris, fervidus, diu in ore remanens.

V. Stimulans; peptica; *extus:* rubefaciens.

U. In dyspepsia a torpiditate, muci adcumulatione, parvis præbiis adhibetur. In febribus intermittentibus protractis et repullulantibus cum successu præscripsit Bergius, et quidem formula sequenti: *seminum Capsici annui* grana sex, *draparum Lauri nobilis* drachmas duas, pulveratas in tres partes æquales divisit, quarum prima, incipiente primo vigore, secunda postridie eadem hora, tertia vero tertio die sumebatur, et sic febres propulsatas sine relapsu refert. Laudatur quoque in typho, vi vitali submissa, paralysi, aut pronitate humorum in putredinem minante. In vomitu nigro, quo febris flava ægrotos adoriri solet, cum successu exhibitæ sunt *pilulae* e *fructus Capsici annui* drachma, *farinae secalinae* granis quinque et *aquae* sufficiente quantitate factæ, duodecim, quarum una, secunda quaque hora propinabatur. Nec in paralysi extremitatum irrita medela. In nostalgia, teste Makitrick (qua inprimis apud nos parvo-Russi laborant, quum in borealibus oris militare coguntur) scarlatina anginosa caute (Wright,) febribus tropicis, apathia, comate stipatis, superdato cataplasmate. *Succus baccarum* exsuccarum recentium *Capsici* in ophthalmiis asthenicis majorem in modum laudatur, uti nec *infusum Capsici* in gutta serena, guttatim oculis instillatum inefficax (*granum* in uncia *aquae* trihorio infunditur), protracto præsertim usu, utile. Hydropi cum *ferratis* obponitur. Et *tegminis* et *seminum* creber in Jamaica usus est pro orexi cienda, digestioneque adjuvanda. *Condimentum* Anglice *Cayenne pepper* dictum, quod ex Cayena in America transfertur, atque a Britannis medicinæ loco adhibetur, e *seminibus Capsici baccati* (*bird pepper*) mola contritis, *farina triticea*, et *fermento panis* componitur. Massa in furnis siccata in pulverem tenuatur.

D. In *pulvere* a duobus ad sex grana cum *ligno Quassiae amarae*.

V. *Cataplasma sinapinum acerrimum*.

## CARBONAS CALCARIÆ NATIVUS.

### Углекислая известь; мѣлъ; крейда.

In variis Rutheniæ oris reperitur, imo circa Moskvam; ast uberrimus ejusdem melioris notæ proventus est in cretaceis collibus circa Tanaim, Volgam, Borysthenem, Tyram, Hypanim etc. In primis vero penes oppidum Bielgorod, et Schigri Curscensis Gubernii. *Marmor album; Creta alba; Testae Ostreae edulis*; (*Conchae*;) *Lapides*, seu *oculi Cancri Astaci; Testae ovorum avium* etc. referunt quæcunque *Carbonatem Calcariae*, plus minusve purum, (recteque alterum pro altero sumi potest;) postrema tamen concrementa animalia, aliquo modo animalisata, *gelatinam* nimirum *animalem* continentia, qua facilius redditur connubium cum humoribus animalibus, usui interno aptiora esse videntur, crudioribus e minerali regno desumtis, quæ iterum pharmaceutico scopo, ad paranda scilicet alia remedia, dum pura fuerint, præferri merentur.

Q. *Carbonas Calcariae aqua* non solvitur, ubi tamen superat quantitas *Acidi carbonici*, pars ejus redditur solubilis, quod in variis *mineralibus aquis* locum habet. *Acida* ei adfusa effervescentiam causant, *gas acidum carbonicum* expellendo; quod etiam igne fieri potest. Centenarius constat *Acidi carbonici* partibus tredecim, *Calcariae* partibus triginta duabus, et *aquae* partibus duodecim.

V. *Aqua Acidi carbonici; — acidula artefacta*; *Carbonas Calcariae praeparatus*; *Gas carbonicum; Murias Calcariae*; *Pulvis absorbens*. —

## CAREX ARENARIA.

### Осока песочная.

In arenoso solo, præsertim mobili, per totam Russiam, crescens, in sabuletis vero circa Wolgam copiosissima. *Cl.* Monœc.

*O.* Triandr. *O. N.* Calamariæ L. Cyperoideæ J. Perennis. *Usualis est:*

RADIX, prælonga, repens, articulata, nodosa, *extus* rubens, *intus* alba. Cum CARICE HIRTA et SPICATA, priori ex nodis et interstitiis, fibras emittente, *spicis* omnibus oblongis, fœmineis, remotis, vaginatis, vaginis lanato villosis, *caps:* hirtis, uti etiam cum C. DISTICHA et INTERMEDIA neutiquam confundenda: differt a CARICE ARENARIA, *spica foliorum* oblonga, acutiuscula, *spiculis* plurimis terminalibus masculis, inferioribus fœmineis, *capsulis* marginatis, membranaceis.

Q. In *volatili oleo* residens. *Odor* resinoso-terebinthinaceus; *sapor* subdulcis, farinaceus.

V. Sudorifica; diuretica; *radici Smylacis Sarsaparillae* analoga.

U. Est remedium leniter agens, morbidæ reproductioni adcommodatum in syphilide cumprimis, et fœditatibus cutis celebratum. Pro succedanea habetur *radici Smilacis Sarsaparillae*, eique, quum etiam levioris pretii sit, præfertur a quibusdam.

D. Concisæ *radicis* uncia in *aquae* libra decoquitur ad selibram, atque sic vasculis præbetur.

## CARUM CARVI.

### Тминъ; Тимонъ.

Planta, caule ramoso, vaginis foliorum ventricosis, involucro partiali nullo, in pratis Russiæ australis spontanea. *Cl.* Pentand. O. Digyn. *O. N.* Umbellatæ L. Umbelliferæ J. Biennis. *Usualia sunt:*

SEMINA, ovato-oblonga, ex fusco-subincana, striata, aromatica.

Q. In *volatili* residens *oleo; odor* aromaticus, subgravis; *sapor* moderate calidus; subamarus.

V. Stimulans; peptica; resolvens; lactifera.

U. Inter indigena non spernendum stimulans, nervos in primis abdominis. In dyspepsia præcipue infantum, flatuum

molestiis, enterodynia flatulenta, spasmodica vomitione etc. præsertim, si hæc incommoda apud adultos perfrictione, vel usu ciborum, vel male habente hypochondriasi, vel hysteria, sunt orta. Lac etiam nutricum auget, (Darel.) *Infusum* cum *melle* mucum pulmonum resolvit. (Blair.)

D. Vel masticantur *semina*, vel in *pulvere* cochlearibus parvis, vel in jusculis adhibentur. *Decoctura* concentrata in *pulte* vel *clysteris* forma *extrinsecus* in enterodynia flatulenta, haud inepta. *Oleum* tam *interno*, quam *externo usu* idoneum. *Interne* ad quinque propinatur guttas cum *Saccharo*; *externe*, vel per se, vel cum *linimento Ammoniae*. Pro frictione *Olei* semidrachma, *linimenti Ammoniae* uncia; pro *clystere* decem, viginti guttæ, in tantillo *Alcoholis* soluti et cum *tepida aqua* permisti, adhibentur.

V. *Aqua Carvi; Oleum*—;*Elaeosaccharum*—.

## CASSIA SENNA et LANCEOLATA. (Forskol.)

Кассія ланцетовидная; Египетская Сенна.

Planta fruticosa Africæ, Nubiæ et Arabiæ incola. *Cl.* Decandr: *O.* Monogyn. *O. N.* Lomentaceæ L. Leguminosæ J. *Usualia sunt:*

Folia, pinnata, bijuga; *foliol:* subovatis, obtusis, longitudine pollicis, *petiolis* eglandulatis. Optima sunt *Alexandrina*, (*foliis* quadrijugis, ovato lanceolatis, acutis) glandula supra basin petiolorum prædita, Александрійскій листъ, ruthenice dicta. Hæc folia teste (Nectoux) a Cassia lanceolata et Cynancho oleæfolio desumuntur. *Tripolitana* grandiora et obtusiora, læte virentia, scabriuscula, minoris æstimantur. In Arabia circa Mocham provenientia sunt longiora, magis acuminata, atque *Alexandrinis* inferiora habentur. Quæ in Italia et Gallo-provincia gignuntur, forsan ab Oriente advenæ, Tripolitanis maxime respondentes, eminentiores tamen habent *costas*, facilius in miculas abeunt, atque enumeratis virtute cedunt. Ut C. *Sennae foliorum* in locum, *folia Coluteae arborescentis* et *frutescentis*, fraude substituta fuissent, id dissimili eorum forma perspecta, rarius factum esse, recentiores arbitrantur.

Q. *Odor* non prorsus gratus, nauseosus; *sapor* nauseabilis, amaricans, subacris, in principio *volatili* residens, partibus *gummosis* et *mucilaginosis*, *resinosas* et *aethereo - oleosas*, non parum superantibus.

V. Cathartica, actionem vasorum exhalantium, motumque intestinorum peristalticum intendendo.

U. Hoc *catharticon* adcommodum ægris minus irritabilibus, vulgo phlegmaticis dictis, ubi nullus inflammatorius status, nullæ congestiones, majori dosi in nevroblacia, et muci adcumulatione; minori vero in habituali obstipatione.

D. *Pulveris* forma perraro dantur a semidrachma ad drachmam; justius tamen, ne (quod fieri adsolet) tormina excitent, a quinque ad quindecim grana, aliis *catharticis* adduntur. In *electuario* a decem granis ad scrupulum de die in habituali obstipatione. Si alvus rite ducenda est, tum secunda quaque hora, donec responderit, exhibentur. In hæmorrhoide, *Sulphur sublimatum* recte eidem additur. *Infusum bulliente* semel *aqua* factum optimam formam constituit. *Petioli* (*stipites*) *foliis* interdum intermisti, non aliter torminum, quæ sub usu oboriuntur, dici possunt causa, quam, si verum esset, quod Horn habet, quod illi *foliis* ditiores essent, et ad hæc talis casus incideret, ut et *stipites* in data portione *folia* superarent, et intempestiva, si *infusum* pararetur illius parandi diligentia, partes *resinosae* una solverentur, quod vero ex simplici *calidae* transfusione, vel secundum Bouillon la Grange diuturniore frigide fieri nequit, quippe qua partes tantummodo magis volatiles solvuntur; sic *infusum*, si recte paratur in se ipso eas quoque partes, *gummosas* scilicet *mucilaginosas aethereas* continet, quæ vim *resinosarum* infringunt. Alii, ut enterodyniæ prævertant, (sicilico aut semunciæ *foliorum* pro colatura selibræ *liquidi*, sub *syrupi* cujusdam grati connubio, præscribunt, et hujus partitas doses, donec effectus contigerit desideratus, capere expedit) suadent *corticem L. Cinnamomi*, *semina A. Cardamomi*, *Coriandri sativi*, *Cari Carvi*, *radicem A. Zingiberis*, *Aetherem sulphuricum alcoholisatum* addi, alii sub

spasmodico statu *Opium*, vel sub debilitate canalis intestinalis, *radicem Gentianae luteae* et *flores M. Chamomillae*, vel sub statu inflammatorio *Nitratem*, vel *Supertartratem Potassae*.

V. *Clyster catharticus*; *Electuarium Sennae*; *Infusum* —; — — *salinum*.

## CASTOR FIBER.

### Бобръ.

Animal Europæ borealis in locis desertis, nemorosis, ad littora marium, fluminaque habitans. *Cl.* Mammal. *O. N.* Nectopoda. Palmipeda. (*Glires L.*) *Usuale est:*

Castoreum, Ruthenice Бобровая струя, seu substantia unguinosa, in folliculis excretoriis quatuor utriusque sexus, inter anum et genitalia sitis, ovi gallinacei magnitudinem æquantibus, intertexta membranulis tenuioribus. *Ruthenicum Pruthenico*, *Polonico*, *Germanico* præferendum; *Canadense* Americæ vilipenditur; utriculis venit minoribus et tenuioribus. Primum est ponderosum, magnis turgescentibus folliculis inclusum, membranulis tenuibus intertextum, friabile; haud vero totum exsuccum, hepatici coloris.

Q. Præstans ab *Oleo volatili* repetenda. *Odoris* est virosi, ingrati, penetrantis; *saporis* acris, amaricantis.

V. Ejusdem stimulans; nervina; antispasmodica; menagoga; aphrodisiaca; similis *Moscho*. Volatilem fugacemque præbet systemati sensifero stimulum, qui remissionem præcedentium turbarum infert; cum tamen majorem, quam *Moschus resinae* copiam contineat, multo diutius incitat, vasa in primis sanguifera adficiendo.

U. In typho nervoso, directa asthenia, orto, pulsu arteriarum debili, tremulo, intermittenti, cum deliriis, stipato, in febribus intermittentibus, neuroblacia conspicuis, item in hypochondriaseos et hysteriæ symptomatis, irritabilitate præternaturali, citra tamen nauseam, et vomendi conatus, molestis, imo in enterodynia spastica, cum flatuum copia juncta, est eximiæ

efficacitatis. Multum præstat in spasticis motibus apyretis, quibus hystericæ a menstruis defectæ vexantur, utut delicatulæ minus ferant, quam rurales. Tulit etiam præconia in spasmodico asthmate, lypothimiis, vertigine, insultibus hystericarum apoplecticis, epilepsia etc. Stimulando uterum exhibetur cum fructu adversus spasticos puerperarum dolores, aut catameniorum suppressionem.

D. *Pulveris* forma ad grana quinque ad semiscrupulum, vel etiam scrupulum, cum *Saccharo*, *Magnesia*, aut *gummi Acaciae verae* datur, adjunctis, pro re nata, *radice Valerianae off. Camphora* et *Opio*. *Pilulae* etiam fiunt ex *eodem*, *extracto Marrubii vulgaris*, *Menyanthidis trifoliatae*, *gummiresina F. Assae foetidae*, et *pulvere radicis Rhei palmati*. Pro *clysteribus* drachma sufficit.

## CENTAUREA BENEDICTA.

### Carduus benedictus Ph. Ross.

### Волчецъ кудрявый; Стоголовникъ.

Planta in Europa australiore, præcipue in insulis Archipelagi frequens; in hortis vulgo culta. *Cl.* Syngen. *O.* Frustranea. *O. N.* Compositæ capitatæ L. Cinarocephalæ J. Annua. *Usualia sunt:*

Herba florens, peramara, floribus compositis, tubulosis, croceis, calyce cum foliis adjacentibus ope texturæ arachnoideæ cohærente. Semina, oblonga, leviter incurva, basi ad latus exsecta, striata, supra margine serrato coronata, cortice griseo amaro vestita, intra quem medulla alba, dulcis.

Q. Præstans; *sapor herbae* pure et intense amarus, inhærens; *seminum* dulcis mucilaginosus; *odor* ingratus *herbae*. Extractivo amaro nititur.

V. Stomachica; antacida; sudorem blande movens. Vomitum ob amaritiem nauseosam aliquoties movit.

U. In infirmitate stomachi, pituita gravati, et bradypepsia

hinc orta, præsentanei effectus, bilem corrigendo, digestionem firmando, stases pituitosas solvendo, ipsi vermium genesi officiens. In febribus intermittentibus diuturnis, splanchemphraxi stipatis expedit *extractum*, cum *extracto Matricariae Chamomillae*, *Fumariae off. Tritici repentis*, addito *Acetate Potassae liquido;* valentius vero adversus stases diuturnas reserandas, quam potentiora stimulantia agit. In ipsis febribus remittentibus, ubi ventriculus et intestina humoribus viscidis scatent, *extractum* plurimi pensum cum *Tinctura Valerianae off.* ex *infuso Serpentariae Virginianae* mistum. Alia laus est in malignis, quin in ipsa pestilentiali (Mathiol.) In morbis pulmonum, ad solvendas stagnationes in glandulis pulmonalibus, movendos screatus, a quibusdam laudatur. In tabe, et hydropibus eximium est adminiculum aliorum, *Scillae m.* exemplo et *gummi resinae Stalagmitidis Cambogioidis*, quibus officit, quo minus ventriculo insidias struant. Denique ulcera tibiæ ad ossa usque profunda, persanata fuisse feruntur *emplastro*, quod *folia Centaureae* excepit. (Arnold.) *Semina* ad sudorem movendum data sunt cum successu, item ad eruptionem variolarum et morbillorum accelerandam.

D. Exhibetur in *aqua* bulliente infusa *herba*, vel *extractum aquosum: hoc* frequentius et commodius *illa*. *Extractum* a granis decem ad scrupulum exhibetur in *pilularum* forma. In *infuso* ad *aquae* bullientis unciarum octo semuncia *herbae*. *Seminum emulsionis* forma convenientissima; opus vero habet ad minimum decuplo *aquae*, et grisea evadit.

V. *Extractum Centaureae benedictae.*

## CENTAUREA CALCITRAPA.

### Carduus stellatus s. Calcitrapa. (Bauh.)

Чертополохъ звѣздчатый или хохлатый; Приворотникъ; tatarice: Кораль.

Planta in australibus Rutheniæ oris, in primis vero Chersonesi tauricæ atque Iberiæ, in locis incultis, et ad vias copio-

se crescens. *Cl.* Syngenesia. *O.* Frustranea. *O. N.* Compositæ capitatæ *L.* Cinarocephalæ J. Annua. *Usualis est:*

Herba, *foliis* pinnatifidis, linearibus, dentatis, caule piloso, calycibus subduplicato-spinosis, sessilibus, corollis radii purpureis, disci albidis.

Q. In principio *extractivo amaro* residet.

V. Deobstruens; lexipyreta; diuretica; *seminum* præcipue adstrictoria.

U. Ab incolis Chersonesi tauricæ *decoctura herbae* in profluviis alvi asthenicis cum successu adhibetur. In splanchemphraxibus etiam valet, quo in casu *succo Leont. Taraxaci, Fumariae off.* etc. videtur esse analoga Gilbert. Laudatur quoque in febribus intermittentibus, in iis, ut verosimile est, quarum proxima causa in visceribus infarctis latet. Calculosis utilem esse plura exstant documenta.

D. Exhibetur plerumque forma decocturæ e sescuncia *herbae* siccatæ et concisæ in *aquae* libris tribus et semis ad remanentiam bilibræ, paratæ, idque ter, quaterve de die, poccello capitur. *Pulveri* pariter locus est, cujus scrupuli duo aliquoties in die sumuntur. *Succi foliorum* recenter expressi, in qualibet *aqua aromatica* soluti, drachma, vel sicilicus, per diem bibitur.

## CERVUS ELAPHUS.

### Олень.

In tota septentrionali regione, præprimis autem in Kamtschatka. Aestivo tempore gregarie sylvas ac montes elatiores; hyemali vero, depressa muscosaque loca inhabitare solet. *Cl.* Mammalia *O.* Bisulca. (Ruminantia.) *Usualia sunt:*

Cornua, solida, ramosa, ab aliorum ruminantium *cornubus* facile distinguenda. Datur in officinis, præter integra cornua, *rasura cornu Cervi*, seu *C. C. raspatum*, griseo-albicans, fragile. Sevum, quod ex capsulis adiposis præsertim renalibus animalis hujus eliquatur. *Rasura Cornu Corvi* solet aliquando a turpilucricupidis lignea scobe falsificari, sed fraus colore al-

bussimo, ac difficili fragilitate detegitur. *Sevum* flavescens, rancidum, amaricans, minus aptum est usui medico.

Q. *Cornu: mucilaginosa. Odor* et *sapor* nullus. Prunis inspersa *rasura* hæc fœtidum spargit *odorem*. C. C. *rasum*, cum *aqua* diutius in vasis clausis excoctum, præbet liquorem, qui refrigeratus *Gelatina cornu Cervi* dicitur. *Sevi: oleosa. Odor*, si probe depuratum est, nullus; *sapor* autem blandus.

V. Gelatinæe *cornu* extractæ: nutriens; involvens. *Sevi:* emolliens.

U. *Gelatinae*: morbi asthenici, colliquativi, phthises, tabes, febres hecticæ etc. Semper tamen præcipue in praxi militari huic *gelatinae* substitui potest illa recens ex *ossibus bubulis* parata (Vide: Bos Taurus) plane iisdem virtutibus gaudens, dum *cornu Cervi*, præter id, quod carioris sit pretii, haud raro est vetustum, atque tum parum bonæ *gelatinae* continens. *Sevi* usus solummodo est externus, in abscessibus, quoties pus nondum ad maturitatem pervenit; in rigiditate musculorum et quæ sunt alia similia mala; componendis item *unguentis*, *emplastris* etc. inservire potest. *Calcinata cornua*, *Subphosphatem Calcariae* referunt.

D. *Gelatinae* in libra *ptysanarii* alicujus, vel syrupi solutæ ad semunciam. *Sevi* pro re nata variat.

V. *Decoctura mucilaginea* II; *Gelatina cornu Cervi; Oleum pyro-animale; — — depuratum; Subphosphas Calcariae; — — stibiatus.*

## CETRARIA ISLANDICA. W.

### Lichen islandicus. L.

### Исляндскій мохъ.

In borealibus Russiæ, præcipue ericetis, saxetis, perfrequens. *Cl.* Cryptogam. *O.* Lichenes. *O. N.* Algæ, *L.* et J. Perennis. *Usualis est:*

*Frons*, ex viridi-castanea, coriacea, membranacea, multifida, lobis erectis, canaliculatis, plicatis, scutellis ad marginem liberis, vix marginatis.

Q. Eximia, a principio *extractivo*, *mucilaginoso* et *scytodepsico* derivanda, subamara, *odore* nullo.

V. Nutritia; subadstringens; roborans.

U. In morbis pulmonum asthenicis, tussi, hæmoptysi, catarrho asthenico (chronico), in omni tabis genere, ut phthisi, atrophia &c. in diarrhœa quoque, lienteria, dysenteria. *Pani* quoque additur; in Islandia vero ob sterilitatem soli ab incolis in quotidianum usum adsumitur, cum *lacte decocta*, atque inter meliora ibi refertur *edulia*. MACKENZIE: (*Travels in Iceland*; MOHRS: *Islandske Naturhistorie. Kjöbenhavn.*)

D. Perraro adhibetur in *pulvere* propter levitatem a semidrachma ad drachmam; ast potissimum, vel *lacte* decocta, (prius tamen in grossum pulverem redacta,) vel a duabus drachmis ad unciam in selibra, vel libra *aquae*. Sapidior fit *decoctura*, si paulum *chocolatae* adjicitur, nisi forte morbus hoc additamenti genus recuset. *Gelatina* quoque fit ex *eadem* cochleatim administranda.

V. *Decoctura Cetrariae*; *Gelatina* —.

## CHELYDONIUM MAJUS.

Чистотѣлъ великорослый; Чистякъ большой; Ластовичная трава.

In locis ruderatis et ad sepes copiosissima. *Cl.* Polyandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Rhœadeæ *L.* Papaveraceæ J. Perennis. *Usuales sunt:*

HERBA *recens*, pedunculis umbellatis, foliis quinquelobatis, lobis angustis acute laciniatis. RADIX ramosa, dum recens, bruno-rubicunda, siccata nigra.

Q. Præstans, principio *volatili acri* exuberans, SCILLÆ M. DIGITALI P. ACONITO NAPELLO aliisque similibus, analogo, siccatione mitescenti. *Odor* totius stirpis nauseosus, ingrate gravis, præcipue *radicis*; arefactæ vero vix aliquis; *sapor* amarus, acris; scatet *succo* crocei coloris, saturatiori tamen in *radice*.

V. *Radicis recentis*: resolvens, sudorem et lotium movens, alvum subinde ducens.

U. In splanchemphraxi morbisque ab ea provenientibus, ita in ictero emphractico, obstructione splenis, glandularum mesenterii, pancreatis, in infarctu pulmonum (cum *Aceto scillitc.*) *Succus* recenter *expressus*, organorum abdominalium et systematis venæ portarum actionem intendit, astheniam extremorum arteriarum tollit, atque obstructiones reserat; a scrupulo ad semidrachmam propinatur. In eundem finem, vel *radicis* vel *foliorum infusum aquosum*, vel *radicis* pulvis ad semidrachmam exhibetur. Ab aliis *Serum lactis*, in quo *folia* frigide macerata sint, adjecto *Supertartratis Potassae* tantillo, commendatur. Aptissimus est *succus* ejusdem *spissatus* a decem granis ad duodecim per diem offerendus, *aqua destillata*, solutus. Oedematosis tumoribus pedum *folia recentia* admoventur. Hydropisi methysticæ *herbae* et *radicis* ex *Cerevisia infusum* cum successu oppositum est. An in scorbuto, herpetibus, oculorum adfectionibus, dialeipyris (Linnaeus) sit efficax, experiundum est. Ruricolæ *herbam recentem* plantis pedum cum *Muriate Sodae* et *pipere* ante paroxysmum dialeipyrae optato interdum cum successu admoverunt. Contra syphilidem a cl. Hechtel, Rau, Kapp, optimo cum successu adhibebatur (Videsis: pilulas Chelydonii m.) a duabus pilulis (ad XX) incipiendo, duas iterum descendendo. Si ægri cita alvo laborant, ad tempus supersedendum iis. Wendtius auctor est, ut ineunte æstate *succus* e *radice* & *herba* expressus, pari *mellis* portioni et *aquae* remistus, ab initio cochleari parvo, sensim dein sensimque auctiori dosi, magno, administretur. Laus ejusdem in depurandis sanandisque ulceribus ad vetustiora pariter, ac seriora tempora pertinet. *Succus* molliores verrucas, iisdem illitus exest (Heister, Platner.)

D. *Succus expressus* a scrupulo ad semidrachmam; spissatus ad decem grana in *misturis*.

V. *Mistura Chelydonii m; Pilulae* — —; — — — *compositae; Succus ejusdem spissatus.*

## CHENOPODIUM AMBROSIOIDES.

### Марь Мексиканская благовонная.

In Mexico, et Lusitania spontanea; in Russia vero, hinc inde, hortensis. *Cl.* Pentandr. *O.* Digyn. *O. N.* Oleraceæ *L.* Atriplices J. Annua. *Usualis est:*

Herba *florens*, racemis foliatis, simplicibus, foliis lanceolatis, dentatis, in officinis sub nomine *Botryos Mexicanae*, veniens; semina.

Q. Eximia, principio *aromatico camphoraceo*, *oleo volatili* partibusque *gummeo-resinosis* nititur. Recens *odorem* fragrantissimum ambrosiacum spargit; *saporem* vero edit aromaticum.

V. *Herbae*: nervina; stimulans; secretionem cutis, renum et pulmonum augens; *seminum*: carminativa; anthelmintica.

U. *Herba* in nevrasthenia, et paralysi præprimis celebratur. Ita non desunt exempla glosseplegiæ, prægressa apoplexia, ortæ, et paralyseos pedum, curatæ. (Rudolph in Balding. *n. Magaz. für Aerzte vol. 5.* p. 496.) His tamen *tinctura* adcommodatior esse fertur (Lentinus.) Celebratur quoque in spasmodicis affectionibus, in *infuso* propinata, præcipue in asthmate spasmodico, et in scelotyrbe (Plenck.) *Infusum fervidum* eximia pollet vi calefaciendi, nervos præcipue ventriculi mulcendi, vasaque capillaria ad secretiones incitandi. Hinc in infirmitate ventriculi, in inæquabili imponderabilium conductione, dyspepsia, flatulentia, adminiculatur. A quibusdam adversus helminthiasin adhibebatur. Olim loco *Theae Boheae foliorum* apud Teutones, ut Svevos, Bavaros (Lochner) in usu fuit, ast promiscua et quotidiana sorbillatione vix citra incommodum sumi potest.

D. *Cl.* Plenckius ter eam de die a scrupulo ad semidrachmam propinavit in *substantia*, vel in *infuso* sicilicum ejusdem quotidie ad semunciam, in decem communis *aquae* unciis. Quibusdam electurii forma placet.

V. *Infusum Chenopodii.*

## CICHORIUM INTYBUS.

Цихорій дикій; Солнцева сестра; Петровы батоги.

In Russia meridionali ad margines agrorum viarumque sponte crescens, alibi in hortis culta. *Cl.* Syngenesia. *O.* æqualis. *O. N.* Compositæ Semiflosculosæ *L.* Cichoraceæ J. Perennis. *Usuales sunt:*

Radix, fusiformis, subflava, crassitie pollicis, lactescens. Herba, floribus axillaribus, geminis, subsessilibus, foliis runcinatis. Variat planta flore albo, rubro, cauleque complanato. *Radix* eligatur carnosa, et rejiciatur lignosa.

Q. Recentis in *succo lacteo* (toti plantæ inest *succus lacteus* amarus, in fera amarior, quam in culta) intense amaro residens. *Radix saporis amariusculi*; *herba* vero amari, subacris.

V. Organa, quæ digestioni præsunt, incitans; deobstruens; diuretica.

U. In splanchemphraxi, ictero, hypochondriasi, dyspepsia, scorbuto. *Radix tosta*, in vicem *Coffeae arabicae*, haud raro cocta, præ aliis, *semen* peregrinum supplentibus, peculiari similitudine, hucusque incassum quæsita, non eminet.

D. *Radicis* exsiccatæ semuncia cum *aquae* libra, ad uncias octo, decocta; *succi* vero recentis unciæ duæ cum *jusculi* libra.

V. *Extractum Cichorii Intybi.*

## CINCHONA OFFICINALIS.

——————— condaminea (Humboldt.)

Лихорадочникъ аптечный; Хина.

Arbor Americæ meridionalis, præsertim in regni Peruviani præfecturæ Guito montibus copiosa, tractum ultra quinquaginta milliaria extensum, occupans. *Cl.* Pentand. *O.* Monog. *O. N.* Contortæ L. Rubiaceæ J. *Usualis est:*

Cortex, (*Cortex Chinae,—peruvianus Ph. Ross.*, Лихорадочная корка,) convolutus, siccus, ponderosus, friabilis, extus asper,

et *Lichene albo* vestitus, interne glaber, fuscus, vel ferrugineus, vel intense cinnamomeus, ab $\frac{1}{3}$ usque ad integram lineam crassus; fragilis, fractura leviuscula, vel fibroso-scabra. *Cortex* externe glaber, nigrescens, vermibus exesus, crassus, non convolutus, levis, pallide-flavens, vel aurei coloris, tenax, spongiosus, interne albens, in fractura fibrosus, in farinam facile mutabilis, peramarus, vel peradstringens, vel plane insipidus, mucilaginosus, vel lignosus, rejiciendus. Tam fraude, quam incuria eorum, quibus decorticatio creditur, alienos e g. e Winterana grenadensi et Weinmanniis intermisceri, certum est, haud raro etiam fallaciæ causa, *cortices* illi ab aromatariis, *infuso ligni brasiliani*, tinguntur. Ita quoque alius arboris *cortex* erronee substituitur a Cratægo desumtus, qui *extus* albidior, *intus* rubicundior est, saporis adstrictorii magis, quam amari. Hanc quidem substitutionem non concedit Mœnchius, adtamen Grenius adfirmat *corticem Cinchonae off.* sæpius cum aliis commisceri, iisdemque, *gummiresina Aloës* admista, amarum saporem conciliari. Schaubius pulveri *corticis Cinchonae*, pulverem *radicis Gentianae luteae*, admistum vidit. Alii amore lucri stimulati, *corticem Clutiae Elutheriae*, pretio longe viliorem, in vicem ejus vendebant. Quamobrem *Cinchonae* ab exteris adlatum pulverem, tanquam bonum fideque dignum medicamen, dispensare non licet.

Q. Omnes *Cinchonae* species secundum experimenta *cl.* Reussii, præter materiam ligni continent: 1) *Materiam amaram*, *aqua* et *Alcohole* solubilem, *salia Ferri* colore viridi, læto, tingentem, *infuso gallarum quernarum* coagulabilem, quam analyseos ope e Cinchona extraxit et *amarum cinchoninum* dictum esse voluit. 2) *Materiam tingentem* (*matière colorante*) rubram vel fuscam, insipidam *Alcohole* multo magis, quam *aqua* solubilem, cum amaro *cinchonino* facile sociabilem, *oxygenii* accessu, ita, ut insolubilis fiat, mutabilem, *Rubrum cinchoninum.* 3) *Materiam scytodepsicam.* 4) *Mucum vegetabilem* insipidum. 5) *Calcariae Cinchonatem*, seu *cinchonicam Calcariam*, salem neutrum ex *Acido Cinchonae* peculiari (*cinchonico*) et *Calcaria* composi-

tum. *Odor corticis* leviter aromaticus, specifice mucidus, pulvere *aqua* bulliente adsperso, sensibilior; *sapor* amarus cum vestigiis mitissimi *aromatis*, simulque subacidus, austerus, substypticus.

V. eximia, specifice lexipyreta; adstringens, penitiore et constantiore stimulo corroborans; antiseptica; in *amaro rubroque cinchonino* et *materia scytodepsica*, proportione certa, inter se sociatis, residens. Nihil ad illum, vel perparum conferre potest *mucus vegetabilis* et *Cinchonas Calcariae*.

U. CINCHONÆ *genus* recentiori ætate, plurimis ditatum est novis speciebus. LINNEUS duas duntaxat species, OFFICINALEM et CARIBÆAM JAQUINI noverat, VAHLIUS novem recenset, a SWARTZIO, FORSTERO et MUTIS, detectas. Dein LAMBERTUS undecim enumeravit, et cl. PERSOON usque 21 species distinctas; si autem cum *illustri* HUMBOLDTIO genus COSMIBUENÆ cum CINCHONA conjungere lubet, et simul addere species novissime indagatas, videlicet EXCELSAM ROXBURGHII; HUMBOLDTII SCROBICULATAM, CADUCIFLORAM et OVALIFOLIAM, nec non WILDENOWII BRASILIENSEM, numerus specierum rite notarum, usque ad 26 adscendit. Dispar de salubritate et effectu *corticis* judicium, et est, et fuit. Causa obtrectationis maxima ex parte, in confusionem specierum conjicienda est; multæ enim plantæ ex *Rubiaceis* generi CINCHONÆ adnumeratæ sunt. Pro usu medico illæ CINCHONARUM species, reliquis sunt præferendæ, quæ *materia amara* magis abundant; atque, vel masticatæ, vel aqua infusæ, sive elixatæ, insignem præ se ferunt amaritiem, quæve simul solubiliorem continent *materiam rubram*. CINCHONA CORDIFOLIA, cujus *cortex* pallidus est, merito præfertur, estque foliis orbiculato-ovatis, sæpe subcordatis, subtus tomentosis, supra pubescentibus. CINCHONA CONDAMINEA, corollæ tubo hirto, foliis ovato-lanceolatis, utrinque glaberrimis, in axillis nervorum inferne scrobiculatis. Virtute CONDAMINEÆ proxima est CINCHONA LANCIFOLIA, foliis lanceolatis, acutis, utrinque glaberrimis. Facta efficacioris copia, *cortex Cinchonae* inter robo-

rantia, quorum virtus late patet, spectat; quamobrem in omnibus morborum formis, asthenia systematis musculosi conspicuis, cum neurasthenia minoris gradus conjunctis, utilitatem promittit, si autem vigente musculosa actione fuerit datus, aut febrim aut inflammationem ciet, ac proinde tanto minus unquam in febri exquisite inflammatoria quadrat, ut omnino cavendum sit sedulo, ne calcaribus utamur, cum opus sit fræno (HUXHAM.) Neurastheniæ majori vix proderit, cum non sufficienter irritet nervosum systema, haud secus ac gastricis sordibus, ac debilitatis organis digestionis, cum neutiquam adsimilari queat, ac proinde *scytodepsica* sua *materia* in canalem intestinalem incongrue agendo, aut comprimit pertinaciter, aut solvit alvum, alienus. Sub exaltata irritabilitate debilitateque venæ portarum, stagnationes, et splanchemphraxes causat. Stimulo suo in systema arteriosum agendo, ejusque musculosam intendendo actionem, febribus asthenicis fit adcommodatissimus; ubi pure pute arteriosa actio relative exsuperat, ubi, infracto organismo, periphericum systema vasorum transpirationis, et digestionis succumbit. Primo quidem et præcipue omnium observata est, et celebrata virtus, qua dialeipyras profligat, pro herculeo habendus *lexipyreto*. Si morbus citra abnormitatem systematis venæ portarum, splanchemphraxes abdominales, gastricas sordes, spasmodicam tensionem, aridam cutim, debilitatem pulmonum, sthenicam diathesin, pure pute dynamicus est, ex adverso, si aliquid horum præsto est, etsi formam mali typumque intermittentem mutet, chronica haud raro mala, hydropisin, hecticam febrim etc. post se trahit. In plerisque omnibus casibus, hic quoque sub initium morbi vix convenit, nec nisi, abnormitatibus illorum organorum correctis, porrigendus, quod, pro re nata, fit, vel per *sales neutros*, vel per *amara extracta*, modo per *stibiata*, modo *volatilia stimulantia*, vel *mercurialia* etc. (*unguento*, *pilulis coeruleis*, *Submur. Hydrarg.*) levioribus morbi gradibus alienus est, ubi remedia *extractivo*, vel *scytodepsica materia* scatentia paria sunt propulsando malo, vel febri in sthenicam

inclinanti, hinc autumno grassantibus febribus adcommodatior est, quam vernalibus. In dialeipyris (febribus intermittentibus) malignis, veterno, aliisque abnormis nerveæ actionis symptomatibus mali ominis stipatis, magni æstimatur, et hic, prout alibi, ubi paroxysmi rem febrientis esse in pæcipiti indicant, quanto ocyus administrari debet. Plerumque apyrexias tempore exhibetur, eoque majoribus præbiis, quo breviores observantur apyrexiæ, quanquam, sub longiori apyrexia, major quantitas; crebrioribus tamen præbiis, ab aliquibus exhibeatur. Alii hora, vel duabus horis, præmissis, ante paroxysmi accessionem, exhibent. Propulsata febri, recidivis, continuato ejusdem usu, occurrendum; scire enim licet, paroxysmum; quamvis deletus esse videatur, secunda hebdomade sæpius recrudescere in tertianis, tertia autem in quotidianis, et quartanis, resumtoque remedio, paroxysmi reversioni præcaveri. In typho, continenti typo, vel remittenti conspicuo, non est alienus *Cinchonae cortex*, præsertim, si febris notabilioribus remissionibus distincta est, ita quidem, ut accessionum ratione ad dialeipyras inclinet, vel hecticam æmulatur, aut debilitas muscularis systematis præsto est, aut pronitas in putredinem urget, ex adverso officit, in primo talium acutorum morborum stadio, durante sic dicta cruditatis periodo, sub spastica diathesi, ariditate cutis, linguæ, difficultate spiritus, angore, tensione in scrobiculo cordis, et in hypochondriis etc. In febribus quoque putridis, sub iisdem conditionibus, valet. Nec pesti alienus, præcipue in connubio *Camphorae*, *vini*, *acidulorum*, (SAMOILOVITSCH.) In sic dictis inflammatoriis putridis in connubio *stibiatorum*, *Muriatis Ammoniae* etc. datur. In typho cum inflammatione secunda periodo prodest, haud secus ac in pneumonitide typhode, angina gangrænosa etc. efficacem se præstitit. Intellectum velim de typho exanthematico, urgentibus videlicet variolis confluentibus putridis, petechiisque comitatis, ita morbillis, rubeola, febri scarlatina, aphthis etc. In hæmorrhoeis (hæmorrhagiis passivis) sub diathesi in putredinem prona, et notabili arteriarum

laxitate, magna est *cortici* auctoritas. In hæmorrhagia ventriculi cum *lacte* et *mucilaginosis*, in hæmoptysi *praeparata* duntaxat lenissima *Cinchonae* e re sunt, e. g. *infusum ejusdem frigidum*, in metrorrhagia cum *Ferro*, *acidis mineralibus*, *cortice Lauri Cinnamomi* etc. In aliis quoque morbis periodice redeuntibus, ut cephalæa periodica (Morton,) mania (Willemse) mastocarcinomate, periodicis doloribus stipato (de Haen,) ophthalmalgia profuit. Nec minus utilis in variis convulsivis spasticisque morbis, qui exaltatæ nervorum irritabilitati cum debilitate musculorum conjunctæ, natales debent; repudiatur tamen sub paroxysmo a Werlhofio; conceditur vero tantum in remissione, vel intermissione, hinc præconia tulit in epilepsia (van Swieten;) in primis vero magni fecit *corticem* hunc in finem Mead, sub connubio *radicis Valerianae off.* Nimiam infantum ad convulsiones proclivitatem, idem cum *balneis frigidis* vincit (Tissot,) laudatur quoque in scelotyrbe, catalepsi, risu sardonico (Olivier,) tetano (Bisset,) asthmate nervoso (Floyer,) etc. in copula *praeparatorum* e *Zinco*, *Cupro*, *Hydrargyro* vel *aethereo-oleosorum* remediorum, e g. *Moschi*, *gummiresinae F. Assae foetidae*, *radicis Valerianae off.* vel *Aetheris*, *Opii.* Magna in fide est apud *clar.* Millar (*On asthma and hooping-cough*) adversus pertussim, sed ultimis ejusdem periodis adcommodatior esse videtur, ad robur videlicet fibrarum restituendum potius, quam malum in sua radice subigendum. In adfectionibus hypochondriacis et hystericis valet, (Whytt, Tissot,) musculares canalis intestinalis fibras roborando, additis præsertim iis, quæ *scytodepsicam corticis* materiam imminuere queunt, qualia sunt *aromatica*, *extractivo* scatentia principio, virtus ejus cum primis emicat. Laudatur proinde in segnitie, duritie habitualique obstipatione alvi, quæ incommoda pure pute musculari debilitate; non vero a spasmis et gastricis sordibus orta sunt. Prodest in diarrhœa asthenica, diutius protracta (Klein,) in dysenteria ejusdem indolis, præsertim pronitate, fractis ægri viribus, in putredinem stipata aut febri (inflammatorio statu sublato) notabiliter

remittente. Tum, pro re nata, *mucilaginosa, narcotica, aromatica*, vel *scytodepsicam* materiem tenentia, si addantur, haud sunt aliena. Valuit et contra tenesmos, *clyster* e *decocturae corticis* saturatæ unciis quatuor et aliquot *Opii* granis, aliquoties de die repetitis, (Hunter.) In Cholera, in copula *Rhei p. radicis, neutrorum salium*, juvat. In helminthiasi etiam locum obtinet, laudante impensius Ramazzino, in verminatione febris epidemicæ, et adstipulante Lanzonio duobus casibus, primo sine febri, altero cum eadem conjuncto, ast aptior est, eductis vermibus, genesi novorum obicem ponendo. Abnormitati secretionis cum asthenia musculosa conjunctæ obponitur; hinc in majoribus ulceribus, ubi laxitas notabilem puris proventum, sustinet, quo in casu non modo pus corrigit, sed etiam febrim hecticam imminuit. In phthisi pulmonum ulcerosa, si nulla comes inflammatio est, in catarrhis protractis, screatibus cruentis, tenaci, purulenta pituita, stipatis, Præter *internum* usum *extrinsecus* quoque admovetur, e. g. conjunctim cum *aqua Calcariae*, ulceribus, pus tenue fundentibus, scrofulosæ, syphiliticæ scorbuticæque naturæ, muscularique laxitate sustentatis. Cariei et canceraticis ulceribus efficaciter renititur. *Interne* in variis universalibus reproductionis abnormitatibus, cum muscularis systematis asthenia conjunctis, adhibetur, ita in scrofulis sub initium (Fordyce,) rhachitide, scorbuto (Lind,) stomacace, in cutis fœditatibus, psora, tinea, herpetibus, lepra, (Heberden) in syphilide, ubi musculare systema usu Hydrargyri debilitatum est, vel ubi illud scrofulosa aut scorbutica diathesi marcescit, vel ubi debilitas effectus est mali longius protracti. Sloane illam in gangræna tentavit, cui præsidio esse plurimi (Douglass, Shipton, Goolden, Paisley etc.) documentis comprobarunt. In atrophia, marasmo senili, tabe dorsali (Tissot,) et id genus aliis, ubi universa actio reproductiva, per potentias pure debilitantes, (per vehementem animi intentionem, jacturam humorum, vel morbos etc.) adeo fracta est, ut omne inter reproductionem, secretionem et excretionem æquilibrium tollatur, vel ubi materiales

causæ nullæ adsunt, *cortex* hic præcipuum est remedium. Etsi nullum CINCHONÆ succedaneum verum inventum sit, omnia enim, quæ, vel Medici, vel Chemici substituerunt medicamenta, nihil continent de materiis CINCHONÆ peculiaribus, et essentialibus, (*amaro* et *rubro cinchonino;*) nihilo tamen minus substituenda sunt alia eidem opportuna, adjectis ubi opus est, stimulantibus, præsertim, cum certum sit, *corticis Cinchonae officinalis* venalis 100 libras ad nos adlatas, vix decem genuinas, ut experientia haud æquivoca docet, præbere. Pro succedaneis CINCHONÆ habentur: *Gelatina animalis* (SEGUIN,) *Carbo lignarius, cortex Aesculi Hippocastani, Clutiae Elutheriae, Cuspariae febrifugae* (HUMBOLDT,) *Fraxini excelsioris ramulorum, Liriodendri Tulipiferae, Pruni Padi* (COSTE,) *Quercus Roboris, Rhois Cotini* (ZSOLDOS,) *Salicis capreae, latifoliae, Swieteniae febrifugae, herba Lepidii ruderalis, Teucrii Chamaedris, Lichen parietinus, lignum limatum* quodvis? (AUTENRIETH,) *Quassiae amarae, nuclei Amygdali communis, radix Gei urbani* (BUCHHAVE), *Acori Calami, Polygoni Bistortae* (pari utriusque portione cum pauxillo *radicis Amomi Zingiberis*) *Krameriae triandrae* (*Ratanhiae,*) *semina Coffeae cruda* (GRINDEL,) *tosta* (AUDON,) *Oxydum Arsenici album, Subsulphas Cupri et Ammoniae, Sulphas Zinci, tela aranearum.*

D. Forma *pulveris* cum *aromate* et *radice Glycyrrhizae glabrae* mixti et in *vino*, ubi licet sumti, optima est in dialeipyris, eaque in primis convenit, ubi irritabilitas non est admodum exaltata, neque pronitas in inflammationem urget. Spinæ dorsi febrientis, subsidii ergo, *spiritum* quemdam *aromaticum* bis in die infricari jubet cl. NIEMANN. Intervalla ab una dosi ad alteram pendent a spatio apyrexias, sicut singulum præbium, quod communiter ex duobus scrupulis pro adultis constat. Debiles sumto *cortice* interdum gravamen quoddam in ventriculo et anxietates sentiunt, quo in casu tantillum *Aetheris sulphurici alcoholisati*, vel additur, vel præmittitur; ubi vero ventriculus, quod interdum evenit, *corticem*, utut *Opio*, et *aromate* mixtum, nullatenus perferre, aut æger eum ob

fastidium plane deglutire nequit, tum *decoctura* ano tripla dosi, ast repartita, injici debet, quod addita *Opii tinctura*, firmius, et diutius adhæret, atque longiori remora certiores edit effectus (NIEMANN.) Causa vero, quæ efficit, ut interdum ægri CINCHONAM non solum fastidiant, verum etiam eandem nullo modo, quomodocunque præparata, et *aromatibus*, *vinosis*, aliisque ventriculi vires incitantibus remediis sociata fuerit ferre et assimilare sibi possint, secundum observationes cl. REUSSII in *rubro cinchonico* residet, quod propter imperfectum suam solubilitatem integras vires digestivas et assimilatrices requirere videtur. Hinc in asthenia nervosa cum ventriculi debilitate conjuncta, sæpe *decocturae* præstat *infusum*, cum *aqua frigida* paratum, quæ nempe *amari* partem plurimam, *rubri* vero perexiguam suscipit. Ubi vero in tali casu ad curationem largis opus est *Cinchonae* dosibus, propinanda est *decoctura* fortissima, *rubro* omni per præcipitationem privato, ea, quam, DECOCTURÆ CLARIFICATÆ, articulo, indicabimus, ratione, quæ quidem, utut cariori pretio parabilis, militaribus præfectis vix neganda. Si minoribus præbiis, alvum ducat, addito *Opio*, administrandus est *cortex*. *Acidum carbonicum* vomitum avertendi causa vel *cortex L. Cinnamomi* etc. adjicitur. Si alvum comprimit *radix Rhei p.* vel *Supertartras Potassae* additus, non neglectis clysteribus prodest; si vero, quod interdum evenit, importunæ primarum viarum sordes, prohibent, quominus *Cinchona* adhiberi queat, tum additus *Tartras Stibii* et *Potassae*, suasu cl. PEKEN, huic incommodo succurrit. Octo unciis decocturæ adduntur duo grana *Tartratis Stibii* et *Potassae*. In febribus intermittentibus nervosis et in genere, ubi cito effectum exseri e re est, pulvis *Cinchonae* a semidrachma ad drachmam, imo ad sesquidrachmam propinatur. In morbis chronicis scrupulus ad semidrachmam pro vice datur. Quo citra incommodum faciliusque sumi queat pulvis, alii in massam redigi eundem suadent. Ceterum in *aqua* etiam et *lacte* non male datur. Adhibetur denique pulvis iis in casibus, ubi interne minus commode sumi potest, ita e. g.

quum infantes, vel delicati laborant, per modum *fomenti*, vel *cataplasmatis* admovetur. Massa fit ex *corticis* aliquot unciis et certa *aquae*, vel *vini* quantitate, eaque, urgente typho, regioni ventriculi admovetur, per intervalla, decoctura *Cinchonae*, humectanda, vel, ut ill. HUFELANDUS auctor est, *aromaticis*, *amaris herbis*, ut *Artemisiae Absinthii*, *Menthae crispae*, *fl. Matr. Chamomillae* etc. *herbis*, *lacti*, *vino*, *cerevisiae*, ad modum *cataplasmatis*, jungitur. Si in forma *electuarii* detur, *mellis* vel *syrupi* tribus unciis, uncia *corticis Cinchonae* admiscetur. Efficax substantia e *Cinchona* non sine detrimento per *aquam* extrahitur. Si enim frigida adhibetur, enormi opus est illius quantitate (partibus 240 ad 360 pro una parte *corticis*;) si vero cum *cortice* coquitur, *rubri* pars, per *oxygenii* ex aëre trans *aquam* accessum insolubilis facta, brevi excutitur, et medicata virtute, ut plurimum orbatur. Idem multo magis fit, cum vel *infusum* frigidum, vel *decoctura* evaporatione inspissatur. Ea de causa ex officinis proscribendum esset *Cinchonae extractum aquosum*. Menstruum ad elixandum *corticem* aptissimum, *Alcohol* est, quod etsi *mucum vegetabilem* et *Cinchonatem Calcariae* intacta in *cortice* relinquat, multo tamen facilius, quam *aqua*, *amarum*, cum *rubro cinchonino* sociatum, excipit, et *oxygenio* minus facilem pro alterando *rubro* accessum concedit, ergo omne, quod *Cinchonae* inest, medicamentosum, non solum facile extrahit, verum immutatum reddit. Itaque *aquoso* longe præferendum *extractum Cinchonae alcoholeum*. Requiruntur vero pro elixatione *corticis*, ex maxima parte perficienda, circiter 24 *Alcoholis* partes. Scilicet *Cinchonae flavae* unciæ duæ cum *Alcoholis* (*Spiritus rectificatissimi*, *alcoholis* partes 0, 75 continentis) libris duabus coctæ ill. REUSSIO dederunt *extracti sicci* gr. 164, eædem cum eadem *spiritus* portione iterum coctæ exhibuerunt *extracti* gr. 47, sed tertia decoctura non nisi decem grana *extracti* relinquit. Suadet autem, ut nisi *extracto* sicco, vel spissiori opus sit, nunquam eousque elixatio *alcoholea* producatur, quippe illa rubri partem insolubilem reddit; plurimum vero commendat *Tincturam Cinchonae*

*contractam* vel *concentratam*, quæ ut bona sit et grata, cum *Alcohole* (*vini*) vero paranda est. Talis commode plerumque potest adhiberi, ubi *Cinchonam* liquida forma præbere oportet Uncia vel duæ cum octo vel duodecim unciis *aquae* mistae optime substitui possunt *decocturae Cinchonae* communi, et plus quam illa, in febrium curatione præstant. Præcipue hæc præparatio commendabilis esse videtur, valetudinariis militaribus, pro curandis illis ægrotis, quibus *Cinchona cruda* non conducit. Nil perditur de medicamento pretioso, ita præparato, atque sine detrimento adservari et qualibet dosi præscribi potest. *Aqua tincturae* admista *materiae rubrae* partem excutit, quippe *rubrum cinchoninum aqua* minus, quam *Alcohole* solubile. Sed inevitabilis hæc præcipitatio, vix quidquam effectui salutari potest detrahere. Effectum eximium, quem *Cinchonae extractum alcoholeum* (siccum) *Aethere sulphurico* solutum ill. Reussio teste præstitit, experiri oportet.

V. *Decoctura Cinchonae*; — — *clarificata*; *Extractum Cinchonae*; *Haustus* —; *Mistura* —; *Tinctura* —; — — *composita*.

## CITRUS AURANTIUM.

### Померанцовое дерево.

Indiæ orientalis et occidentalis, (Americæ meridionalis) incola. In australibus Rutheniæ oris cultura alitur. *Cl.* Polyadelphia. *O.* Icosandria. *O. N.* Pomaceæ L. Aurantia J. Arborea. *Usualis est:*

Fructus recens, (*Malum Aurantiorum Ph. Ross.* Помаранецъ) globosus, utrinque nonnihil compressus, umbilicatus. Curassao fragrantissima *mala* profert. Cortex *ejusdem extrinsecus* flavus, inæqualis, poris pertusus copiosis; *interne* albus fungosus. Folia, ovata, appendice cordata, ad basin acuta. Flores, (vulgo *Naphae*) corollæ recentium albæ, succulentæ. Lenissimo calore siccatæ vitro probe clauso serventur. Cum *foliis Citri medicae*, quæ gaudent petiolis linearibus, non confundantur, *folia* quippe *Citri Aurantii* petiolis sunt alatis.

Q. *Corticis flavi fructus: odor* fragrans; *sapor* aromaticus, amarus, non ingratus. *Foliorum, odor* debilius fragrans, graviusculus, *sapor* aromaticus, amaricans, calidiusculus. *Succi pomorum: sapor* dulcacidus, vel amarodulcis. *Florum: sapor* amaricans; recentium *odor* suavissimus, siccatorum vix ullus.

V. *Corticis fructus:* stimulans; nervina; roborans; stomacho idonea; *pulpae* æque ac *succi:* frigerans; antiscorbutica. *Foliorum:* tonica; cardiaca. *Florum:* analeptica.

U. *Fructus recens* atque maturus, potissimum in usu est. *Succus*, quo *pulpa* scatet, grato acore, quum febribus inflammatoriis, tum aliis, ad cohibendum calorem, sitimque leniendam, ita quoque ad avertendam propensionem humorum in putredinem, per modum *potionis aquosae* adhibetur. Hoc etiam fine efficax esse potest scorbuti medela. *Cortex flavus fructus*, agit uti *cortex L. Cinnamomi* et quoniam plus *extractivi* possidet, ac hic, actio ejus in officinam digestionis efficacior esse existimatur. Gratum amarorem, cum aromate sapido et fragrante, præ se ferens, astheniæ canalis intestinalis, adcumulatione muci, flatus molestiis, nausea, enterodynia, stipatæ convenit, nec minus hypochondriacis, hystericis, haud secus ac *pharmacis anthelminticis*, congruum est additamentum. In organa sexus, contiguasque iis partes agendo, metrorrhagiæ ad instar *corticis L. Cinnamomi* succurrit. *Folia* minus *olei*, quam *cortex*, continentia, actionem suam magis in universum systema nerveum exserunt. In universali asthenia auctiori irritabilitate, aut sensibilitate, spasmis, convulsionibus, hysteria, comitata, juvant. In epilepsia præsertim cynædorum, a viris magni nominis laudata, quam etsi non semper curent, multum tamen levaminis adferunt. *Folia* in epilepsia verminosa, per modum *pulveris* et *infusi* data, teste *illustri* de Haen, in remediis pollent.

D. *Cortex flavus* ad ventriculum roborandum in *pulvere* datur a semidrachma ad drachmam, in *infuso* semuncia in libra *aquae*, vel *vini* cyathis per intervalla bibendo. *Folia pulverata* a semidrachma ad drachmam ter, quaterve de die, vel per se, vel copulative cum *radice Valerianae off. Gei urbani, cor-*

*tice Lauri Cinnamomi*, *Subsulphate Cupri* et *Ammoniae*, *Oxyde Zinci* etc. immo etiam cum *Syrupo cort. C. aurantii* in *electuario* adversus epilepsiam dantur. In *infuso* uncia *foliorum* cum libra *aquae bullientis*, immo etiam *vinosum* est idoneum. Decoctura fit e manipulo *concisorum foliorum* in libra *aquae* ad dimidiam consumtionem decocto, colata dein pro unico præbio mane sumitur, addito, si lubet, *syrupo.*

V. *Aqua Citri Aurantii*; *Extractum* — —; *Oleum* — —; *Syrupus* — —.

## CITRUS MEDICA.

### Лимонное дерево.

Arbor sempervirens in Perside, et imprimis in Media sponte crescens. *Cl.* et *O.* præcedentis. Perennis. *Usualis est:*

Fructus, лимонъ, (*ejusque* succus) oblongam præ se ferens figuram, altero extremo in papillam desinens, altero obtusior, cui adhærent calyculi reliquiæ; cortex fructus externus, ab interiori alba, spongiosa velut parte separatus, vulgo in officinis *flavedo* dictus, post maturationem flavus, folliculis numerosis oleiferis distinctus, superficiem inæqualem reddentibus, ibidemque numerosissimis poris hiantibus. Corruptus quoquo modo fructus usui medico ineptus. *Succus Citri* interdum *succo uvarum immaturarum* adulteratur, subinde amaritie nauseosus fit, enata, incauta expressione.

Q. *Fructus: sapor* acidus; *corticis:* amarus, aromaticus. *Corticis* efficacia ab *oleo volatili* pendet.

V. *Succi:* refrigerans; antiseptica; antiscorbutica eximia; *corticis:* stimulans; stomachica.

U. *Succi* in febribus sthenicis et asthenicis perfrequens, in quibus refrigerat, sitim mitigat; si biliosa diathesis subest, hanc refrenat egregie, nec minus in coërcenda pronitate in putredinem valet. Explorata acoris ejusdem, et *salis concreti* in scorbuti curatione, eminens efficacia, haud secus ac *cortices Citri*, marcescentibus ab eadem causa gingivis, continuo

admoti, respondent examussim. Hinc facultas ejus antiseptica saturando cum *Muriate Sodae* omnino intenditur (Wright;) et tum fit dysenteriæ, febribus intermittentibus, scarlatinæ anginosæ, et imprimis diabeti et lienteriæ maxime idoneum medicamen In vomitu inhibendo, *acidum* cum *Subcarbonate Potassae* rite mistum, ebullitionis tempore administratur. *Flavus cortex* in enterodynia flatulenta, torminibus ventris spasticis, *aqua* infusus adhiberi solet purus, vel aliis remediis admistus. *Succus* in itineribus maritimis a corruptela defenditur adfusa quinta, vel sexta parte *Alcoholis diluti* (*Spiritus vini gallici*,) quo quidem natura *acidi* paululum alteratur. Itaque rectius frigore condensatur, quo ad octavam partem reducitur, aut saturatione cum *Calcaria*, *Acido sulphurico* dein dissoluta: *Coxwells concrete salt of limons.*

D. *Succi* duæ unciæ, cum octo unciis *aquae*, pro potu propinantur.

V. *Acidum citricum concretum; Aqua Citri medicae; Oleum* — —.

## CLUTIA ELUTHERIA.

### Croton Eleutheria (Swartz.)

### Кашкариллъ.

In America meridionali, in Jamaica (Wright,) in insulis Bahamicis, (præcipue in Eleutheria) Floridæ vicinis, obvia. *Cl.* Monœcia. *O.* Monadelphia. *O. N.* Tricoccæ L. Euphorbiæ J. Arborea. *Usualis est:*

Cortex, (*Cortex Cascarillae Ph. Ross.* Кашкариллная корка) durus, *extus* cinereus, *subtus* e fusco ferrugineus, subrugosus, lineis transversalibus sparsis et *Lichenibus* (Lichen vagus, — Cascarillæ, — glandifer, — sphæria, — argus etc.) obductus, fragilis et in fractura nitens. Alii eum e Crotone Eleutheria deprømi putant. Tempore corruptus et ex crassioribus *ramis*, seu e *trunco* collectus, improbatur.

Q. In *volatili oleo*, atque *resinoso extractivo amaro* residens. Gustatus *saporem* prodit *amarum* cum *aromate* junctum, quo os, durabili impressione incalescit; prunis injectus gratum spargit *odorem*, perfacile accenditur, flagratque vivida flamma; illico tamen, si ab igne removeatur, extinguibili; fumat, fumo grato in *Ambram* incidente.

V. Stimulans; roborans; peptica; interdum, ob resinam, excalfaciens.

U. In imbecillitate ventriculi valet, et *extractivo* exsuperante, *aromaticis* jure præfertur; imprimis vero alvo habitualiter liquida, opportunum remedium. Ita in diarrhœa et dysenteria, illam nempe sistit, laxitati vero ventris, post exantlatas dysenterias, egregie subvenit. In chronicis diarrhœis per modum *infuso-decoctus* cum *Opio*, *Aethere sulphurico*, aliisque analogis, utilem esse experiundo didicimus. In febribus quoque intermittentibus, suadentibus Stahlii adseclis, *Cinchonae cortici* cum successu substituitur, præsertim, ubi hujus *cinchoninum principium* minus adcommodum esse existimatur. In pulmonum etiam debilitate proficuus, hinc vis ejus in tussi asthenica, asthmate, febribus hecticis (Hoffmann) elucet. Convalescentibus ex morbo, cum *liquore vitigeno* et *amaris*, viribus sociatis, calcar, subdit.

D. Forma *pulveris* a granis decem ad scrupulum, semidrachmam datur. Addito *extracti amari* duplo in *pilulas* cogitur. Pro *infuso aquoso* vel *vinoso*, drachma ad libram vehiculi alterutrius. *Extracti* grana quinque ad decem.

V. *Extractum Clutiae Elutheriae.*

## COCCIONELLA SEPTEMPUNCTATA. Fabricii.

### Козявка семиточечная.

Coleopteris rubris; punctis nigris, septem elytrorum punctis in triangulum positis. Habitat in Europæ *plantis* frequens. *Cl.* Insecta. *O.* Coleoptera.

Q. Principio *volatili acri*, occisis insectis evanido, nititur, aliis quoque insectis, ut Coccionellæ bispunctatæ

Carabo chrysocephalo,—ferrugineo (Fabricii,) proprio, vix autem, ut quibusdam placet, narcotico, scatentibus.

V. Anodyna.

U. In odontalgia cumprimis celebratur a Hirschio aliisque; scilicet insectum inter pollicem, et indicem eousque teritur, donec digitorum apices incalescant; dein iisdem dens et gingiva dolens, tangatur, idque pro re nata, aliquoties repetatur. Orto in adfecta parte frigoris sensu, dolores cessant. Dentibus, carie adfectis, minus adcommodum, haud secus ac inflammatorio statui, alienum. Interdum, mota saliva, dolorem sedat. Tinctura Coccionellæ septempunctatæ a Sautero proposita æstimatur in cephalalgia, hæmicrania, prosopalgia, myodynia rheumatica, ostealgia (doloribus osteocopis), stranguria (facta e *lactis* tepefacti selibra et 50 guttis, injectione, in urinæ iter.) *Opio* succedaneum est remedium.

Curculio antiodontalgicus, Carabus ferrugineus, Chrysomela populi & sanguinolenta, Coccionella bispunctata aliaque ex *Eleutheratis* similem vim exercent.

D. Tinctura a viginti ad triginta guttulas datur.

V. *Tinctura Coccionellae septempunctatae.*

## COCHLEARIA ARMORACIA.

### Raphanus rusticanus.

### Хрѣнъ.

Planta, *silicula* emarginata, scabra; *foliis* radicalibus lanceolatis, crenatis, caulinis incisis; Europæ, ad ripas crescens, uti et hortensis. *Cl.* Tetradyn. *O.* Siliculos. *O. N.* Siliquosæ L. Cruciferæ J. Perennis. *Usualis est:*

Radix, fusiformis, crassitie antibrachii sæpius, ramosa, *extus* fusca, *intus* alba, recens, *ejusque* succus *expressus. Radix* siccata, virtute cassa fere.

Q. Eximia, ab *oleo volatili hydrothionico* repetenda. *Sapor* acris; *odor* sternutationes, et lacrymas exciens.

V. Stimulans; sudorem, pituitamque movens; diuretica; antiscorbutica.

U. In scorbuto infunditur *vino*, vel *cerevisia* sola. In hydrope, post dialeipyras superstite, *succus radicis* claret, *Saccharo*, vel *Vino* remistus. In asthmate pituitoso, paralysi, arthrodynia, paraphonia, utilem esse perhibent. *Syrupus* in raucedine valet. *Rasa recens radix*, atque cuti ad semunciam imposita, epispastica eminet efficacia. Unciæ duæ, quatuor, *pediluvium* reddunt irritans et in delicatulis rubefaciens. *Infusum radicis* cum *Aceto* lentigines discutit.

D. *Radicis rasae* drachma ad semunciam et amplius. *Succi expressi* semidrachma, in haustu *Vini*.

V. *Cerevisia antiscorbutica; Infusum Cochleariae Armoraciae; Succus ejusdem compositus.*

## COCHLEARIA OFFICINALIS.

Ложечникъ; Ложечная трава.

In aggeribus, collibusque maritimis frequens, ex cultura etiam crescens. *Cl.* et *O* præcedentis. Annua. *Usualis est:*

Herba recens, siliculis globosis, foliis radicalibus subrotundis, caulinis oblongis, subsinuatis. Succus *expressus*. Cum aliis *siliculosis*, interdum cum Ranunculo Ficaria permutatur.

Q. *Herbae recentis*: egregia, ab *oleo volatili hydrothionico* repetenda; *sapor* acris, amaricans, non ingratus. Principium *acre*, lingua, percipi solitum, destillatione cum pauxillo *olei volatilis* adscendit.

V. Leniter stimulans; diuretica; antiscorbutica, multiplici usu, comprobata.

U. *Herbae* et *succi:* scorbutus. *Extus* etiam applicata, ulcera scorbutica sanat; morborum oris et gingivarum suetum remedium.

D. *Succi* in connubio *amarorum: Fumariae off. Menyanthidis trifoliatae* et similium, ad unciam et plus.

V. *Catapl. sinap. acerr. — — acre; Succ. Cochl. comp.*

# COLOMBA.

## Menispermum hirsutum? Brotero.

Луносѣменникъ щетинистой.

In insula Ceylonia, prope urbem Colombo, unde nomen accepit, crescere falso existimabatur, nunc vero pro certo scimus eam in terra Caffrorum Africæ prope Mozambicam provinciæ Tranquebar inveniri. *Usualis est:*

Radix (vulgo *radix Colombo*, корень Колумбы dicta) lignosa, lutea, subfusca *extus*, *intus* in taleolas transversim secta, lutea ex viridi. *Bryoniae radicem* esse cel. Willdenowius existimat; cujus tamen speciei, non est exploratum. Interdum *radix* costi speciosi (vulgo *Costus amarus*) pro *radice Colombae* venditur; habet enim utraque magnam similitudinem; *Costi* vero *radix* masticata, saporem relinquit singularem *radici Jridis florentinae*, fere analogum. Subinde ex avaritie magis, quam ignorantia *radix Bryoniae albae* ei substituitur. Genuina autem *radix*, diu hærens, amaritie sua orbatur, perfacile a vermibus perroditur, cariosaque evadens, fit usui inepta, ideo sollicite in vitro vesica bubula muniendo, locoque frigidiusculo est custodienda.

Q. In *Cinchonino principio*, *Amylo* et magna *mucilaginis* quantitate residet. *Sapor* amarulentus, acriculus. *Odor* subaromaticus, non ingratus, peculiaris, balsamicus, ad odorem *seminis Cumini sativi* nonnihil accedens, mox vero, si *radix* non rite servetur, decrescens.

V. Stimulans, in vitalitatem permanenter agens: systemati musculari ventriculi, et intestinorum energiam impertiens, hanc ob causam imminutam *bilis* secretionem promovens, abnormem vero inhibens; digestioni *ciborum* proficua.

U. Diarhoeæ, dysenteriæ, in primis asthenicæ, choleræ, febri biliosæ remittenti, vomitionibus habitualibus auctiori ventriculi irritabilitate ortis, dispepsiæ, uti et adfectionibus ventriculi tubique intestinalis, ubi bilis prædominatur, recte sub-

venit. Adversus hypochondriasin et hysteriam potest. *Extrinsecus* ulcera inspergendo asthenica curat.

D. Pulveris *radicis* scrupulus ad semidrachmam secunda, tertia, vel quarta quavis hora per se, vel in connubio *Magnesiae*, *Opii*, cui interdum *aromatica*, vel *amara* quoque: *Corticem Citri Aurantii*, *Quassiam*, *radicem Rhei palmati*, *Ferrum*, addere, non erit alienum. *Infusa* quoque *aqua destillata*: *Infusum aquosum Colombae* citius corruptelam init, quam alia ex *amaris plantis* parata; *aqua* tamen facile medicamentosæ ejus partes extrahuntur (vel *aqua Menthae piperitae*, vel *Alcohole*, vel *vino.*) *Vinum* cum *radice* digestum, mediocriter fit amarum. *Radicis* semuncia ex *aquae fontis* unciis decem, ad colaturam selibræ, decocta, quavis hora cochleatim præbetur.

V. *Extractum Colombae.*

## CONIUM MACULATUM.

### Cicuta major.

Болиголовъ пятнистый; Омегъ пестрый; Мутникъ.

Pl. caule ramosissimo maculato, seminibus subglobosis, striatis: striis crenulatis, involucellis dimidiatis, subtriphyllis, connatis; in australi Russia crescens, locis incultis, ruderatis. Cl. Pentandr. *O.* Digyn. *O. N.* Umbellatæ L. Umbelliferæ J. Biennis. *Usualis est:*

Herba (*h. Cicutae Ph. Ross.*) foliis compositis, foliolis lanceolatis, incisis, glabris. Caute a Chærophyllo bulboso, temulento et sylvestri, haud secus, ac ab Aethusa Cynapio, cicuta virosa, Tordylio Anthrisco et Scandice odorata, cum quibus interdum permutatur, distinguenda. *Chaerophylli bulbosi caulis* est maculatus, geniculis tumidis, basi et foliorum petiolis nervisque hirtis. *Chaerophylli sylvestris* caulis striatus, genicula tumidiuscula, semina oblonga lævia; *Aethusae* caulis sulcatus, folia pinnata, foliola pinnatifida, nitida, sature viridia; involucella pendula, dimidiata, triphylla, inter digitos trita, *odorem* fere *alliaceum* excitant. *Cicuta virosa*, caulem habet non maculatum, foliorum pinnatorum

foliolis lanceolatis, ternatis, acute serratis; *radice* tuberosa cavernosa, succo croceo plena, nec non, loco natali in paludibus profundis, ab omnibus distinguitur.

Q. Recentis venenata, *narcotico* et exsuperanti *acri principio* contenta. *Odor* putidulus, teter; *sapor* acris, nauseam movens.

V. Irritans; organismo animali inimica, zooctona; narcotica.

U. Ut nervos irritans, variis nevroblaciis occurrit, ut paralysi etc. in curatione etiam amavroseos elucet. Venas et vasa absorbentia irritando scirrhos mammarum, uteri etc. præsertim, vi extrinsecus illata, ortos, usu tam externo, quam interno, reserat. Ita in adenemphraxi mesenterica infantum, efficacissimum prædicat, *succum foliorum spissatum*, Rosenteinius, ad grana quatuor per diem datum, superbibito quavis vice, vel *sero lactis*, vel tenui *hydromelle*. In tumoribus glandularum syphiliticis, induratione prostatæ, testiculi, in *Hydrargyri* connubio, eundem fere exserit effectum, quem *Opium*, quin alvum comprimat; est enim *Opii* auxiliatrix. Valet etiam in scrofulosis glandularum tumoribus, parotide (cum rhachitide et atrophia) *Hydrargyro*, *sapone stibiato*, *gummiresina Ferulae Assae foetidae*, vel aliis congruis adjutum. In tumore jecinoris lienisque nevroblacico, icteri et hydropiseos non raro causa, *Conium* interne datur, *emplastro* extus admoto, nec in osteophymatibus, pernionibus etc. spernendæ efficaciæ. Strumas quoque discutit, nec electuarium e *Conio maculato* in connubio *carbonis Spongiae off.* frustratui habet. Si tumores resolvendi sunt admodum duri et inflammati, tum *Conium* sub forma *cataplasmatis* adhibetur. Laudatur quoque in myodynia rheumatica, arthrodynia, prosopalgia (cum *gummiresina F. Assae foet. Guajaci off* etc.) Suppurationem corrigit, hinc in ulceribus cancrosis, syphiliticis faucium, vel admotu *externo* (*succo foliorum spissato* cum *melle* et *aqua Calcariae*, vel *collutione* oris (per modum *infusi*,) in scrofulosis etiam, spina ventosa, carie, blennorrhoea, (Wcickard,) leucorrhoea, *lotionibus* (ex *infuso Conii*, juncto ejusdem *interno* usu (Bergius) laudatur, haud secus ac in tinea, psora, a Baldingero, in pertussi a Buttero.

D. *Pulveris* vel *succi spissati* granum, adscendendo gradatim ad scrupulum de die. *Folia* recentia contusa extrinsecus admoventur, siccata adhibentur pro fotu externo. *Succus seminum spissatus* citius causat vertiginem, quam *foliorum:* is proinde a semigrano sub initium porrigendus est.

V. *Cataplasma Conii ammoniatum; Emplastrum Conii; — — compositum; Succus ejusdem spissatus; Unguentum Conii.*

## CONVOLVULUS JALAPPA.

Ялаппа; Вьюнокъ.

Pl. caule volubili, foliis ovatis subcordatis, obtusis, pedunculis unifloris, Americæ, præsertim Indiæ occidentalis, Mexicana; Carolinæ et Floridæ incola. *Cl.* Pentandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Campanaceæ *L.* Convolvul. J. Perennis. *Usualis est:*

Radix, (Ялапный корень) crassior, fusiformis, tuberosa, subglobosa, rugosa, *extus* fusca, transversim secta, circulis notata concentricis, fusco-nigricantibus, textu intermedio celluloso, subfusco, distinctis. Integra, fusiformi-pyriformis sine radiculis, vel in taleolos, trium circiter linearum crassitie, dissecta ad nos venit. Bonæ indolis, sit ponderosa, compacta, et in fractura particulis interspersa micantibus resinosis; igni admota, flammam suscipiat, et contusa, non admodum difficulter in pulverem redigatur. Interdum ejus loco *radicem Convolvuli Mechoacannae, Mirabilem Jalappam,* et *dichotomam* usurpatam fuisse notarunt multi, sed differentia facile notescit, hæc enim in taleolos secta, colore pallidior, levior, spongiosa, facile friabilis et in superficie circulis notata. Nonnunquam etiam *radix*, resinosa parte orbata, atque ideo etiam virtute cassa venit; hinc ipsa *radicis* frusta et quidem ponderosa et dura, non pulvis ab aromatariis emi debet. *Radix Bryoniae albae,* quæ interdum eidem permiscetur, itidem colore pallidiori, textura spongiosa, minori gravitate, majori fragilitate, tum et annulis et radiis in interna substantia di-

scriminatur. Ipsius *C. Jalappae radicis* frusta, pallidi coloris, fragilia, levia, foraminibusque pertusa, rejicienda sunt.

Q. In principio *resinoso acri* residens (*resinam* ad sextam usque ponderis partem tenet) leviter linguam *gustata* pungit, magis autem fauces; *odor* ingratus.

V. Cathartica; hydragoga; *resinae*: drastica; anthelminthica.

U. Ut nerveos plexus abdominales irritans, adhibetur *radix* in nevroblacia abdominali, in bradypepsia, obstipatione, præsertim cum *bile taurina spissata*, *amaris*, quod etiam de collectione muci, his causis, orti, intelligendum, seu refractis dosibus irritandi scopo, seu cathartico. In asthmate etiam humido vulgo dicto, in connubio *Suboxydi Stibii hydrosulphurati*, in rhachitide, atrophia, pancreatemphraxi (cum *sapone* et *bile taurina spissata*), laudatur. Hydropi, sub abdominali stagnatione, præsertim, si etiam alvum duci expediet, cum *Supertartrate Potassae, Scilla m. Suboxydo Stibii hydrosulphurato* etc. conjuncta, stimulum intestinis imprimendo, medetur. Febribus intermittentibus, etiam morbis cutaneis, lumbricis, imo tæniae opposita. Majoribus præbiis, cruditates mucumque, quo interdum canalis intestinalis scatet, subducit; verum, ut usus ejus inflammatorio statui, plethoricis congestionibus, spasmis abdominalibus laborantibus, in hæmorrhagias pronis, hæmorrhoicis, alienus est, ita robustis, minus irritabilibus, vulgo phlegmaticis dictis, opportunus. Minus excalfacit, quam *gummiresina Aloës*, neque ita alvum, ut *Rhei p. radix*, post catharticum effectum, adstringit. *Resina C. Jalappae* cautissime utendum, ne sese ventriculi et intestinorum plicis adfigens, permolestas cieat turbas, tormina videlicet, hypercatharsin, quin inflammationem, aliaque adhuc diriora mala.

D. Si duntaxat, nerveos plexus irritare lubet, tum *radix* a duobus ad quatuor grana infantibus; adultis vero a quatuor ad sex exhibetur, congrua remediorum copula. Movendæ leniter alvi gratia infantibus a quinque ad sex grana, adultis a sex ad decem dantur. Scopo *cathartico* adultis scrupulus ad semidrachmam sufficit. Forma pulveris est adcommo-

da neque spernendum est consilium, ut *pulverata radix* cum *Saccharo* conteratur, ne tenax *resina*, interaneorum lacunis adhæreat, et ut ad præpedienda tormina, paulum *aromatis* adjiciatur. Vulgaris quoque miscela est cum *Supertartrate Potassae*, aut alio quopiam *Sale neutro* (quæ regula observanda est in præscriptione omnium remediorum, quorum cathartica vis a *resinoso* derivatur *principio*) *radice Rhei palmati; foliis C. Sennae, Submuriate Hydrargyri.* Etiam in *pilulis* exhibetur.

V. *Emulsio resinosa composita; Pilulae cathartico-diureticae; Pulvis Jalappae compositus; Pulvis ejusdem, et Submuriatis Hydrargyri.*

## CONVOLVULUS SCAMMONIA.

### Скаммонія.

Planta in jugis montium, inde ab Antiochia usque ad Libanon sese extendentium, in monte etiam Tauro, uti et in Syria crescens. *Cl.* Pentandria. *O.* Monogynia. *O. N.* Campanaceæ L. Convolv. J. Perennis. *Usualis est:*

Gummiresina (*Scammonium*, Скаммонія смола *Ph. R.*) substantia cinerea, levis, friabilis, acris, fracturæ splendentis, aqua, si solvatur, lactea, in viride vergens. Optima incisione radicis; vilior expressione, aut decoctione plantæ obtenta, cæterum eo melior est, quo aqua solubilior. Præferenda est, quæ ex Alepo adfertur, Antiochena, seu Smyrnæa vilipenditur, estque *succus lactescens* coctione inspissatus e *Cynancho Monspeliano*, qui et gravior, et nigrescens, et debilius purgans est.

Q. In *succo lacteo, acri* et *principio resinoso*, cum pauco *gummoso*, residens. *Saporis* initio haud satis fortis, sed postea amari, nauseosi, acris; *odoris* valde ingrati. Virtus ejus drastico-cathartica sub caloris augmento.

U. In ægris tenacioribus, et morbis, qui cathartica exigunt. In torpore melancholico, et hydropico convenit.

D. Trituratur *gummiresina* cum *Saccharo*, vel *Elaeosaccharo*

*Citri*, vel *Cinnamomi*, vel *nucleis Amygdali communis*, ut facilius in pulverem tenuetur, vel cum *radice Amomi Zingiberis*, aut *A. Cardamomi seminibus*, aut *Supertartrate Potassae* juncta, ita exhibetur, ut grana duo, vel quatuor pro dosi dentur. Largius æquo ingesta, non solum alvus vehementer cietur, sed etiam tormina, nervorumque distentiones exoriuntur.

## CUCUMIS COLOCYNTHIS.

### Колоцинтъ; горькая тыква.

In Syria, circa Alepum, in Arabia petræa, item in insula Cypro, spontanea. *Cl.* Monoec. *O.* Digynia. *O. N.* Cucurbitaceæ L. et J. Annua. *Usualis est:*

Fructus, seu pepo globosus, ad pugni quandoque magnitudinem accedens, albidus, levis compagis fungosæ, intra cellulas copiosas, semina oblonga, plana, includens. **Pulpa** ejusdem.

Q. Principium, quo nititur prævalens, est *saponaceo-resinosum*, *Alcohole* nimirum et *aqua* extrahendum, et præter id, *mucilago* multa, quæ superfuso *Alcohole diluto*, tincturam turbidam reddit. *Sapore* amarissimo, acri et nauseoso; *odore* subdulci et nauseoso.

V. Drastico-cathartica, cum torminibus haud raro, dejectionibusque sanguinolentis.

U. In variis nervorum chronicis morbis; a neotericis vero in paralysi commendatur, haud secus ab aliis in splanchemphraxi, hydrothorace, imo ipsa epilepsia.

D. sit minuta: $\frac{1}{2}$ ad duo grana. *Pulpae* grana triginta in selibra *aquae* decocta pro *clystere*. *Colocynthide* largius æquo ingesta, tormina, tenesmi, sanguinis cursus, et ipsæ interaneorum inflammationes exoriuntur, et tum in *clysteribus* et *oleo*, ingerendo, præsidium est. *Camphora* etiam pro antidoto habetur.

V. *Decoctura Colocynthidis*; *Extractum* —; — — *compositum*; *Pilulae ejusdem ferratae*; — — *stibiatae*.

# CUPRUM.

## Aes.

## Мѣдь.

Cuprum *nativum*, et *mineralisatum*, vel *oxydatum* invenitur copiose multis in locis Russiæ: In Nertczinsk, Alpibus Uralensibus et Altaicis, præprimis vero (magnis glebis) in Werchotursk; reperitur etiam in sic dicta insula cuprea, (Мѣдный остпровъ;) in Moldavia, Germania, Hungaria, Gallia et aliis in regionibus.

*Metallum*, rubedine sui generis conspicuum, in aëre tardius, quam Ferrum adtracto *carbonico acido*, *aeruginem* contrahens, cœruleo viridem; ductile; minus tamen Argento, ad 1500° F. modo deliquescens, atque tum in crystallos tetraedras duplices coiens. Pondus Cupri specificum 7,788. Si fricetur *odorem* distinctum sui generis emittit, *saporemque* metallicum, nauseolam moventem, vix ex ore, et lingua delebilem, præ se fert. Si in usum medicum adhibetur, omnino purissimum præsto esse debet, quod fiet præcipitatione Ferri ex solutione in *Acido sulphurico.*

V. Zooctona, et pro ratione præparatorum, multiplex.

U. Plerique Medentes a Cupro vi venenata infami abhorrent (Fothergill,) alii vix externum ejus usum admittunt, quidam audaciores, varia illud forma indutum, debita cum circumscriptione, in difficilioribus casibus *intrinsecus* etiam adhibuerunt, rati atrocem quoque *pharmaci* virulentiam cauto tempestivoque usu, aut aptis additamentis cicuratam, in salutarem converti posse efficaciam. *Limati Cupri* grana tria, quatuor mox initio rabiei hydrophobæ cum *pane butyrato* per triduum propinata, absque noxiis medicamenti symptomatibus, respondisse Cothenius memoriæ prodidit. Horrendas ab eo strages varii recensent: Cuprum quacumque forma deglutitum turbas ciet, cum primis in digestionis officina conspicuas, sic saporem tetrum, æruginosum, vix ex ore et lingua

delebilem; fastidium cibi; nauseam producit continuam. Stomachus in vomitiones effunditur; accedunt dolores, modo ad ardoris, modo ad punctionis sensationem propius accedentes, jam regionem epigastricam, aut cartilaginis ensiformis, modo abdomen, modo pectus adficientes, aut enterodynia cum perpetua, ad agrypniam usque, animi agitatione, ægri tandem sub labentium virium signis, deliramenta loquentes, aut convulsi, vel paralysi, hemiplegia, vel apoplexia tacti, erumpente rarius exanthemate, æmulo lepræ, ineluctabili fato, cedunt. Offert Cuprum, consuetam ahenis materiam, in quibus alia atque alia, tum medicamenta, tum alimenta et potulenta parantur, coquuntur, adservantur, quæ culinaris suppellex, ni ad usus domesticos rite Stanno obducatur, vel aliis indumentis, quæ a quibusdam e Platina, Argento, et Ferro proponuntur, prædita fuerit, perfacile labem contentis communicat fitque perniciosa, ni oxydationem hac ratione superficiei metalli, atque sic noxam arcere voluerimus. Antidotum ejusdem: *Oxydum*, aut *Sal Cupri* ingesta, plerumque moto vomitu, eo ipso, rejiciuntur, magis etiam potu *aquae tepefactae* copioso, naturæ conatus sublevantur; acritas vero veneni, *butyro*, *oleis unguinosis*, *lacte*, *mucilagine*, obtundenda. Rejecta potiori massa, *salium cupreorum* particulæ superstites, *Kalinis* et *Sulphureto Calcariae* hebetiores redduntur magisque innocuæ.

V. *Acetas Cupri; Supersulphas ejusdem.*

## DAPHNE MEZEREUM et LAUREOLA.

Волчникъ; ягодки волчьи; волчье лыко.

In Sieveria: дикой Перецъ.

Frutex sylvaticus, floribus sessilibus, foliolis ternis, caulinis, foliis lanceolatis, deciduis, in borealibus et australibus Rutheniæ crescens, per Sieveriam ad Ieniseam usque obvius, unde sensim deficit. Copiosissimus ad Cumam et in sylvosis montium Uralensium et Verchoturiensium. *Cl.* Octandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Vepreculæ L. Thymelææ J. *Usualis est:*

**Cortex**, tenuis, striatus, subluteus, epidermide e viridi-fusca tectus, primis, ineuntis veris, diebus, e trunco, vel majoribus ramis, aut potius, ut plerisque placet, e radice deglubendus. Interdum cum *Daphnes Gnidii*, *D. Laureolae*, *D. Thymelaeae corticibus*, forma, proprietate, virtute, usuque, convenientibus, permutatur.

Q. Venenata, a principio acri derivanda. Acritas insignis, tam gustatu, quam externo ejusdem admotu, cutem erodente, abunde declaratur.

V. Irritans; parva dosi resolvens; sudorifica; diuretica; majori, drastico cathartica; emetica; arrodens. *Extrinsecus*: cutem erodens; vesicans.

U. Prima *corticis instrinsecus* sumti laus in curanda syphilide, improbante tamen Pearson, increbuit: egregias ejus virtutes in nodis syphiliticis ex periosteo et ligamentis incrassatis, et ostealgia syphilitica nocturna Russel numerosis periculis confirmatin ulceribus etiam syphiliticis, Hydrargyro refractariis, efficacem se præstitisse *decocturam* Cullenus auctor locupletissimus refert. Exstitit quoque medela psoræ, herpetum, ulcerum asthenicorum, ichore sublivido mali moris scatentium, præsertim *tonicis*, *stibiatis*, *mercurialibus* aliisque congruis, pro re nata, additis, vel præmissis. Plurimum valet in scirrhis recentibus, nec minus in tonsillarum tumoribus. Scite in Svecia recenter derasus, vulneri a venenato serpente inflicto, admovebatur (Linnæus.) *Extrinsecus* salutare fit exutorium, et, ut rubefaciens, vesiculas excitandi ergo, *fonticulorum*, *vesicantium* vices explet. *Cortices ramorum* crassorum potentius agunt, quam tenuiorum. Sumitur autem hunc in finem *recens cortex*, vel si id nequit fieri, vetustior, atque *Aceto* tantisper maceratus, aut pars, cui admovere eum expediet, *Aceto* humefit. Tria fragmenta longitudine fere dimidii pollicis, interjecto aliquot linearum spatio, prope insertionem musculi deltoidei *emplastro*, aut fascia circulari brachio affiguntur, vel nuchæ, femoribus, et suris. Bis de die mane et vesperi, vel, pro re nata, semel, vel alternis diebus, recentibus

commutantur, et in indolentioribus prima excoriatio *emplastro Lyttae* fieri potest. Secundo vel tertio die cutis rubet, et hinc inde punctis sudantibus notatur, quarto vel quinto die epidermis secedit et effluxus secreti humoris, succosae cujuslibet plantae *foliis* puta: *Brassicae oleraceae*, *Hederae Helicis*, *Plantaginis latifoliae* sustinetur, isque justo major coërcetur, superdata *tela cerata*. Dolore nimis urgente, *Ceratum simplex*, loco *corticis* superdandum, ne, quod interdum evenit, humorum dolorifica accumulatio, sub partibus erosis, oriatur. *Drupae D. Mezerei* (vulgo *semina Coccognidii*) parva dosi intritae potui, a ruricolis Ruthenis adversus pertussim adhibentur; adjectae autem a mangonibus *Aceto baccae*, illud acrius quidem, ast damnosum reddunt. Adsumto *cortice* aequo majori praebio, exoriuntur turbae: dolor ventriculi, vomitus vel diarrhoea, convulsiones, et id genus alia, quae *Camphora*, antidoto hoc in casu, celebratissima, debellantur. Phthisiscentibus et monogrammis alienus *corticis* usus.

D. Drachmae duae *corticis radicis* cum pari portione *radicis Glycyrrhizae gl.* concisi, in libris tribus *aquae* decoquendo ad colaturam bilibrae, exhibentur.

V. *Decoctura Mezerei*.

## DAUCUS CAROTA.

### Daucus sativus.

### Морковъ.

Planta foliorum laciniis linearibus, acutis, petiolis subtus nervosis, in campis pratisque crescit; in hortis colitur. *Cl.* Pentandr. *O.* Digynia. *O. N.* Umbellatae *L.* Umbelliferae J. Biennis. *Usualis est*:

Radix, fusiformis, perpendicularis, simplex, recens. *Semina* subrotunda, grisea, aspera, marginibus costisque setosis, aromatica, fragrantia. *Radices* exsuccae improbantur.

Q. *Radicis* a *mucilaginoso*, *saccharino* principio derivanda;

*sapor* dulcis. *Seminum: odor* fragrans; *sapor* aromaticus, subamarus.

V. *Radicis:* nutriens; demulcens; antiseptica; *seminum:* stimulans; diureticaque esse censetur.

U. *Succus* e *radice* emollita coctione expressus, et ad justam consistentiam spissatus fit *mellaginis* species, loco *Sacchari*, vel *Mellis*, vel *Syrupi*, edulcorandis eduliis idoneus, nec in phthisi, tussi acri, (Piderit) raucedine et vermibus infantum spernendus. Ab infantibus, infestis ascaridibus, cruda *radix*, jejuno ventriculo utiliter estur. In aphthis oris, *decoctura*, vel *succus* ex decoctis *radicibus* expressus, et pauxillo *mellis rosati* mistus, penicillo illinitur, vel in aphthis internis ad cochlear parvum commode datur; calculosis quoque profuisse accepimus. *Radicis rasae* formæ *cataplasmatis* (e. g. unciis *ejus* duabus, *herbae Conii m.* uncia et scrupulo *gummiresinae Ferulae Assae foetidae* secundum Mœnch) ulcera phagedænica, cacoethica, putrida, herpetica, cancrosa, minuendo dolorem, suppurationem, fœtoremque, margines eorundem duros emolliendo. *Quassatae radices*, recens adustis superdatæ, juvant, Darel.

D. *Radices* duæ, tres (et plus) exhibentur.

V. *Cataplasma Carotae; — — compositum; Roob Carotae.*

## DIGITALIS PURPUREA.

Наперстянка; Наперсточная трава.

Planta, corolla campanulata, ventricosa, quinquefida, in campis australis Russiæ apricis perfrequens, nec minus in hortis culta. *Cl.* Didynam *O.* Angiosperm. *O. N.* Solanaceæ L. Solaneæ J. Biennis. *Usualia sunt:*

Folia, ovato-lanceolata, rugosa, hirsuta, margine serrata. Optime colliguntur in montibus nemorosis, aut locis glareosis, elatioribus tamen et arborum opacitate inumbratis; crescens enim interdum *herba* in pingui humo, profundaque uligine, aut in calcarea terra, aut in hortos soli natura diversissimos

e vicinia natalium locorum transducta, afflatuique liberioris auræ exposita plurimum virtutis amittit. Usui commode serventur, si *petiolis* cum media *costa* abjectis, pars reliqua *foliorum* eousque exsiccatur, quo in pulverem tenuari queat. Siccentur vero in conclavi vento pervio, nec solis lucem transmittente MACLEANUS (*Physical and Medical Journal by D. Bradley and D. Willich*) præcaveri jubet, ne vicissim ex umbra, aut aprico, aut igni, aut calori exponantur, vires hac ratione, perditura. *Folia* siccata, ponderis quintam partem *herbae recentis* habentia, et colore viridi, fœnique odore conspicua, vasis vitreis inclusa reponantur, in locis quam minime humidis, eaque solum pars, quæ brevi tempore consumenda est, in *pulverem* redigatur. Inutilis ejus loco POTENTILLA REPTANS vendita fuisse fertur, majori tamen errore, aut fraude e LILIO MARTAGON *extractum* paratum atque huic DIGITALIS nomen impositum fuisse adseverat GOETLINGIUS. Quidam *Symphiti off. folia* ex inscitia magis, quam fraude, loco ejus, colligunt, cum charactere generico, tum *foliis* ovato-lanceolatis decurrentibus, toto coelo, dissimilis.

Q. Venenosa. Omnes plantæ partes, ut nares fœdo offendunt *odore*, ita ingratam amaritiem, nec exiguæ acrimoniæ sensum, in ore jam produnt, quid quod majori copia deglutitæ, œsophagum etiam, vicinumque dein ventriculum arrodunt exasperantque.

V. Nerveum systema, vasa absorbentia, venas, renes et pulmones excitans, musculosam vero actionem, et irritabilitatem nominatim cordis, et arteriarum antagonistice minuens; retardans; dosi refracta diuretica; majori drastico-cathartica; nauseam cum anxietate excitans; pulsum retardans; nimia vomitum ciens, et cardialgiam, et singultum.

U. In primis in morbis systematis nervei. Nervos irritando efficacem se præstitit in variis neurantistasibus, sic in epilepsia (WHYTERING, MACLEAN,) hydrocephalica, vel scrofulosa diathesi stipata (BURDACH,) ecclampsia gravidarum et puerperarum (DUNCAN,) in variis pectoris adfectibus, ut an-

gina ejusdem, cynanche tracheali, seu stridula, aut polyposa Anglis *Croup* dicta, asthmate spasmodico cum opio (FERRIAR,) pertussi (HAROLD,) imo in spasticis etiam constrictionibus ejus utilitas emicat, per experimenta, quibus herniæ incarceratæ profuit (HUFELAND, DUNNING.) Ita vehementem hæmicraniam, ut veri simile, hydrocephalicam, per resorptionem serosæ ecchyseos MACLEAN curavit, quamobrem in cæteris quoque cephalalgiæ speciebus commendari meretur simulac vel ecchysin (extravasationem) in cameris cerebri, vel hydrocystidem (hydatidem) suspicari licet. Ut cerebrum stimulans, mentis alienationibus opponitur (NORD,) puta melancholiæ, maniæ (PATTERSON,) vel imminuta venarum cerebralium actione, aut serosa ecchysi, ortæ. In morbis vasculosi systematis, et quidem in nervos stimulum augendo, in musculos vero vasorum et præcipue pulmonum eundem minuendo, agens, efficacem exserit vim, in plerisque illis casibus, ubi hyperpracticam periergiam exaltatamque irritabilitatem vasculosi systematis, asthenia nixam, submittere e re est, hinc vis ejus in inflammationibus asthenicis, ex. gr. in typho, cum angina membranacea, aut auctiori, ceteris paribus, arteriosi systematis incitabilitate, atque hinc proveniente cardiotromo, cardiopalmo (palpitatione cordis) etc. elucet. Anginam membranaceam, datis quarta quaque hora, quinque guttis *tincturae*, plus simplici vice idque citra relapsum, CUSTANCIUS, pneumonitidem vero, laterum doloribus, angustia pectoris stipatam, morbillosam autem vehementem febrim congestione sanguinis ad pectus, tussi, difficultate spiritus comitatam MACLEANUS curavit. Nec rheumaticæ inflammationis a Britannis curatæ desiderantur exempla (HENRY.) Laudatur in aneurismate aortæ, sed simulac micatus ad 54 fuerint, suborta majori diuresi, usu remedii supersedendum est. Irritando venas profluvia sanguinea cohibet, ita hæmorrhagias sthenicas (CARSON,) epistaxin, hæmoptysin (CURRIE,) angiorrhagicam, metrorrhagiam (DRAKE,) cum periculo imminentis abortus, (CARSON) hæmaturiam (mictum cruentum) cum urgentibus dysuriæ

ncommodis, (Maclean) hæmorrhoidem. Phthisis etiam fe- ici ausu, sæpe *Digitali* tollitur, (Darvin, Beddoes;) ast ubdolis specieque lenitatis haud raro fallentibus ejusdem ini- iis adcommodatior ea est, quam inveteratæ, aut ulcerosæ, ed et hac adfectos lenimen et tolerabiliorem lucrari vitam, experiundo didicimus, ut proinde minime mirum sit, eandem a cl. Simmons resorptionem puris moliente, in abscessibus nternis commendari enixius. Non minus catarrhus, qui præ- postero consilio curatus, crebriter in phthisin transit, ea dis- cutitur (Mosman,) in morbis systematis lymphatici, et glandularum. Irritando vasa lymphatica adenemphraxibus ob- ponitur, ita pancreatemphraxi et trahenti hinc originem atro- phiæ. Tritam, ac superdatam, *succumque* in unguento strumas dissipare Parkinson notavit, atque de *linimento* e *floribus* dem testatus est Bate. In scrofulis humidis, et manantibus commodam esse, cl. Hulse, magnæ existimationis clinicus observavit; eandem tamen in siccis improbans. In lymphati- cis tumoribus vasorum a paralysi immunium, functioni calcar subdit. In scirrhomatibus, neuroblacia plexuum, vasorumque ymphaticorum sustentatis, recte datur interne. In hydrope cumprimis celebratur, atque auctiori tum resorptione, tum liuresi medetur; detritis tamen ad modum, viribus, atque ir- itabili ventriculo aliena: ita prostant exempla curati hydro- horacis, vitiosa vasorum exhalantium sedulitate, pravaque re- sorbentium inertia orti (Lentin;) hydropis articuli, (Bran- disius,) apoplexiæ hydrocephalicæ, (dato *pulvere Digitalis* cum *Submuriate Hydrargyri*, nuchæ autem *vesicatorio*, tempori- busque admotis *hyrudinibus*) (Garnet.) Pulveris instar *semi- na* minutissima, quæ sicuti alia similium plantarum, summum virium in compendium jungunt, in hydropiseos præcipue usum commendat Scherwen. *Extrinsecus:* forma *lotionis*, *injectio- nis*, *unguenti* adhibetur, ad curandam psoram (Anderson,) mpetiginem et tineam squamosam (Maclean, Ferriar.) Lepram scorbuticam (Vicat,) scrofulam usu *unguenti succique* recenter expressi (Parkinson,) strumam unguento ex *succo*

*recenti* THILENIUS, aliaque mala. Cl. BRERA DIGITALI PURPUREA, D. LÆVIGATAM præfert.

D. Variis illa modis in remedii usum præscribitur a Medentibus. Aut in *pulveris forma*, quæ aliis merito antecellit, ægris exhibentur *folia* a dimidio grano ad granum, sesquigranum, duo, vel etiam tria, vel *aqua* superfunduntur. Fit quoque mitius infusum drachmæ unius siccatorum *foliorum* ad uncias octo *fervidae aquae*, per quadrihorium rite digerendum, addita, hoc facto, colaturæ uncia *aromaticae* cujusdam *aquae*; sumitur bis de die semuncia, vel etiam uncia, quæ est dosis media pro adulto. *Decoctione* vires *plantae* hebescunt, quapropter *infusum* prævalet; sed et id caute adhibendum; sunt enim exempla non omnibus profuisse, imo causam subitæ mortis quondam, exstitisse. Ab aliis *tinctura* datur, sed minime reticendum est, *solutiones spirituosas*, non respondere morbis in quibus sanguinis velocitatem cohibere laboramus, juvatque meminisse, effectum DIGITALIS sat diu perdurare, atque illo clare manifestato, usu ejusdem esse supersedendum, (HAHNEMANN.) Si præscripta dosis per plures continuetur dies, pulsuum remedio ad initium retardatorum frequentia redit, iique non modo duriores, sed et compressi fiunt, calor vitalis sensim corpus deserere incipit, extremæque partes ad tactum frigescere sentiuntur. Auctior dosis, micatus arteriarum iterum retardat, et nauseam, vomitum, subinde spasticam faucium constrictionem cum singultu, et in sensibilioribus hæmoptysin, nonnunquam vero diarrhœam movet, aut urinæ secretionem auget. Præterea visum hebetat, rebusque oculo oblatis, flavi viridisque coloris speciem, et coruscantes fulgores addit, ita, ut ægro aer crebris micare ignibus, globique rotuli circumvolvi videantur, subsequente dein perfecta visus orbitate. Interdum ægri de dolore palpitante in bulbo oculi queruntur; subinde alienatione mentis corripiuntur, non tam verborum ineptiis, quam pertinacia, in obstinato animo, se prodente. Tandem fit, sed infausto plerumque omine, ut musculorum convulsiones concitentur, quas pedepressim mors

omnium malorum finis excipit. Ut noxæ hæ, quas Digitalis incaute sumta adfert, averruncentur, varia a Medicis proposita sunt adjumenta, ita alvo soluta, *Opium* Witheringius, Digitali addidit, aut *Sal Alcali* Hahnemannus, eadem tarda, *rad. C. Jalappae*, vel potius *Supertartratem Potassae.* Actione nervorum debilitata, excitantia remedia, ex. gr. *Castoreum*, *Opium* adjicere, et deficientibus viribus, eupeptis, roborantibus succurrere juvat. In hebetudine visus, aut obfuscatione, oculos *vino* lavandos esse, aut minimam *C. Ipecacuanhae* dosin admisceri suadent. Nausea facta, *infuso Menthae*, *Opio*, *Acidis vegetabilium*, veluti *Aceto* et *succo Citri medicae*, nec non Witheringii suasu, vesicantibus restinguitur. Haud sunt prætereunda tacito antidota, interne *lac*, in quo *semina Trigonellae Foeni graeci* cocta sunt, *Opium* etc., item *extrinsecus* vesicantia.

V. *Infusum Digitalis*; *Pilulae ejusdem*; *Pulvis Supertartratis Potassae et Digitalis*; *Tinctura Digitalis*; — — *composita.*

## EUCALYPTUS RESINIFERA. Smith.

Ершеникъ смолистой.

Arbor Africæ interioris circa fluvium Gambiam, imo etiam in Botany-bay crescens. *Cl.* Icosandria. *O.* Monog. *O. N.* Hesperideæ L. Myrti J. *Usualis est:*

Succus concretus, (*Gummi Kino*, seu *Gambiense Ph. Regni Polon.*) est substantia dura, friabilis, opaca, e rubronigricans, *aqua* et *Alcohole* solubilis. Alii esse *extractum Coccolobae uviferae* censent, (*Ic. Catesb. Carol.* 2. *t.* 96) alii *succum* hunc e *Butea frondosa* manare. (*Ic. pl. Corom.*) Permutatur quandoque hic importatitius *succus concretus* cum *extracto Tormentillae* et *resina Dracaenae Draconis*, (*Sangvine Draconis Ph. Regn. Polon*,) quæ non est tam austero *sapore*, neque etiam *aqua* solubilis, estque specifico *odore.*

Q. Præstans: in principio *scytodepsico acidulo* residens, cui ¼ ⅓ circiter pars *gummi* admista est. Plus *mucilaginis*, minus

vero *resinae*, quam *extractum Acaciae Catechu* tenet, hinc eo facilius *aqua* solvitur. Est *odoris* expers; *saporem* præ se fert pure pute adstrictorium.

V. Valde adstringens; antiseptica; roborans; crispans musculares fibras.

U. In asthenico canalis intestinalis statu, ejusque relaxatione adhibetur; ita in habitualibus diarrhœis, dysenteriis, lienteria, *intrinsecus* datur. In abnormi secretione viarum uriniferarum, blennorrhœa, leucorrhœa, injecta ejusdem, in *aqua Calcariae*, solutione (Thilenius,) vel *spongiis* eadem imbutis, parti admotis. Sic etiam in asthenicis sanguinis profluviis, in catameniis, plus æquo profluentibus, (Fothergill, Cullen.) *Amaris* sociatus dialeipyras propulsat. *Extrinsecus injectione* ulceribus saniosis medetur; imo etiam sanguifluxum, si oboritur, sistit.

D. *Pulveris* a scrupulo ad semidrachmam, vel in *emulsione* ex. gr. cum *G. Acaciae verae* et quapiam *aromatica aqua*. *Tincturae*, drachmæ duæ (ad semunciam) exhibentur.

V. *Tinctura Eucalypti.*

## EUGENIA CARYOPHYLLATA. Thunb.

### Caryophyllus aromaticus L.

### Гвоздичникъ.

Arbor Indiæ orientalis, in insulis Moluccis, præsertim Nova Guinea crescens *Cl.* Icosandria *O.* Monogyn. *O. N.* Hesperideæ L. Myrti J. *Usuales sunt:*

Flores cum *pericarpio immaturo*, (*Caryophylli aromatici Ph. Ross.* Гвоздика), claviculis forma similes, *oleo volatili* turgent, leniter siccati ex fusco nigricant; calyce infundibuliformi, quadrifido; petal. 4; drupa seu bacca sicca, ovata, laciniis calycis coronata. Eligantur sat fusci, grandes, ponderosi, e quibus ungue pressis *olei* aliquid exsudet.

Q. Continent *oleum volatile*, (sextam ponderis partem), si recens est destillatum, blandi *saporis* et pallidi *coloris*, qui dein

in flavidum vertitur, præterea tertiam partem ponderis *extracti resinosi*, quod *Alcohole diluto* solutum, venali *oleo* additur, unde fuscus *color*, et pungens indoles exponuntur. *Odoris* sunt grati, fragrantis, penetrantis; *saporis* aromatici, acris, calidi, diu in lingua perseverantis, cum levi amaritie.

V. Stimulans; exæstuans; stomachica; menagoga; masticati copiam salivæ proliciunt.

U. *Flores* adhibentur, ut sapor remediorum, quæ interne sumuntur, emendetur, haud secus ac *cortici Cinchonae officinalis*, in *infusis* et *pulvere*, ut melius digeratur, addi solent. Nulli *aromati* cedunt vi stimulandi nervos fibrasque musculares, et instar *condimenti*, quum cibis adduntur, languenti ventriculo suppetias ferunt. *Externa* eorum adplicatio efficax censetur, instar stomachici, item ad dentes servandos in *pulveribus* et *electuariis*. In India mos est in paralysi, uti *balneo*, quod *flores* excipit, vel *linimento* ex *oleo*, cui iidem incocti sunt. *Odoramentis* præterea inserviunt, et *balsamis*, *pomatis*, *pulveri cyprio* et *fumali* addi solent. *Oleum Eugeniae* gossypio exceptum, atque cariosis dentibus inditum, potenti stimulo, odontalgiam cohibet; idem in natali arboris solo remedium est in paralysi suetum.

D. Semiscrupulus ad drachmam in *pulvere*, aut *infuso aquoso*, vel *vinoso*, porrigitur.

V. *Oleum Eugeniae caryophyllatae.*

## F E R R U M.

### Ж е л ѣ з о.

Ferrum raro invenitur *nativum* apud nos; inventum tamen est in Sieweria ab ill. Pallasio ad verticem montis schistosi circa fluvium Jeniseum prope Krasnojarsciam, sed communiter in montibus Russiæ occurrit *oxydatum*, et *mineralisatum*, (vulgo *pyrites*, Колчеданъ,) aut sub nomine *Ferri ochracei*, vel *argillacei*, unde eliquatur *crudum* (*Ferrum fusum*, Чугунъ,) quod ulteriori tractatione in *Ferrum ductile*, imo etiam

in *chalybem* convertitur. In novissimis terræ formationibus pariter, ac in antiquissimis saxis reperitur, in paludibus etiam uliginosis, et scaturiginibus videmus *ochream* deponi, quo in aprico est, id quotidie denuo e natura generari; imo humani cruoris partem centesimam vigesimam esse *Ferrum*, *Sodae* nuptum, nuperrima docuere experimenta.

Q. Metallum tenacitate, et duritie insigni, post Stannum, levissimum, gravitate specifica, ut 7,788, *colore* cinereo-nigrescente, vel obscuriori in cæsium vergente, *nitore* minus constanti, ut aëri potissimum humido expositum perfacile ferruginem (rubiginem *ferri*) contrahat; maximam enim habet erga *oxygenes* adfinitatem, si a solo recesseris Zinco, ad *Silicem* scintillat, *Magnete* adtrahitur, igne, trituque candescit, difficulter funditur ingenti colorum nitidorum varietate, (quam variis gradibus lenioris ignis tortum in superficie exhibet), conspicuum, tum emollitur adeo, ut ferruminari possit, ad 1616 F. liquescit, dum refrigerat, in duplices tetraëdras coit. In omnibus *acidis* solvitur, et ex solutione, *acido gallico* et *hydrogenio sulphurato*, nigro; *acido* autem *borussico*, saturate cœruleo præcipitatur *colore*. *Oxyda* eius sunt: *Oxydum Ferri nigrum*, (Vauquelin,) (*Aethiops martialis Ph. Ross.*), *fuscum*, vulgo *Crocus Martis aperitivus; luteum*, vulgo *rubigo*. Usui medico inservit *Ferrum ductile*, idque metallica forma *limatum*; quod tamen, cum ab opificibus vix citra *cupream* labem haberi possit, neque etiam separatio ejus ope *Magnetis* sat secura est, a Pharmacopœis parari expedit.

V. *Ferrum limatum; Suboxydum Ferri praeparatum; Tinctura Muriatis Ferri.*

## FERULA ASSA FOETIDA.

Дурнопахучникъ; Аза вонючая.

In campis Persiæ montosis crescens. *Cl.* Pentandr. *O.* Digyn. *O. N.* Umbellatæ L. Umbellifer. J. Perennis. *Usualis est:*

Gummiresina, seu succus gummeo-resinosus (vulgo вонючая камедь Ruthenice dictus,) e *radice* plantæ, transversim

secta *lactis* instar stillans, in superficie sauciata, atque vi solaris caloris, aut contactu aëris in massam siccam, concrescens, grumos flavescentes, vel e fusco-roseos, referentem, maculis variegata albis, dentibusque subacta tenacitatem, prodentem. Frusta madentia, inquinantia continent multum arenæ, quod, vel solutione, vel microscopio detegitur; ceterum admiscentur ei et aliæ *gummiresinae*, *resina alba succo Allii sativi* inquinata. Ex simili planta, *Ferula* persica, colligitur, forsan eadem *gummiresina*, (Hope.)

Q. In principio *gummeo-resinoso* (e $\frac{2}{3}$ *gummi* et $\frac{1}{3}$ *resinae*) *oleoque volatili* sita; *sapor* ex acri amaricans est; *odor* vero maxime nauseosus, *Allium* cum alio fœtoris intolerabilis genere redolens.

V. Excitans; resolvens; pituitam movens; sedans; antiseptica, (Pringle,) anthelmintica; menagoga.

U. In nevroblacia universali, atque hinc proveniente anxietate, vertigine, lypothimia, cephalalgia, ataxia, hypochondriasi, hysteria, epilepsia etc. In canalem intestinalem agendo, flatus intestinales dissipat, enterodyniam, vitio ventriculi flatulento, ortam sedat, unde etiam in tympanitide ejus vis efficax. Commodum hoc in casu præstat auxilium in *clystere*. Jn dyspepsia, acido ventriculi, aliisque ejusdem a debilitate incommodis, conjungitur cum *bile taurina*, *amarisque extractis*. Alvum habitualiter, vel ob spasmum, vel ob imminutam irritabilitatem, obstructam, solvit, recteque his in casibus *catharticis clysteribus* additur. Ob nidorem, contra interaneorum animalia cum successu adhibita, præsertim in connubio *zooctonorum*, puta: *Valerianae off. Aspidii Filicis maris*, *Olei pineo-laricini*, *Conv. Jalappae*, *Sulphatis Ferri*, *Artemisiae Judaicae seminum*, *extracti Tanaceti vulg.* etc. In genitalia agendo membra, suppressis spastice catameniis, (citra tamen plethoram et inflammatorium statum, opitulatur. Sic in amenorrhoea, dysmenorrhœa et chlorosi juvat. Actionem pulmonum, nevroblacia, vel muci adcumulatione, aut spasmo oborto, segnem, intendit, atque per hoc screatus movet, hinc vis ejus in tussi,

asthmate convulsivo, caduco pulmonum, arthritico (Millar,) pertussi, quo in casu recte eidem additur *gummiresina Heraclei gummiferi*, *Scillae m. radix*, *Acetas Ammoniae liquidus* etc. Imo etiam in tracheitide (Cynanche tracheali, vulgo *croup* dicta) præstantissimum fertur esse remedium, præsertim, si ea spasmodicæ indolis est (Odier.) Vasorum hæmatophororum extrema adficiendo, effectus asthenia eorundem productos tollit, vel secretionem corrigit, hinc opem fert in hepatemphraxi, ictero, hydropisi, enterodynia hæmorrhoidali, melancholia etc., præsertim *extractis amaris*, *mercurialibus*, *stibiatis* etc., adjuta. In myodynia, arthrodynia, prosopalgia, adjunctis *Camphora*, *Submuriate Hydrargyri*, *Conio maculato* (Thilenius), haud secus ac in carie mali moris, ulceribus præsertim rheumaticæ, herpeticæ, scrofulosæ indolis, imo etiam in ipsis scrofulis (*interno usu*) laudatur. In adenemphraxibus, scirrho, tum interno quum externo usu, proficua, præsertim in copula *Hydrargyri*, *Conii m.* etc.

D. *Pulveris* grana quinque, decem, viginti, ter quaterve de die per se, vel in connubio aliorum; exhibetur quoque in *pilulis*, et *soluta* infra duas drachmas ad dimidium scrupuli, quæ dosis augetur ab una ad drachmas tres, si in usum *clysteris* detur. Ob graveolentiam repugnanter a quibusdam sumitur, hinc, ut plurimum sub forma *pilularum* præscribitur; ubi vero adhibenda est *soluta*, ut semper fit, in *clysteribus*, utendum est *vitello ovi*, aut *mucilagine* congrua.

V. *Clyster Assae foetidae*; — — *opiatus*; *Mistura Assae foetidae*; — — — *composita*; *Pilulae Aloës foetidae*; *Pilulae Assae foetidae compositae*; *Pilulae gummiresinosae foetidae*; *Solutio Assae foetidae*; *Tinctura Assae ammoniata*.

## FICUS CARICA

### Смоковница.

Europæ australis, in primis vero Græciæ, apud nos in Chersoneso taurica transalpina circa Alupкam, Aluschtam etc., ad

Caucasum prope fluvium Anticetan, (Kubany,) in Astrachanensi provincia circa fluvium Soanam, (Török), in saxosis etiam Iberiæ calidioris, in Albania iberica, (Cachetia,) Armenia iberica, (Somchetia,) partim colitur, partim spontanea. *Cl.* Polygam. *O.* Diœcia. *O. N.* Scabridæ L. Urticeæ J. Arborea. *Usualis est:*

Fructus, (*Carica pingvis Ph. Ross.* Смоква, винная ягода,) est pericarpium turbinatum, carnosum, succulentum, connivens; occultans *semina* exigua, lenticularia. Majores, qui Smirna adferuntur *fructus* dulcissimi, insularum Balearium, et Melitenses omnino delicatissimi sunt; duri vero, insectis vitiati, nigrescentes, aciduli, habentur despicatui.

Q. Dulcis, *mucilaginosa, saccharina. Odor* recentium vix ullus.

V. Nutriens; emolliens; maturans.

U. *Decocturae* internus in raucitate, tussi, enterodynia saturnina. *Extus* lacte *decocti fructus* utilitatem promittunt in parulide; vel *assati*, forma *cataplasmatis* in cynanche, bubone, anthrace, abscessibus maturandis et mariscis hæmorrhoidalibus curandis. Ano inditi, suppositorii vices gerunt. *Succus foliorum* expressus verrucas delere fertur.

V. *Decoctura Althaeae.*

## FUMARIA OFFICINALIS.

Дымянка аптечная; Чистякъ меньшой; земляной дымъ.

Planta in hortis et agris sponte copiosissima, *Cl.* Diadelphia. O. Hexandria. *O. N.* Corydales *L.* Papaveraceæ J. annua. *Usualis est:*

Herba, *caule* ramoso, diffuso, *siliquis* (fructibus) globosis, retusis, *fol.* supradecompositis, *foliol:* cuneiformi-lanceolatis, incisis. Cum Fumaria bulbosa permutatur.

Q. Inodora, sed tota stirps scatet *succo* intense amaro, salino.

V. Stomachica; leniter secretiones naturales movens.

U. Herbæ *succus*, obstructionibus, viscerumque infarctibus reserandis, scorbuto, veterum æque, ac recentiorum consensu

unanimi, par esse existimatur, et tum cum *succo Sisymbrii Nasturtii*, *Scandicis Cerefolii. Leont. Taraxaci*, *Cochleariae off. Sero, lactis*, *Aqua Selterana* etc. aptissime conjungitur. In psora non spernendum remedium est *herba*, vel *sero lactis infusa*, vel cum *Zytho* decocta, a cl. STRANDBERG magni nominis Clinico; in herpetibus quoque, uti a LEIDENFROST, et THOMSON, in leprosis adfectionibus amplissima tulit præconia. Ictericis et calculosis utilem esse, BICKER auctor est. Hepatemphraxeos laudatum ab excellentissimo ROGERSON remedium. An melancholiæ sit par discutiendæ, ut quidam contendunt, dubito.

D. *Succi* recentis vasculum, duo, tria, per nychthemeron.

V. *Extractum Fumariae.*

## GENTIANA CENTAURIUM.

### CHIRONIA CENTAURIUM. CURTIS.

### CENTAUREUM MINUS PH. ROSS.

### Золототысячникъ.

Pl. corollis quinquefidis, infundibuliformibus, caule dichotomo, pistillo simplici, in locis montosis, apricis, aut sabulosis, præsertim marinis Russiæ temperatæ spontanea. *Cl.* Pentandr. *O.* Digyn. *O. N.* Rotac. L. Gentianæ J. Annua. *Usualis est:*

HERBA *florens*, floribus rubentibus, foliis ovatis.

Q. Intense et pure amara. *Alcohol* unice *amaras* partes; *aqua* vero simul *mucilaginosas* extrahit.

V. Roborans; resolvens; anthelmintica; antiseptica.

U. In febribus intermittentibus, splanchemphraxi, leucophlegmatia, chlorosi, helminthiasi, dyspepsia in primis, laudatur Adversus furfures, et crustosam scabiem capitis oppositum est cum successu *brodium* e *pisis* cum *herba* decoctum pro *lotione*; in ulceribus etiam sordidis valet.

D. Pro *infuso* drachmæ duæ cum *aquae* unciis quatuor sumuntur.

V. *Cerevisia amara; Species resolventes.*

## GENTIANA LUTEA.

Генціана; Горечавка желтая.

In alpibus et subalpinis temperatæ Russiæ crescens. *Cl.* Pentandr. *O.* Digyn. *O. N.* Rotaceæ L. Gentianeæ J. Perennis. *Usualis est:*

Radix, (vulgo r. *Gentianae rubrae*) pedalis, et quod excurrit, crassitie digiti, sæpe pollicis et ultra, rugosa, rugis annularibus adproximatis, extus ex rubro fusca, intus aurantiaca. Huic interdum substituitur *radix Gentianae purpureae. Ranunculi Thorae* cum eadem fuisse mistam *radicem* vidit Hill, ejusque usu pessima observavit symptomata. *R. Thorae* radix externo nigro *colore* et deficiente luteo interno, *odoreque* virus olente cognoscitur.

Q. Amarulenta, cum leni *aromate*, *oleoque* volatili.

V. Stomacho apta, peptica, antiseptica, anthelmintica, lexipyreta.

U. Ventriculi et intestinorum debilitati medetur, bilis inertiæ, juncta saponi, subvenit, acorem succi gastrici frangit; hinc suetum in dyspepsia remedium. Irritabilitate auctiori præditis, ut hypochondriacis et hystericis etc. conducibilis. Febres intermittentes, in connubio adstringentium, propulsat; denique in splanchemphraxi abdominali, ictero, leucophlegmaia, chlorosi, arthrodynia, et imprimis in helminthiasi, merito commendabilis, sub miscela *aromatis* grati, *menstruoque vinoso*, vel *spirituoso* soluta, efficacior, meliusque fertur. *Extus:* ulceribus putescentibus non inepta.

D. *Radicis* a granis decem, ad scrupulum, duo.

V. *Extractum Gentianae l.*; *Infusum Gentianae compositum*; *Tinctura ejusdem composita.*

## GEUM URBANUM.

Гравилатъ; Гвоздичникъ; Гребникъ.

Planta floribus erectis, aristis uncinatis nudis, foliis caulinis ternatis, radicalibus lyrato-pinnatis, ad sepes et in locis

umbrosis, vulgatissima. In nostris regionibus frequentius *G. intermedium*. *Cl.* Icosandr. *O.* Polyg. *O. N.* Senticosæ *L.* Rosaceæ. J. Perennis. *Usualis est:*

Radix, (*rad. Caryophyllatae Ph. Ross.*) fibrosa, fusca, intus rubens; recens *odorem gemmarum floriferarum Eugeniae caryophyllatae* quodammodo spirans, aromaticum. *Sapore* simili est, austeritate tamen et amaritudine prævalente, vere novo e sicco solo, dum herba progerminat, effodienda est, nam florescentiæ tempore illa *odore* aromatico, multo inferior est. A *radice Gei rivalis*, quæ inodora est, humida loca amat, caulemque habet rotundum, et flores nutantes, distinguenda est. *Radix Gei urbani* habet caulem quasi quadrangulum.

Q. Præstans. *Sapor* amaricans, substypticus siccæ.

V. Vis eidem adstrictoria est, antiseptica, roborans, lexipyreta, eaque principio nititur *scytodepsico* cum pauco *volatili oleo*.

U. *Radix* inter indigenas *Cinchonae* succedaneas primatum tenet. Compertum eam maxime prodesse: morbis asthenicis; nominatim vero diáleipyris (Buchhave) levioris notæ, neque inveteratis, præcipue ubi abnormitates systematis venæ portarum neutiquam sopitæ sunt, *Cinchona* valentior, haud secus ac typhodibus nervosis levioris gradus, nervorum systemate parum energiæ exserente, neque stimulantia fortiora ferente, ut in sequiori sexu, vel ineunte ætate non male cedere in connubio *stimulantium*, vel simplicium *acidorum* administratam, magnæ existimationis viri adseverant. Profluviis asthenicis, ut diarrhoeæ asthenicæ et dysenteriæ ejusdem indolis, *radix* sub finem data, profuisse fertur. Metrorrhagiis sistendis et sua et *cl.* Trendelenburgi experientia esse parem, Weberus confirmavit. Esse nevroblaciis, ut hypochondriasi et hysteriæ, uti etiam chlorosi, diathesi scrofulosæ, scorbuto et gingivarum laxitati adcommodam luculenti scriptores perhibent.

D. Optime datur á scrupulo ad drachmam in *pulverem* tenuata *radix* ter in diem et sæpius, vel cum *melle* forma *electuarii*. Unciæ ejusdem sesquilibra aquæ fervefactæ, vel *vini*

ubi id levi pretio venit, infusa binis cochlearibus secunda quaque hora exhibetur.

V. *Pulvis Cinchonae succedaneus; Tinctura Gei urbani; Decoctum Cinchonae succedanea.*

## GLYCYRRHIZA GLABRA.

——————— GLANDULIFERA (WALDSTEIN et KITAIBEL *pl. rar. Hungar.*)

Лакричникъ гладкій и желѣзистый.

Planta in Europa australiore, et ad Jaicum Rutheniæ sponte crescens. GLANDULIFERA et ECHINATA in australiori deserto ad Tanaim circa oppidum Tscherkask (Rutheniæ) obvia. *Cl.* Diadelph. *O.* Decandr. *O. N.* Papilionac. *L.* Leguminos. J. Perennis. *Usualis est:*

RADIX, (*Radix Liquiritiae*, солодковой корень) teres, longa, repens, crassitie digiti, et ultra, *extus* fusco flavescens, *interne* flava, sicca, admodum rugosa.

Q. a principio peculiari *extractivo glycyon* dicto derivanda. *Odor* crudus, exacte *leguminum* recentium *Phaseoli vulgaris;* sapor intense dulcis, simul in *legumen Pisi sativi* incidens, idque parte in primis corticali, et nonnihil mucilaginosus, diutius masticata leviusculam præ se fert amaritudinem.

V. Demulcens, bechica.

U. In morbis pectoris, raucitate, tussi, catarrho, paraphonia, etc. ita etiam in adfectionibus viarum uriniferarum, urolithiasi, stranguria, nephritide, blenorrhagia etc. in diarrhœa, dysenteria etc. ubique fere, ubi deficit mucus naturalis. Siti etiam restinguendæ, præsertim apud hydropicos par. Additur quoque eadem aliis ad celandum eorundem ingratum saporem, ut *pilulis* pulvis, vel eo inspergitur fine, vel ideo, ne inter se cohærescant. Ita etiam *decocturis* ad conciliandam iisdem gratiam, idque sub finem. Quem in finem aptius addi-

tur sicilicus *extracti*, loco unciæ *Sacchari*. Corrigit optime salsedinem nauseosam *Muriatis Ammoniae*, eamque obnubilat. *Extractum radicis* in tussi acri tanquam eximium bechicon lambendo etiam sumi potest.

D. Pro additamento ad *pulveres* semiscrupulus, scrupulus. Pro *ptisanis* drachma et ultra. Potest etiam uncia ejusdem in libra *aquae* per horam digeri, atque hoc *infusum misturis salinis*, *decocturis Cinchonae* etc. addi. Ad restinguendam sitim, *radix* manditur.

V. *Extractum Glycyrrhizae.*

## GRATIOLA OFFICINALIS.

Авранъ аптечный; Благодать; Божія милость.

Planta in udis pratis meridionalis Rutheniæ crescens, *Cl.* Diandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Personatæ *L.* Scrofulariæ J. Perennis. *Usualis est:*

Herba amaro-acris, foliis lanceolatis, serratis, glabris; floribus ringentibus, subalbidis, diandris. Radix cylindrica, calamum crassa, geniculata, alba, valde amara, acris. Confunditur interdum cum *Scutellaria galericulata.*

Q. Efficacia ejus residet in substantia *resinoso-saponacea*, quæ tum *Alcohole*, tum ob admistos *sales*, *Malatem Potassae*, et *Muriatem Sodae*, *aqua fervefacta*, extrahitur; quapropter *resinoidem* vocat hanc *substantiam* Voquelinus. *Sapor* herbæ intense amarus, nauseosus; *odor* nauseosus.

V. Cathartica, haud raro simul emetica, anthelmintica, refracta dosi, diuretica.

U. In plerisque morbis, ubi cathartica e re sunt, locus est *Gratiolae*. Ita in hydrope: ascite, (Helvich,) anasarca (Hartmann,) præsertim stasibus diuturnis abdominalibus junctis, (Sprengel,) ubi *gummiresina Stalagmitidis Cambogioidis* nubitur, haud secus ac verminoso malo, colluvie pituitosa, stipato, prodesse potest eadem copula, imo est inter exempla *taeniam solium* e penetralibus corporis fuisse extorrem redditam, aut

*herba*, aut *extracto* cum *gummiresina* F. *Assae foetidae*, et *Submuriate Hydrargyri*, porrecto. Mentis alienationibus, sublatis, quibus originem debebant, stasibus, cum successu opponebatur. *Folia*, vel recentia, vel in *pulvere* vulneribus admota, constat ad consolidationem eorum fecisse; in ulceribus vero recentibus, fomenti instar calidi, contulisse.

D. *Herba pulverata* exhibetur ad grana tria, aut scrupulum dimidium, vel *extractum* eadem dosi in *aqua aromatica* solutum, vel denique *decoctura* ad drachmas tres *herbae siccatae* in selibra aquæ.

V. *Extractum Gratiolae.*

## GUAJACUM OFFICINALE.

### Бакаутъ.

Arbos procera foliis bijugis, obtusis, in Hispaniola, Iamaica, Barbadoës, Brasilia, aliisque regionibus Americæ meridionalis spontanea. *Cl.* Decandria. *O.* Monog. *O. N.* Gruinales *L.* Rutaceæ J. Perennis. *Usualia sunt:*

Gummiresina, subpellucida, friabilis, e fusco-virescens, diffracta splendens; si vero in *pulverem* tenuetur, fit illa primo albida, dein subviridis, estque *succus gummeo-resinosus* impurus ex *arboris cortice* exsudans, aut incisione exstillans, ac dein condensatus, partim e *recenti ligno*, aut *decoctione* in *aqua*, aut digestione in *Alcohole diluto*, extractus. Sponte proveniens præstabilior censetur merito, arte prolicito. In *Alcohole diluto aethereisque oleis* solubilis est fere omnis. Lignum, ponderosum, compactum, fusco-ferrugineum, *aqua* specifice fere gravius, resinosum. Alburnum *coloris* multo dilutioris, albidi. *Gummiresina* admisto interdum et colliquefacto *colophonio* seu *resina balsami pineo-sylvestris*, factitia conflatur. Ut hæc detegatur fraus, caloris ope in certa quantitate *Alcoholis* solvitur, dein *solutio* haec, debita *aquae* quantitate itidem decomponitur et instillatis lente aliquot *liquidae Potassae* guttis, quod præcipitatum est, iterum dissolvitur. Quod ubi evenit, *Potassa li-*

*quida* iterato addenda. Si *gummiresina*, cujus sinceritas explorabatur, non est adulterata, tum omnis illa *solutio* clara manet et inturbata; si vero vel minima illi intermixta est *colophonii* quantitas, id quod præcipitatum est, massam *gummeo-resinosam*, saponaceam, ægre solubilem, præ se fert: *Colophonium* nempe cum *Potassa saponem gummeoresinosum* format, in *Potassa liquida* insolubilem, dum *gummiresina* simili modo solubilem produceret. Alii *gummiresinae* bonitatem ope *Olei pineo-laricini* explorandam esse perhibent. Massæ tenaces opacæque, e granis compositæ et *colore* fusco vel griseo variegatæ, damnantur.

Q. Præstans, *gummeo-resinosa*; *corticis* et *ligni*: *sapor* amaricans, subacris. *Gummiresinae*: *sapor* acris, pungens. *Ligni* scobis: *odor* debilis, resinosus, haud ingratus; *sapor* masticatæ subamarus, acriculus. *Gummiresina*, prunis candentibus injecta, *odorem* spirat haud ingratum.

V. *Guajaci* irritans, eximia, *gummiresina aethereo-oleosa* in nervos vasorum hæmatophororum agens, ac proinde sumta præpostere, sanguinis congestiones, neurantistases sthenicas; in primis vero febres excitat. Aegroto calidius cooperto est sudorifera, eodem vero frigidius servato diuretica. Usu protracto salivam movet, majoribus vero propinata præbiis alvum subducit. *Principio* suo *acri* urentem faucibus sensationem imprimit, atque oris siccitatem, sitim, nauseam, anxietatem, caloris sensum in stomacho, dolores, calore totius corporis auctiori, et sanguinis circulatione accelerata, imo subinde ipsum soporem inducit.

U. Neurantistasibus sthenicis, ut variis algematibus, (doloribus) febribus, inflammationibus etc. potentia reagendi conspicuis, uti etiam mobili nervorum systemate præditis, aut organicis intrinsecus vitiis laborantibus, phthisiscentibus, asthmaticis etc. aut saburra in primis viis hærente, esse *Guajacum* alienum, virtus ejusdem medicata declarat; proficuum vero esse morbis asthenicis, ut diversis pruritus speciebus, puta psorico (scabiei) herpetico, achorico, aliisque congeneribus, seu acri suo principio vellicantem potentiam tollendo, vel eandem ad cutem promo-

vendo, additis præsertim *Sulphure sublimato*, *Hydrargyro*, *stipitibus Solani Dulcamarae*, ceterisque zooctona virtute nobilibus. Nec mirum sublato exulcerante *acoro* organismi animalis reproductioni favere. An in syphilidem eadem polleat efficacitate, quam eidem N. Poll et eques Huttenus, ad propriam provocantes experientiam, adtribuunt, dubito; persuasum tamen mi est, licet per se virus non tollat, ut auxiliarium tamen, præsertim juxta usum *Hydrargyri*, levamen conciliare posse. Algematibus quibusdam, ut myodyniæ rheumaticæ, arthrodyniæ ejusdem indolis, recte opponitur et prodesse videtur, vel sudorem eliciendo, vel cutim saltem perspirationi opportunam reddendo. Prosopalgiæ, vel *tinctura Guajaci* obponitur per se, vel *succo Conii spissato* in eadem soluto, adjuta. Alii eandem cum *gummiresina F. Assae foetidae*, aut *succo Aconiti spissato* propinant. In enterodynia rheumatica ab ill. Sellio laudata, nec in hydropisi vaga Richteri, præcipue, si vel rheumatica, vel arthritica constitutio malum prodit, ob salutarem suam in cutem et renes actionem, laudibus sibi adstructis orbari debet; utilius tamen in duritie ligamentorum et periostii, post usum *mercurialium* superstite, suasu ill. Duncani adhibetur. In phthisi catarrhali asthenica, valere, Double auctor est. In asthmate convulsivo, arthritica, vel rheumatica ad pectus conversa acrimonia, *Opio*, *radici Valerianae off. gummiresinae F. Assae foetidae* etc. juncta, profuisse perhibetur; in primis vero sub *emulsionis aquosae forma*; in urolithiasi ob actionem ejus in renes utilitatem promittere, præsertim cum *sapone*, *aqua Calcariae* etc. luculenti scriptores adseverant. *Gummiresina* in iisdem, atque *lignum* morbis, efficacitate longe commendabilior; cavendum tamen a protractiori ejusdem usu, utpote ventriculo insidias struente.

D. Lignum in *infuso*, vel leni *decoctura* præberi solet, vix tamen optata cum efficacitate; *resina* enim pars constitutiva, non nisi minima quantitate in *aqua* solubilis est, vix ac ne vix quidem potest exserere vim, quam præstituimus, medicam. Persæpe aliis additur *decoctionibus*; sed cum per se adhibetur,

paulum *radicis Glycyrrhizae gl.* ut quibusdam placet, adjici expedit. In *collutorio* quoque, aut ipsa per se *decoctio*; aut additis congruis remediorum adminiculis commendatur. *Gummiresina*, vel in *pulverem* tenuata a quinque ad quindecim grana cum *Supertartrate Potassae, Submuriate Hydrargyri, Suboxydo Stibii hydrosulphurato* propinatur, vel per modum *pilularum*, cum *sapone* (vel perinfirmo ventriculo) cum *extractis amaris* et *aromaticis*, vel pro vario morborum comitantium satellitio cum *succo Conii spissato.* aut *gummiresina F. Assae foetidae*, vel forma *emulsionis*, *mucilaginosorum* ope parandæ e. g. e drachma, *gummiresinae*, scrupulo *gummi Acaciae verae*, duabus unciis *aquae* et semuncia *syrupi*, cochleatim sumendæ; vel in *solutione* in *diluto Alcohole.*

V. *Decoctura Guajaci; — — cum Mezereo; Haustus guajacinus; Pilulae Guajaci compositae; Pulvis Guajaci; — — ammoniatus; — — opiatus; — — stibiatus; Species Guajaci compositae; Tinctura Guajaci; — — ammoniata.*

## HÆMATOXYLON CAMPECHIANUM.

### Кампешъ.

Arbor spinosa, in meridionali America, Jamaica, Hondura, nominatim ad sinum Campeche regni Mexicani copiose, sponteque crescens. *Cl.* Decandria. *O.* Monogyn. *O. N.* Lomentaceæ *L.* Leguminosæ J. Perennis. *Usuale est:*

LIGNUM (*Lignum campechense Ph. Ross.* Лазоревое дерево) durum, solidæ texturæ, ponderosum ex flavo-rubrum, longitudinaliter sectum, fissile; transversaliter vero, æquale, nebulosum. *Cortice* denudatum, sanguineum habet *colorem.*

Q. *Pigmento*, a CHEVREULIO *haematina* vocato, *principio scytodepsico* intime unito, nititur. *Sapor* dulcescens, stypticus, in *extractis* quoque, seu *aqua*, seu *Alcohole* paratis, se prodens; *Odor*, singularis *olei volatilis* præsentiam indicans.

V. Roborans; adstringens.

U. Alvo, si diu fusa est, atque atonia culpatur, firmandæ, vel *decoctura*, vel *extractum* ejus, aptum est, nec minus sub finem dysenteriæ, vis ejusdem medicamentosa prædicatur. Dialeipyris rarius; sed interdum cum successu oppositum. Usus ejusdem in arte tinctoria celebrior.

D. Semuncia in selibra *aquae*, coquitur, atque colatura unciarum quatuor præbetur cochleatim. Aliis *extractum* coctione parandum magis placet, cujus duas drachmas in quatuor unciis *aquae aromaticae* solutas exhibent.

V. *Decoctura Haematoxyli; Extractum* —.

## HERACLEUM GUMMIFERUM (Willdenow.)

### Ferula Ammon (Broussonet ex autopsia.)

### Борщевикъ Египетскій; Аммоніакъ.

In Nubia et Abyssinia, interioribusque locis Aegypti et præsertim in regno Barca, (in quo inclutum delubrum Jovi Ammoni sacratum olim exstitit,) gignitur. *Cl.* Pentandr. *O.* Digyn. *O. N.* Umbellatæ L. Umbelliferæ J. Perenne. *Usualis est:*

Gummiresina (vulgo *gummi ammoniacum*,) tenax, digitis agitata, mollescens. Prostat, vel in granis angulatis variæ magnitudinis, intus albidis, atque inter se plerumque conglutinatis, vel in massis rotundis; tum granula albida, substantiæ molliori fuscæ, immista sunt. E $\frac{2}{3}$ *gummi* et $\frac{1}{3}$ *resinae* constat. Probatur sordium expers, splendens, candida, *Thuris* similitudine, veteribus vulgo *Thrausma* dicta. Aliis *gummiresinis* adulteratam dari quidam referunt, quod jam ex *sapore* perfacile cognosci poterit.

Q. *Aethereo-oleosa, hydrogenata, oleo* volatili cum *resina* conjuncto, eoque exsuperante, nititur. *Odor* alliaceus, ingratus; *sapor* nauseosus amarus, acris, mordens, diutissime inhærens.

V. Incitans, quam in vasis capillaribus tunicarum mucosarum præcipue exserit; in nervos vasorum hæmatophororum agens, hinc excalfaciens; minus tamen, quam alia *volatilia olea oxygenes* tenentia. Afficit quoque vias uriniferas et *mucilagi-*

*nosa* sua indole pulmones, ita abnormitates quoque reproductionis tollit. Antispasmodica quoque vi conspicua.

U. In pulmones irritando agit, quum in vasa capillaria tunicae mucosæ, quæ vias aëriferas obvestit, stimulo suo vim exserens, secretiones promovere possit, quam ob rem, pituita haec viscera gravante, tussim, ravim, angustiorem spiritum, reddente, screatus levat, ac proinde phthisiscentibus, (sputis moram trahentibus vel suppressis,) nisi periergia affectarum partium, aut febrilis tumultus officiat, atque a stimulo metuendum sit, opportunum remedium, præsertim, *Oxymelle scillite*, adjecto *syrupi* simplicis tantillo, adjutum. Ita in asthmate, dyspnœa catarrhali et id genus aliis proficuum. In asthenia vasorum abdominalium et hinc contracto organorum torpore, adcumulatione pituitæ, pancreatemphraxi, hepatemphraxi (obstructione jecinoris) et obstructione ramorum venæ portarum conspicuo, in connubio *amarorum spissatorum succorum*, *Suboxydi Stibii hydrosulphurati*, *saponis* etc. efficacia ejus elucet, hinc hypochondriacis, ictericis, hydropicis etc. non alienum. In uterum quoque et vasa hæmorrhoidalia agit, hinc suppressis nevroblacia catameniis et in hæmorrhoide, vis ejus enitet. In amenorrhœa conjunctim cum *gummiresina Aloës perfoliatae* et *sapone* (Weickard,) perutilis. In renes etiam agit, haud secus ac obscœnas partes, unde in dysuria, diabete et id genus aliis, profuit. Nervos arteriarum in extremis irritat, in tumoribus asthenicis, stimulo egentibus, cysticis, fungisque articulorum, hydarthro, lupia, testiculorum induratione, scirrho, (gummiresina cum *Aceto scillite* ad consistentiam *pultis* cocta atque duritiei, admota,) in abscessibus maturandis (adposito *emplastro gummeo-resinoso;*) scrofulis, pernionibus etc. Secretioni morbidæ opitulatur, hinc in carie, ulceribus mali moris et chronicis, fœditatibus cutis non spernenda. Ita in tinea capitis *emplastro* e *gummiresina* et *Aceto* parabili, (crusta prius *adipe suilla* emollita ablataque), superdato, profuit.

D. A granis decem ad scrupulum et semidrachmam. Si in pulmones agere lubet, tum minores doses e re sunt; si vero

in abdominalia organa, tum majores effectum exserunt. Forma *pulveris*, qui in aëre mollescit, non est adcommoda, præferenda *pilularis*, in qua excipitur *succis amaris spissatis*, vel *extractis* cum *gummiresina Myrrhae*, *Assae foetidae*, *Aloës perfoliatae*, vel, pro re nata, *Suboxydo Stibii hydrosulphurato*. Sed etiam quapiam *aqua aromatica* potest solvi, ita fit *emulsio* e duabus *gummiresinae* drachmis, *vitello ovi*, vel semidrachma *gummi Acaciae verae* et quatuor *aquae* unciis, adjecto, si opus, *Oxymelie scillino*, constans, secunda quaque hora, cochleatim, sumenda.

V. *Cataplasma Heraclei salinum; Emplastrum gummeo-resinosum; Mistura Heraclei gummiferi; Syrupus ejusdem.*

## HORDEUM DISTICHON.

### Ячмень.

Gramen ignotæ patriæ, a Ruthenis copiose seritur, imo etiam ipsi Laponiæ familiare. *Cl.* Triandr. *O.* Digyn. *O. N.* Gramina *L.* Gramineæ J. Annuum. *Usualia sunt*:

Semina, quæ prout leguntur, integra, *cruda*; *cortice* autem molendo exuta, *mundata*; quæve mola in formam sphæricam redacta sunt, *perlata*; (перловая крупа;) vocitare suerunt Medentes. Maltum hordeaceum, (солодъ,) sistunt *semina cruda*, *aqua frigida*, in tabulatis emollita, atque dein per strata, loco patulo, ac perflatili, distributa, speciem fermentationis subeundo, germina utrinque protrudentia, dein, (quod ne ultra justum limitem fiat,) vel illico, aëre libero siccata, vel subito super commodis furnis tosta. Farina.

Q. *Farinaceae*, *mucilagineae*, (*Farina* $\frac{3}{4}$ *mucilaginis largitur*) *amylaceae* indolis. Nititur *principio saccharino*.

V. *Farinae*: emolliens; demulcens, et plus, quam *avenaceae*, nutritoria. *Malti* itidem nutriens, quin excalefaciat, et in primis extrema arteriarum, in reproductione partes suas obeuntium, blande stimulans (Burdach,) majori dosi, musculares canalis intestinalis fibras, relaxando, alvum sat effi-

caciter liquans. Interdum *Acido carbonico* sub fermentatione semet evolvente, vim antisepticam exserere videtur.

U. *Panis hordeaceus*, licet sit gravior *secalino*, a Ruthenis tamen, præsertim vero ruricolis Fenniæ, quum sit grati saporis, murmurantibus præcipue inanitate intestinis, perlubenti corde atque animo estur. Mitissimum nutrimentum in morbis tabificis est HORDEUM PRÆPARATUM THILENII: *Farinae hordeaceae* aliquot libræ, sacculo linteo includuntur, sic, ut inter ejus orificium, et superficiem farinæ, spatium palmæ reddatur vacuum. *Sacculus* aquæ adfusæ et fervefactæ supernatet. Fervore per nychthemeron sustentato, atque adfusa identidem *aqua*, *farinacea placenta* immittitur patellæ. Crusta digiti crassitie, illam ambiens, cultro rescinditur, nucleusque, postquam siccatus fuit, comminutus, loco sicco servandus. Phthisiscentibus paratur ex eo *pulmentum* cum *lacte*, mane et vesperi edendum. Fit pro adultis, e *lactis* sedecim unciis, et *Amyli* huius *hordeacei*, cochleari, vel duobus, digestione leni, sub agitatione perpetua, et pro re nata, *Saccharo* edulcatur. Duodennibus pueris quantitas dimidia sufficit, (THILENIUS.) Addito *baccarum Myrti Pimentae* tantillo, fit hoc pulmentum digestu facilius, (NIEMANN.) *Farina* conficiendis *cataplasmatibus*, et *fomentis siccis* apta, cui tamen, pro re nata, *secalina* subrogari potest. *Malti infusum* in suppurationibus majoris momenti, ingruente, ob jacturam humorum, macie, celebratur, ita in suppuratione renum, in ulceribus obstinatis syphiliticis, cancrosis, sub interno usu, tulit suppetias. In scrofulosis adfectionibus, tinea capitis, herpetibus, rhachitide, tum potui datum, quum extrinsecus forma *balnei*, vel *lotionis*, juvat. Magna ei in dyscrasia humorum, ut scorbuto, tum præcavendo, quum curando, auctoritas, a cel. MACBRIDE, hunc in finem attentioni ex experientiæ Medicorum commendatum, exspectationi examussim satisfecisse, iter navigationis celeberrimi COOKII circa orbem terraqueum, documentum præbet. Idem confirmaverunt expeditiones plurium circumnavigantium. Ipsemet scorbutum curaturus, *infuso Malti*, *Vinum* et *Saccharum* cum successu addidi, sed hoc exemplum tantum

ibi sequi licet, ubi *vitigenus* hic *liquor*, non est caro. In arthrodynia quidam laudant et articulationum debilitate, membrum debile in humefactum calensque *Maltum* indentes. An in febribus biliosis putridis vulgo dictis, ut Collin adseverat, sit utile, experiri oportet. Si *potio Malti*, non illico, cum recens est, ebibitur, tum incipit evolvi *acidum carbonicum*, quo, ut Collin observat, egregium *antiemeticon* præbet; uti etiam non spernendam *potionem* adversus typhum, nitentem in putredinem. Scire licet, *Amylum hordeaceum*, quod est plerumque albido cinerascens, *aqua* decoctum, in *gelatinam* concolorem, tenacem, transire, et *cataplasma aqua* coctum, ex eo parabile, ad movendam suppurationem, esse peridoneum.

V. *Cataplasma emolliens; Decoctura Hordei; Decoctura Malti composita* I; — — — II; *Gargarisma commune.*

## HUMULUS LUPULUS.

### Хмѣль.

Planta perennis, caule volubili, *foliis* inferioribus trilobis, in quibusdam insulis fluvii Jenisei spontanea, tam bene viget, ut venditio in vicinas terras incolis Krasnojarscensibus insigne lucrum adferat, alibi vulgaris ad sepes, alibi, adornatis pro usu œconomico lupuletis, colitur. *Cl.* Dioec. *O.* Pentandr. *O. N.* Scabridæ L. Urticeæ J. *Usuales sunt:*

Strobili, seu amenta subglobosa, laxe imbricata, squamis ovatis, subacutis, membranaceis, stramineo colore præditis, antequam floruerint colligendi, et siccandi sollicite.

Q. *Volatili oleo, scytodepsico, extractivo amaro*, principioque *narcotico* nititur. *Odor* subnarcoticus, nidorosus; *sapor* amarus.

V. Excitans; narcotica, (*Strobili* cervicalibus subditi somnum arcessunt,) frequentiam pulsuum retardans quidem, sed eosdem reddens firmiores; (Maton,) leniter adstringens.

U. Fere ubique, ubi *Opium* dari expedit, utilitatem promittit; laudatur cumprimis in myodynia rheumatica, adfectionibus pulmonum, ita in pertussi sub finem. In syphilide. *Decoc-*

*tura* decrescente luna sumta, vermes efficaciter pellere fertur. (Bodin.) *Unguentum* cum pulveratis *strobilis* factum, intensum carcinomatis dolorem, ultimo ejusdem stadio, quum alia non responderint, lenivisse fertur, (Freake.) *Speciebus resolventibus* recte adduntur *Strobili*.

D. *Pulveris* grana tria; *tincturae* guttæ quadraginta. (Scire licet *pulverem strobilorum*, uti etiam *extractum*, *tincturae*, vi anodyna, præstare.) Pro succedaneo *Opii* haberi, eique subrogari in variis casibus posse existimatur. (Videsis: *Dissert. inauguralem de Humulo Lupulo a cl. de Roches. Edinburgi*, 1803 *publici juris factam.*)

V. *Extractum Humuli L. Pilulae* — —; *Tinctura* — —.

## HYDRARGYRUM.

### Mercurius, Ph. Ross.

### Ртуть; живое серебро.

Largissimus est *minerae* et *Hydrargyri* proventus in variis Europæ regionibus, et in Americæ metallifodinis. Rarius invenitur *nativum* seu *Hydrargyrum virgineum L.* (*Mercure natif* Hauy, Ртуть самородная), sæpius nuptum *Argento*, (*Mercure argental H.* Сортутка серебряная,) *Acido muriatico* (*Mercure muriaté H.* Ртуть солекислая,) seu *Sulphuri*, *Sulphuretum Hydrargyri rubrum*, (*Mercure sulphuré H.* Ртуть сѣрная; Киноварь,) aliis etiam (*Mercure Sulphuré bituminifére H.* Ртуть сѣрно-смолистая) etc. In *sulphureo* Dauriæ monte Ildecanensi reperiebatur quidem apud nos *Sulphuretum Hydrargyri rubrum*; sed tantum in parva quantitate. Quidam etiam *Oxyda Hydrargyri* se invenisse arbitrantur, ut in Hydria *rubrum* et *nigrum*. Postremum videtur fuisse *Sulphuretum Hydrargyri nigrum*, (*Aethiops mineralis Ph. Ross.* Ртутно-сѣрная черная смѣсь.) *Emporeticum* haud raro, alienis pretii vilioris, præcipue *Plumbo*, interdum quoque *Bismutho* et *Stanno* adulteratum est. Talis superficies neutiquam nitet, ast fusca, et quasi membranula obducta adparet, tardius et globulis quasi cau-

datis currit, nigra, vel cinerea relinquens vestigia. *Plumbum* perniciosissima omnium labes, detegitur ope *Acidi acetici*, quo saporem dulcem nanciscitur *Hydrargyrum;* ope vero *Acidi sulphurici* sedimentum deponitur; *aqua* autem *hydrosulphurata acidula*, nigrum. *Bismuthi* præsentia detegitur *Subnitrate Bismuthi*, qui largiori copia *aquae* solutioni *metallum* adulteratum cum *acido nitrico* junctum tenenti adfusa, ægre solubilis factus, albus *oxydulumque* mentiens, præcipitatur. *Acidum nitricum Hydrargyro* adfusum, *Stannum* commistum, in *oxydum album* corrodit. Præterea fraus detegitur: si drachma, vel plus, in cochleari ferreo carbonibus superimponitur, tum *Hydrargyrum* deflagratione avolat, heterogeneo, quod ei admistum fuit, relicto.

Q. Est *metallum*, vulgari temperie fluidum, album, nitore eoque constanti, ARGENTUM referens, ponderosum (gravitas specifica *Hydrargyri* secundum *cl.* KLAPROTH: 13,600) in *Acido nitrico* et *sulphurico* solubile, expanditur calore insigniter, æstu ingenti ad 680 *Fahr.* volatile; calore autem leniori fixius, et in vase aperto sese oxydans. Liquidam formam in hybernis etiam rigoribus intemeratam servat, nisi *Hydrargyro* Th. *Fahr.* 38 et 40 gradibus (HUTCHINS) infra o descendente, aut summo Sieweriæ ultimæ (GMELIN, PALLAS, LAXMANN, FRIES) frigori exponatur, aut cum *Acidis*, aliisque *Salibus* solutis, quæ aliis vicinis corporibus caloris materiem avidissime surripere solent, in contactum veniat (BLADGEN,) quo in casu octoëdris solidescit et fit malleabile. In genere linguæ immersæ saporem metallicum in primit.

V. *Hydrargyrum depuratum.*

## HYOSCYAMUS NIGER,

### Блекота; Бѣлена.

Planta, *cor.* ochroleuca, infundibuliformi, obtusa, irregulari; *stam.* inclinatis; *caps.* operculata, biloculari; *seminibus* nigris,

ad pagos, vias et pinguia ruderata, crescens. *Cl.* Pentandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Solanaceæ *L.* Solaneæ J. Biennis. *Usualia sunt:*

F o l i a, alterna, amplexicaulia, sinuata, hirsuta. Quandoque cum *foliis Hyoscyami albi* permutantur, petiolatis, sinuatis, obtusis.

Q. Venenata, in principio sita narcotico. *Odoris*, intense narcotici, et nauseosi; *saporis* fatui et mucilaginosi.

V. Eadem, quæ *Opii*, et in primis resolvens. Ab hoc, eo differt, quod *resina* carens, minus excalfaciat, et ob acre, quod tenet, principium, alvum quoque liquet, vel ad minimum sicut et *succus Conii spissatus*, non comprimat; interdum etiam nauseam, et vomitum movet.

U. Paralysis; varix ani; hæmorrhagiæ ab irritatione; cardiopalmus. Irritando organon animæ, asthenicæ maniæ, melancholiæ hystericæ, (refragrante G r e e d i n g,) et hypochondriacæ hæmicraniæ, vertigini nervosæ, (B u r d a c h,) fit utile remedium. In spasmodicis adfectionibus, convulsionibus hystericis, dysodontiasi, aut exanthematibus segnius prorumpentibus, productis, in epilepsia, trismo, laudatur. In algematibus plerisque omnibus, tantam, quantam *Opium*, promittit utilitatem, persæpe majorem, præsertim, ubi obstipatio usum *Opii* contraindicat. Sane in odontalgia, prosopalgia, myodynia, arthrodynia, magni fit a quibusdam. Nuperrime cl. T r i b o l e t *Succum Hyoscyami spissatum* inflammationi pectoris cum successu obposuit, addito *solutioni* ejusdem *Vino stibiato*, haud secus, ac tracheitidi? Nec minus in adenemphraxibus, et in primis scrofulis, etc. *Externe:* forma *cataplasmatis* (*foliorum*,) vel *emplastri* (ex *oleo seminum*, *pulvere herbae*, *cera* et *balsamo pineo-laricino*,) vel *unguenti* (ex *pulvere* et *adipe suilla*) scirrhum resolvere fertur. Ulceribus quoque rebellibus, pulvis *foliorum* inspersus proficuus. Usu cognitum est, majores doses effectus esse notabilioris, et quidem sudoris copiosam eruptionem, placidum et profundum somnum, animi serenitatem et corporis vigorem, capitis obnubilationem, gravitatem, et cephalalgiam, vel ver-

tiginem, sensuum internorum torporem, exanthemata, fusca, serpiginosa, pustulosa, in mento et gena oriri; haud secus, ac in quibusdam copiosum lotii profluvium, crebriores alvi dejectiones, alios vomitum experiri, quosdam ventris tormina, soporeque sub dilatatione pupillæ tentari, experiundo didicimus.

D. Semigranum, grana duo, ad scrupulum, sensim sensimque, idque adscendendo cautissime; adsuetis major quoque dosis impune dabatur.

V. *Collyrium Hyosciami opiatum; Oleum hyosciaminum; Succus Hyosciami spissatus; Tinctura ejusdem.*

## INULA HELENIUM.

Девясилъ; Оменъ.

Planta in pratis succulentis et humidioribus Russiæ australis crescens, foliis amplexicaulibus, ovatis, rugosis, subtus tomentosis, calycum squamis ovatis. *Cl.* Syngenesia. *O.* Superflua. *O. N.* Compositæ radiatæ L. Corymbifer. J. Perennis. *Usualis est:*

Radix, fusiformis, carnosa, mucilaginea, crassitie pollicis et plus, *extus* pulla; siccata vero glauca, *intus* alba. Cum *radices* hæ cito mucescant, in longitudinem dissecantur, ut melius siccescant. In hortis educata, virtute cedit, sponte crescenti.

Q. Præstans: a *volatili* repetenda *oleo* et peculiari principio *inulino*, *extractivo-amaro. Sapor* ex acri-subamarus, sub-nauseosus; *odor* sub-aromaticus, *Camphorae Acidoque benzoico*, attestantibus Neumann et Geoffroy, similis.

V. Leniter stimulans, Angelicam A. æmulans; expectorans; anthelmintica.

U. In morbis pectoris asthenicis, tussi, asthmate pituitoso laudatur. Contra psoram in *unguento* celebritatem consecuta est. An pro alexipharmaco, quin pro præservativo contra pestem, ut Rajus et Diemerbroeck contendunt, haberi

queat, non scimus pro certo. An tremorem artuum, ab incauto HYDRARGYRI usu ortum, sedet, dubitatur.

D. Vel in *pulvere* ad semidrachmam, vel supra, vel *aqua* decocta, sive infusa, datur. Præcipue *infusum Vino* factum arridet.

V. *Oleum inulinum*; *Unguentum* —.

## JUGLANS REGIA.

### Орѣшина Волоская, или Грецкая.

Arbos in Persia et Syria spontanea, viget cultura in australi Ruthenia, ut in Chersoneso taurica circa Aluschtam, Alupkam, in Iberia, in Astrachanensi provincia et circa mare Hircanum, Kioviæ etiam, Sanfati (Bohuslaviæ) et alibi in hortis colitur. *Cl.* Monœc. *O.* Polyandr. *O. N.* Amentac. *L.* Terebinthinac. *J.* Arborea. *Usualia sunt:*

CORTEX VIRIDIS FRUCTUS IMMATURI; (*Culiola;*) PUTAMEN et DISSEPIMENTUM NUCUM; NUCLEUS; FOLIA, glabra, subserrata. Mense Junio colligenda.

Q. *Cortex* nititur *principio scytodepsico*, in *aqua*, tam bullienti, quam frigida, solubili (SCHWILGUÉ); *putamen* pollet *extracto gummoso* et *resinoso*, (SPRENGEL,) suntque austero-amari et balsamici *saporis; folia* habent proprium penetrantemque *odorem*, caput gravantem, saporis amaro-adstringentis, ingrati; *nucleorum:* grate dulcis, oleosus.

V. *Corticis* et *putaminum:* adstringens; tonica; lexipyreta; anthelmintica; antisyphilitica. *Nucleorum:* nutriens; involvens; largius comestorum laxans et labefaciens ventriculum.

U. *Cortex* et *putamina* in *aqua* decocta, præbent non inefficax remedium in syphilide inveterata et fœditatibus cutis, helminthiasi. Scopo purificante a J. HUNTERO commendatur *decoctura* composita, è *fructuum* (cum *cortice viridi*) unciis decem, *radicis Caricis arenariae*, *Lapidis Pumicis* et *Sulphureti Stibii nativi*, singulorum uncia, cum *aquae fontanae* libris quatuor decoctis, ad colaturam dimidiæ partis. Hujus *decocturae*

bibat æger libram mane, alteram vero vesperi, et pro potu ordinario, *decocturam Althaeae*, vel *Bardanae*. Debilioribus subjectis propinetur parvis dosibus et sæpius, abstinendo a *carnibus fumigatis, salitis, acidis, vino* etc. Remedium huic simile a Pollinio et Friedreichio, celebratum, feliciter curam syphilidis absolvit, ubi multum *Hydrargyri* incassum consumsit æger (Jahn.) Alii *lapidem Pumicem*, ut inefficax remedium, ommittunt, et loco *radicis Caricis arenariae*, *radicem Smilacis Sarsaparillae* sumunt: R. *Radicis S. Sarsaparillae* semunciam, *Ligni Guajaci* drachmas tres, *Corticum viridium fr. Juglandis regiae* drachmam, *Sulphureti Stibii nativi pulverati* scrupulum, coque ex *aquae* sesquilibra, colaturæ adde: *aquae Cinnamomi*, *Syrupi Citri Aurantii*, utriusque semunciam. Per diem consumendum. Extus *decoctura* concentrata *corticis* et *putaminis* siccati purificat consolidatque ulcera syphilitica, conducit quoque et in aliis laxis, saniosis, scorbuticis crurum et herpeticis ulceribus, si partibus adfectis, ope lintei carpti, sæpius madefacti, imponitur; vel si ulcera cacoëthea abluantur (Hunczowsky, Sprengel, Frank.) Hoc scopo cl. Osiander adhibuit etiam *extractum* in *aqua* solutum, et pro *gargarismate* ad consolidanda ulcera faucium syphilitica, *infusum Salviae officinalis* cum *eodem extracto corticis viridis*, vel *putaminis*, addito *melle*, et aliquot granis *Oxymuriatis Hydrargyri*. *Extractum* hoc sua adstrictoria virtute potest omnino pro succedaneo haberi, iis in morbis, ubi *succum Eucalypti concretum* et *radicem Krameriae triandrae* laudavimus. Alia vis est *decocturae ejusdem corticis*, *aqua* factæ, anthelmintica, quam ad lumbricos pellendos in primis extollit Platnerus, eamque experientia confirmatam, persæpe vidimus, (immissi huic vermes intestinales, pauca intra minuta, sub motibus spasticis, pereunt.) Simeon Seth, dudum jam notavit: *virides nuces Juglandis r.* ad satietatem comestas, lumbricos educere. Hæc itaque ansam dedere ex *immaturis fructibus extracto aquoso* parando, cujus drachma in uncia *aquae corticis L. Cinnamomi* soluta, remedium eupoiiston sistit ad vermes enecandos; infantibus biennibus vel triennibus guttæ viginti, triginta

ter de die datæ, guttæ vero 40 — 50, provectiori ætati, conveniunt. Addito *syrupo simplici*, vel *melle*, *solutio* gratior redditur. Sub usu, decrescente luna, spatio sex, vel octo dierum, continuato, *catharticon mercuriale*, subjungitur (Murray.) E *succo nucum viridium* expresso, cum *Saccharo*, aut *Melle*, *Roob* conficitur, quod insignem vim præstat, in angina, tumore tonsillarum, aphthis, aliisque oris ulceribus, addita idonea quantitate *Subboratis Sodae*, vel *Acidi sulphurici diluti*; ope penicilli illinitur, vel *infuso Salviae* admistum, loco *gargarismatis*, adhibetur. *Fructus immaturi*, servato *putamine*, *Saccharo* et *aromatibus* conditi, stomachicum gratum et sub varia miscela *embamma* sapidum ferculis suppeditant; *nuclei*, pari modo confecti, in mensa secunda esitantur. Sapidissimum et palato gratissimum est *embamma*, quod Kioviæ et Sanfati (Bohuslawiæ) etc. (*Кіевское вареньe Грецкихъ орѣховъ*) conficitur. Memoriæ Hippocrates prodidit: *nuces Juglandis*, largius comestas, lumbricos, tæniasque latas pellere. Eundem effectum et Andry adnotavit, superbibito *Vino Alicantino*, quod pariter infestat vermes et vires ventriculi sustentat. In Gallia, sub dicto connubio, specificum reputatum fuit adversus Tæniam S. *Folia* cautim siccata et in *pulverem* trita, cui pro re nata, etiam *Saccharum* additur, inter anthelmintica vix spernenda, referuntur; *recentia* vero contusa, ambusturis apte admoventur, *succus* ex iisdem expressus, podagricis prodest, si loco dolenti adplicatur (Boerhaave.) *Cortex arboris medianus* (et *Amentum*,) tempore, quo illa plurimo scatent succo, collecta et siccata, vomitum excitant; pro scopo vomificio olim, drachma pro dosi, porrigebatur, ut Sennertus et Schroederus adseverant. *Julorum* scrupulos duos cum binis *Olei succinici* guttis, laborantibus hysteria matronis, fuisse a Cratone commendatos, memoriæ proditum est. *Epidermis nucleum* investiens, flavescens, subamara, ad drachmam cum *vino*, vel *aqua aromatica*, laudatur a Hoffmanno, qua domesticum remedium, adversus enterodyniam flatulentam. Taceo, quod *folia*, *putamen*, *fructus*,

vel *cortex viridis*, in *aqua* macerata, atque in horto effusa, coacervatim lumbricos terrestres alliciunt, eosque perimunt.

D. *Corticis*, vel *putaminis* uncia, sumitur ad libram *aquae*, decoquendæ ad uncias octo, quæ cochleatim præbetur ter, quaterve de die; *Extracti Juglandis* grana 20—30; in *solutione:* drachma, cum uncia *aquae aromaticae*; pro usu externo: semuncia, in selibra *aquae* solvitur; *Roobis Juglandis*, drachmæ duæ ad quatuor, in vehiculo idoneo exhibentur.

V. *Decoctura Juglandis*; *Extractum* —; *Roob*—.

## JUNIPERUS COMMUNIS.

### Можжевельникъ обыкновенный; Верескъ.

*Frutex* in acclivibus exsuccis, aridisque Russiæ temperatæ germinans, subarborescens, *foliis* ternis, patentibus, mucronatis, *bacca* longioribus. *Cl.* Dioecia. *O.* Monadelphia *O. N.* Coniferæ *L.* et J. *Usualia sunt:*

Lignum, tam *radicis*, quam *trunci* et *ramorum* a *cortice* liberatum, compactum, ponderosum, ex albo flavescens, aut rutilans. Baccæ, (Яловецъ,) seu *fructus baccati*, integri, maturi, globosi, cœruleo-nigricantes, tota prima æstate virides, nec nisi biennii spatio, maturescentes. *Lignum Fagi sylvaticae*, *oleo Juniperi communis* illitum, substitui, cl. Liphart, testatur.

Q. *Baccae*, præter *saccharinam*, *materia* quoque *resinosa* cum *oleo volatili*, præditæ sunt. *Odor* earundem fragrans; *sapor* subdulcis, subacris et resinosus. *Lignum*, excepta *materia saccharina*, nullo fere *baccarum* principio, destitutum est; *odor* ejusdem et *sapor* idem, sed debilior.

V. Stimulans; sudorifica; diuretica; *baccarum*, potentior.

U. *Baccarum infusum* in hydropisi, pro diverso regimine, aut sudorem, aut lotium movet. Vires diureticas et simul roborantes, in morbis pituitosis, præsertim œdematosis, et hydropicis, jam Helmontius inter arcana habitas, extollebat impense. *Spiritus* destillatus, *aqua* dilutus, (Джинъ) *Saccharoque* mistus, sub-

inde pro potu, in eodem morbo, præscribitur. Cutis post scarlatinam inflata, et in rhachiticis flaccida, utiliter fricatur panno, qui fumum ex iis *baccis*, prunis inspersis, excepit. Bilibra *baccarum*, *balneis aromaticis*, non male additur. Laudatur etiam in scorbuto, fœditatibus cutis; *oleum* autem, adversus animalia interaneorum. *Ligni* usus, idem. *Suffitus*, non tam ad corrigendum aëra, quam ad graveolentiam, valetudinariorum; ubi opus fuerit, obtundendam, vulgatissimus.

D. Adhibetur *lignum*, *baccae* et *oleum*. *Lignum* rarius in *infusione*, aut leni *decoctura*, a duabus drachmis ad unciam; *baccarum*, antea contusarum, in *infuso* drachma, semuncia, ad selibram, vel libram *aquae*, vel *vini*. *Olei:* guttæ duæ ad decem. *Extus baccae* non tantum *suffiendis* valetudinariis aptæ; sed etiam *fomentis*, *cataplasmatisque* uniuntur commode. A quibusdam *lignum radicis*, *trunci ligno*, minus odorario, præfertur, imo pro succedaneo *ligni Sassafras*, habetur.

V. *Infusum Baccarum Juniperi; Oleum Juniperi; Roob* —.

## JUNIPERUS LYCIA.

### Верескъ горный, или каменный.

Arbor foliis ternis, undique imbricatis, ovatis, obtusis, copiosissime in promontoriis rupestribus præruptis, apricis, jugorum Altaici et Sajanensis, continuo tractu, ab Irti ad Jeniseum fluvium, crescens. *Cl.* Dioecia. *O.* Monadelp. *O. N.* Conifer. *L.* et J. *Usualis est:*

Gummiresina (*Olibanum*, *Thus*, Ладанъ, vulgo dicta) subdiaphana, pallide lutescens, in lacrymis majoribus ovato-oblongis, utrinque obtusis, magnitudine *seminis Viciae Fabae*, vel *ovi columbini*, solitariis, vel geminis, sæpe pluribus, aggregatis, lævibus, fragilis, fracturis planiusculis. Alii eam ex Junipero thurifera; Fœrskal vero nuperrime ex Amyride Kataf desumi adseverat. Variis *resinis*, atque *gummiresinis* aliis, pretii minoris, malesuado consilio, permiscetur.

Q. *Gummeo-resinosa*, leniter tosta, *odorem* spargit fragrantem, quem in finem, ob gratiam odoris, pro *suffitu* adhibetur. *Saporis* est balsamici.

V. Discutiens, extrinsecus.

U. Nimii in adstruendis ei laudibus auctores fuere, nam in asthmate, hæmoptoë, tussi, cita alvo etc., veterum auctoritate nitentes, commendarunt. Discutiendi in *suffitu* virtuti, traumaticæ in *emplastris* et *balsamis*, Murray subscribit. Intra *albumen ovi*, æque ac *gummiresina L. Myrrhae*, in deliquium abiens, maculis faciei delendis et cicatricibus formandis, haud impar esse censetur. Leucorrhœæ et blennorrhœæ quoque obposita.

D. Interne, (quod vix unquam hodie fit,) a semidrachma ad drachmam.

V. *Pulvis pro Suffitu*.

## JUNIPERUS SABINA.

### Можжевельникъ Донской; Сабина.

Frutex sempervirens, plerumque hortensis, in locis tamen excelsis Sieveriæ spontaneus. *Cl.* et *O.* præcedentis. Perennis. *Usualia sunt:*

Folia, obposita, obtusa, medio glandulosa, quadrifariam imbricata, tenella, acuta. Permiscentur cum *foliis Juniperi Bermudianae* et *Juniperi Virginianae*, quibus deest *odor* et *sapor Sabinae* specificus.

Q. Eximia, a copioso *volatili oleo* dependens. *Odor* hircosus; *sapor* acris, subamarus.

V. Stimulans; diaphoretica; diuretica; menagoga; anthelmintica; corrodens.

U. Laudatur in asthenia uteri, abnormi secretione, laxa intumescentia, lassitudineque stipata, post frequentia puerperia, abortusque, aut irregularem menstruorum fluxum, superstite, quem in finem injicitur *decoctura* in vaginam, aut abdomen

eadem fovetur, ita etiam valet in metrorrhagia cachectica, ubi sub asthenico corporis statu, menstruorum nimius est fluxus, sanguisque male olet. In leucorrhœa, tam interno, quam externo *injectionis* usu, profuit, haud secus ac in incipientibus canceraticis ulceribus. In myodynia rheumatica, astheniæ notam eo gradu, ut ad paralysin accedat, ferente, imo etiam, ut quibusdam placet, syphiliticæ indolis, *pulvis foliorum* a granis decem ter de die porrectus, juvit. In arthrodynia, præsertim vero podagra inveterata, tumoribus ossium, contractura, anchylosibus, vel per se sumitur, vel in connubio *Camphorae, Sulphuris, Suboxydi Stibii hydrosulphurati,* etc. Et præterea partes morbidæ in tepefacta decoctione lavantur, aut tela eodem humefacta iisdem superdatur. *Oleum* quoque *Alcohole* solutum, non male iisdem infricatur. Secretioni etiam corrigendæ par est, hinc efficaciam suam exserit in ulceribus malignis, putidis, phagedænicis, scorbuticis, imo in psora, herpetibus etc. Hunc in finem *infusum* pro *lotione*, vel admovetur *pulvis melli* admistus, vel fit *cataplasma* cum *Ruta, Alcohole camphorato,* etc. *Pulvis* inspersus, cariem ossium et cerebri fungum subegit. In spina ventosa non venerea, cum interno congruorum usu, adplicationem *saturatioris decocturae,* conjungere solitus fuit VERLHOFIUS; similem efficaciam in exostosi e fortiori infuso, extus adhibito, expertus est HOFMANNUS. *Decoctura foliorum*, vel admota *contusa herba,* vermes expulit, adversus quos *succi expressi* cochlear cum *lacte* mixtum et *Saccharo* edulcatum, pariter efficax fuit. Cathæretica *pulveris* admoti vis in verrucis porrisve syphiliticis, aut carne supercrescente, jam antiquitus celebrata, haud secus ac idem in *unguentum* pro fonticulis adhibetur. Remedium est efficax, sed febrili tumultui, variisque aliis neurantistasibus alienum.

D. *Folia* exhibentur in substantia, a decem granis, ad semidrachmam, ter de die, sed non facile pulverata, nam, ut in pulverem redigi queant, siccanda sunt adeo, ut *volatili oleo* priventur. *Conserva* ideo præfertur, e *foliis recentibus*, cum æquali *Sacchari* portione parata, quæ cum s. q. *syrupi corticis fruc-*

*tus Citri Aurantii*, per modum *electuarii*, aut *boli*, datur, vel uncia *consisorum foliorum*, in *aquae* libra, vase clauso, leni igne, ad dimidias partes coquitur, et addita colaturæ, *syrupi* uncia, secunda quaque hora, cochleatim sumitur. *Olei:* 3, 4, guttæ, cum *Saccharo* dantur.

V. *Ceratum Sabinae; Oleum —; Pulvis —.*

## KRAMERIA TRIANDRA. Ruiz et Pavon.

———— Ixina. Willdenow.

Крамерія Американская.

In Huanuco et Tarma *Ratanhia* vocitatur. In Cumana Americæ habitans, in solo sicco, arenoso, calcareo, ardentibus solis radiis exposito, libentius crescens. *Cl.* Triandr. *O.* Trigyn. (Willdenowius ad Tetrandr. Monogyn. refert.) Perennis. *Usualis est:*

Radix, (*Radix Ratanhiae*) horizontalis, longitudine ab uno ad tres pedes, crassitie digiti minimi, ramosissima, teres, *cortice* intus rubro, extus nigricante, sulcato, tecta.

Q. Principium *scytodepsicum* efficacissimam ejus partem constituit, *Acido gallico* et *extractivo amaro*, junctum. *Odor* exhalationibus terrestribus analogus, non ingratus; *sapor* acris, stypticus, nonnihil amarus.

V. Primarium inter *adstringentia* locum occupare posse existimatur.

U. In hæmorrhoeis cujuscumque generis efficacissimum et quasi specificum est remedium, hinc in metrorrhagia, abortu vel alia causa, concitata, in menorrhagia, uti et lochiis nimiis, epistaxi, hæmoptysi, hæmatemesi, hæmaturia, felicissimo cum effectu, adhibitam fuisse, experimenta, a Clinicis Hispanis, facta, testantur; etiam in externis malis, a vulneratione, laceratione etc. neque minus in aliis excretionibus nimiis, sudoribus excessivis, diarrhoeis, leucorrhoea, blennorrhoea, utilis inventa est; gin-

givarum laxitati scorbuticæ, vel ab abusu *mercurialium*, optime medetur.

D. *Radicis* semuncia, cum *aquae* bilibra, ad selibram, decoquitur, et sic exhibetur. Inhibita hæmorrhagia sufficit ad perfectam sanationem, duobus sequentibus diebus dosin dimidiam exhibere. Si autem hæmorrhagia fuit vehemens, et iterata, drachmas duas et semis de die propinare necesse est. Morbis externis forma pulveris adplicari potest.

V. *Extractum Krameriae.*

## LAURUS CAMPHORA.

### Лавръ Камфорный.

In Indiis orientalibus nominatim Java, in Japonia occidentali et contiguis insulis Saikokf, Nipon aliisque, præsertim in insula Satzuma, item in Capite bonæ spei? arbor vulgaris, in lætam vastamque Tiliæ magnitudinem adolescens; in frigidariis vero hortorum Europæorum hinc inde florens. *Cl.* Enneandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Oleraceæ L. Laureæ J. Arborea. *Usualis est:*

Camphora, (Камфора,) substantia concreta, ætherea, massulis globulosis, flavis, subluteis cinereisque, dum cruda est, constans, quæ destillatione *ramulorum*, *foliorumque* cum *aqua*, a reliquis *L. Camphorae* partibus constitutivis, separatæ, illico sublimantur, atque in sordidis deformibus glebis per Batavos adferuntur. *Camphora depurata*, *crudae* nova sublimatione, *Calcariae* ope, per se extinctæ et dilapsæ, parata, in massas magnas orbiculares, subtus concavas, concrescit. Præter L. Camphoram, alia etiam vegetabilia *Camphoram* tenent, ita reperitur illa in *radicibus L. Cinnamomi*, *L. Cassiae*, in *Alpinia Galanga; Amomo Zedoaria*, in *seminibus A. Cardamomi*, *Piperis Cubebae*, haud secus, ac in indigenis quibusdam, ut in Thymo serpyllo et vulgari, Junipero communi, in Roremarino et Salvia off. Mentha pip. etc. Ita etiam ex *oleis essentialibus: Rorismarini*, *Lavendulae*, *Majoranae*

et *Salviae off.* etc. separari potest. Aptissima est Medicinæ, *nivea* et glaciei instar subdiaphana. Non facile adulteratur.

Q. Egregia, in *principio volatili, carbonico, hydrogenio*, et pauxillo *oxygenii* residens. Ab *oleis essentialibus* eo in primis differt, quod plus *Carbonici*, quam ea, contineat. Combustione *Acidum carbonicum* et *camphoricum* dat. Super ignem liquata *olei* instar fluit; accensaque deflagrat omnis. *Odorem* proprium fragrantem, eumque excitatissimum, fere ad *Roremmarinum* accedentem spargit. *Saporis* est acris, aromatici, amaricantis, simul cum sensu frigoris, *Menthae piperitae*, æmuli fere, linguam et fauces penetrantis.

V. Egregia, excitans, diffusibilis, in momentum irritabile nervorum organicorum agens, cujus actionem incitat, dum irregularem vis sensiferæ distributionem minuit; nervos præsertim cutaneos intensius stimulans, hinc exhalationem cutaneam et remeatum sanguinis in venis promovens, in genere calorem in corpore augens, idque ad sudorem præparans, quin micatus arteriarum reddat auctiores. In principio vires vitæ excitans, in statu autem morboso actiones sedans abnormes, nec minus dolores a spasmis, quo antispasmodica ejus vis nititur. Magna dosis pulsum retardat caloremque animalem diminuit, partibus antea, nimia irritatione, fatigatis.

U. Magna *Camphorae*, prout ad multa, salutifer usus, auctoritas est. Quod de plerisque volatilibus stimulantibus prædicatur, id de eadem quoque in universum dici potest, in omnibus nempe formis gradibusque nevrastheniæ, tum chronicæ, tum febrilis, efficacem se præstat, præsertim, si exhalationi etiam cutaneæ calcar subdere e re fore putatur. E nevrastheniarum tribu, typhus est in primis, cui *Camphora* recte obponitur, pulsu parvo, molli, debili, (cuti sudore frigido humente,) delirio, pervigilio, convulsionibus, tendinum subsultibus etc., conspicuus, eaque, vel interne propinatur, vel in *Alcohole diluto* abdomini admovetur extrinsecus. Commode ei hoc in casu adduntur: *rad. Valerianae off.*, vel pro re nata *cortex Cinchonae off. Aether*, etc. Si vero typhus, synochæ se-

quela est, *praeparata stibiata*, *sales neutri* etc., vel dum pronitatem in putredinem prodit, *acida dulcificata*, *Aristolochia Serpentaria*, etc. In gastrico autem typho, cessante jam paralytico et hyperplerotico canalis intestinalis statu, *neutri sales* et *Cinchona off.*, in pestilentiali, *Cinchona*, *Vinum* etc., adcommoda additamenta. In typho exanthematico, ut variolis, morbillis, purpura, vel scarlatina, ob fatiscentiam virium subito retrocedentibus, atque ad cutim resuscitandis, languenti horum exanthematum eruptioni, utilem stimulum subdit. In scarlatina, (quum cutis scabrities et ariditas est, atque exhalatio cutanea non procedit ex sententia, acceditque sub inhorrescentia candicans e rubro exanthema) in variolis, (si est imminuta reagendi vis vitæ potentia, sub spastico statu, febriculositate, cuti frigescente, pallescenteque et eruptione segni, decolore, cum indiciis malignitatis,) in morbillis (eruptione cunctante, aut eadem prodeunte decolore, vel ad interiores partes projecta, vel statum cutis ad paralyticum accedentem relinquente,) cumprimis commendatur. An inflammatoriis febribus conveniat, dubitari posset, ni metum minueret explorata *Camphorae* in externis inflammationibus, virtus. Non inepte sane adhibetur in typho, aliquid inflammatorii secum vehente, ubi videlicet febris, vel primitus typhodes fuit, vel synochæ sequela exstitit, sub pulsu spastico, vel molli, debili, et ubi blandos sustinere sudores e re est, ita in typho cum pneumonitide, hepatitide, gastritide, enteritide etc., in connubio *salium neutrorum*, *stibiatorum*, vel *mercurialium*, in exiguis semigrani dosibus, secunda quaque hora, exhibendo, substitit *cl.* MERTENS. Juvat quoque in his *Alcohol camphoratum* dilutum, vel *Camphorae oleo exceptae*, et quo tenacius inhæreat, *unguento Althaeae off.*, commistæ, inunctio ex. g. in adfectionibus pectoris, spiritus difficultati, tussique, succurrens. In morbis spasticis et convulsivis, præsertim, ubi exhalationis cutaneæ, vel alius normalis, vel abnormis secretionis e. gr. *lactis*, aut excretionis cujuspiam ratio habenda, commendatur. Sic in epilepsia (CULLEN,) scelotyrbe, asthmate convulsivo, pertussi, in enterodynia, aut spas-

mis ventriculi a hæmorrhoidali congestione, intoxicatione saturnina, (cum *Sulphure*,) vel rheumatica, aut arthritica complicatione ortis, imo in dysenteria, meteorismo, si debilitati, spasmis, occurrendum est. Ut heic, ita etiam in herniis incarceratis, frictio quoque, ope ejus, utilis. Dolores omnigeni, præsertim rheumatici, vel adiapneustia orti, ut cephalalgia, odontalgia etc., *Camphoram*, vel intrinsecus adhibitam, vel *Oleo pineo-laricino*, solutam, extus admovendam, expetunt. In morbis viarum uriniferarum et obscœnarum partium, ut in œstromania, dolorifica mentulæ vel cunni tentigine, stipata, in nephritide, ad sistendam *Lyttae vesicatoriae* vim, vel aliorum acrium diureticorum, ut *Scillae m.* hinc profectam. Sic quoque narcoticas *Opii* vires, *Daphnes Mezerei* rodentes, sialagogas *Hydrargyri*, & *drasticorum* evacuantes, infringit (Quincy, Barry, Huxham.) *Unguentorum mercurialium* ex *Oxydis Hydrargyri* paratorum efficacia, sæpius, addita tantum *Camphora*, in inflammationibus chronicis enitescit. In discutiendis inflammationibus externis non frustratur, sic in levi œdematoso erysipelate, aut sine dolore & febri, aut eadem vix notabili, siccis in culcitellis admovetur, cum interno ejusdem usu. *Cataplasmata camphorata* in ophthalmiis opportuna, cumprimis autem iis, quæ rheumaticæ vel catarrhalis sunt indolis, *Camphora* cum *mucilagine*, aut *aqua*, conducit. In congestionibus, sugillationibus, luxationibus cum debilitate articulorum *Alcohol dilutum camphoratum* e re est, extrinsecus admotum. In tumoribus œdematosis exhibetur per modum *fomenti*, in maculis corneæ, *linimentum* adcommodum; in pernionibus, vel hoc, vel *Alcohol dilutum camphoratum.* In ulceribus atonicis gangrænescentibus, carie, *Camphora*, vel sola in pulverem tenuata, vel cum *mucilagine* adhibetur, in carie vero humida, *Alcohol dilutum camphoratum*, aptius. In gangraena sumitur interne cum *cortice Cinchonae off.*, vel adplicatur extus. A quibusdam etiam in myodynia, arthrodynia, laudatur, parte nempe adfecta, panno laneo, vel gossypio, *Camphora* resperso, tecta. Utilitatem promittit in variis maniæ formis (Paracelsus, Friewald,)

et quidem auctiore a drachma ad duas de die dosi, sic etiam in psora, tam curanda profuit, quam retrograda infantum, seu a perfrictione, seu ab inunctione intempestiva, si eclampsiam excitavit, resuscitanda, (Rosenstein.) In helminthiasi etiam commendatur, quem in finem, *clyster* e *Camphorae* drachma, *Olei olivi* unciis duabus, per triduum, decubitus tempore, injectus, repetendo, dein alternis, si opus, diebus ad quartam vicem (Fowler) successit. *Camphora Alcohole*, vel *Aethere* soluta, vel per modum *unguenti* irritantis idoneum remedium, ulcera fungosa corrigit, morsuram insectorum lenit, etc. Medicina adeo valens, aeque facile insidias struere potest, ac prodesse, nisi provida cura evitentur scopuli; hinc cavendum est, ne illuvie in primis viis latitante detur, aut sub angioplerotico sanguinis statu, congestionibus, ad superiores partes, factis. Acutis morbis tutius, instante crisi, aut præsente, et sub declinatione, convenit.

D. Interne, pro ætatis, sexus, temperamenti, morbi differentia, variat. In universum convenit, initium minoribus præbiis facere, nisi vis mali aliud urgeat; in acutis febribus exigua grani unius dosi ad quatuor, pluries per diem, adquiescimus, in asthenicis ad decem, eaque sola datur, per se pulverata cum *Saccharo*, *Alcohole*, *gummi Acaciae v.* etc., trita; vel cum *Magnesia*, *Nitrate Potassae*, *Opio*, *Moscho*, conjuncta, in *infusionibus* stimulantibus, *decocturis* in *Vino*, *Alcohole*, *Aethere sulphurico*, vel *eodem alcoholisato*, *Acido acetico diluto impuro*, *emulsionibus* e *mucilagine g. Acaciae v.*, *Saccharo*, *albumine ovi nucleisque Amygdali com.*, parandis. Per modum *pilularum* cum *extractis amaris*, *gummiresinis foetidis*, etc. Quoniam effectus ejus sunt evanidi, sæpius repetenda sunt præbia; in mania majores exhibentur doses, circumspecte tamen, ne, quod fieri interdum adsolet, syncope, anxietas, nausea, convulsiones, deliria etc., excitentur, qui effectus, vel mitigantur *Opio*, vel tolluntur.

*V. Acetum camphoratum*; *Aether sulphuricus camphoratus*; *Alcohol dilutum camphoratum*; *Cataplasma antisepticum*; *Haustus cam-*

*phoratus; Linimentum Ammoniae camphoratum; Mistura Camphorae; — — acetata.*

## LAURUS CASSIA.

Лавръ лжекоричный; Кассія коричневая.

In Indiis orientalibus, Malabaria, Sumatra, Java et Sinensi imperio crescit. *Cl.* et *O.* præcedentis. *Usuales sunt:*

Flores, seu *gemmae floriferae*, (vulgo *Clavelli Cinnamomi*) coloris fusco-rubescentis, tres vel quatuor lineas longæ, cum capitulo subtereti, magnitudine *baccae Piperis.* Cortex, seu frustula longitudine pedis *cort. L. Cinnamomi* persimilia; crassiora autem et magis fusca, quæ striæ, æque inter se distantes, serpentino modo percurrunt. Cum perpessis jam destillationem, indeque cassis virtute, interdum *flores* permiscentur. *Cortici L. Cinnamomi* subrogatus, interdum gustu minus pungente, dulcique et majori mucilaginis copia, nec non substantia æquali densiore et minus friabili, proditur.

Q. *Florum: odor* fragrans; *sapor* acris cinnamomeus; *corticis odor* cinnamomeus fortior, minusque gratus. Qualitas ab *Oleo volatili* repetenda.

V. Stimulans; calefaciens; peptica.

U. In morbis asthenicis, dyspepsia, flatulentia et s. p. Pro succedaneo quoque *corticis L. Cinnamomi*, cui in promercio interdum substituitur, vel fraude interseritur, licet sit debilior, ob leve pretium, quo venit, recte habetur.

D. Scrupulum ad drachmam.

V. *Aqua L. Cassiae; Oleum — —; Pulvis aromaticus; Tinctura aromatica; — — acidulata.*

## LAURUS CINNAMOMUM.

Лавръ коричный; Корица Цейлонская.

Arbor in variis Jndiæ orientalis, (præsertim in insula Ceylon,) Americæque regionibus crescens. *Cl.* et *O.* præcedentis. *Usualis est:*

Cortex, (Корица,) *internus ramorum* tenuis, crassitie papyri, fragilis, convolutus, ex et interne, coloris flavo-rubentis. Crassus, vel per destillationem *oleo volatili* privatus, fere nullam virtutem amplius possidet.

Q. Heroica, ab *oleo volatili*, (de quo continet $\frac{1}{128}$) dependet. *Odorem* gratissimum aromaticum spargit et cum *sapore* suavissimo, acriculum dulcemque, et leviusculum adstrictionis sensum conjungit.

V. Analeptica; stimulans permanens; roborans; adstringens.

U. Ob gratiam *saporis*, *cortex* pro conditura *eduliorum* adhibetur; a Medicis vero sæpe *medicinis* additur, ejusdem virtutis, ut *cortici Cinchonae*, amarisque; *saporis* quoque corrigendi gratia, idque in morbis asthenicis, dyspepsia, debilitate, (post evacuationes, puerperium,) nausea et anaphrodisia etc., in *infuso aquoso*, vel *vinoso frigido*. In hæmorrhœis ad cruorem restaurandum facere haud parum, Schmidtmüllerus, adseverat.

D. Pulveris grana decem ad scrupulum.

V. *Oleum Cinnamomi.*

## LAURUS MYRRHA.

### Лавръ Мирровый.

Arbor Chinæ, Cochinchinæ, littorisque meridionalis et orientalis maris Erythræi, Arabiæ felicis. *Cl.* et *O.* præcedentis. *Usualis est:*

Gummiresina, (*gummi Myrrhae, Ph. Ross:* Смирна) in frustulis, plus vel minus teretibus ad nos veniens, coloris fusci, sæpius flavo-albescentis, pellucidis, ad tactum oleosis, friabilibus, interne, albescentibus striis, notatis. Optima est quæ e Trogloditiția, Abyssiniæ provincia, adfertur. Permiscetur cum *gummi Pruni Cerasi*, aut *domesticae*, aliis *gummiresinis*, ut *Bdellio*, *lapidibus*, *tinctura Myrrhae* sæpius madefactis, atque pulvere *corticis L. Myrrhae*, respersis.

Q. Non ingrate odorifera, admodum amara, aromatica, sapida.

V. Stimulans, stomacho idonea; menagoga; secretiones quoque leniter movet, præsertim sputum.

U. Interne *gummiresina*, catarrho chronico, asthmati et phthisi (secundo et ultimo stadio) persæpe convenit, et tum utiliter eidem *Nitras Potassae*, vel *Supertartras ejusdem*, conjungitur, actionis minuendæ causa; a granis decem ad viginti; aptius attamen forma *pilularum* cum variis congruis exhiberi potest. Phthisi ulcerosæ, ob stimulantem, qua pollet, vim, aliena. Chlorosi, amenorrhœæ, dysmenorrhœæ, cum variis *Ferri praeparatis*, obponitur. Commodissimum est, *gummiresinam* cum *extracto Fumariae off.*, *Marrubii vulgaris* et *Solani Dulcamarae*, in pilularum massam redigere, et si nevroblacia prævalet, *gummiresinae Assae foetidae*, *Saponi stibiato*, nubere. Laudatur etiam in ulceribus internis, vel pulmones vel intestina, (dysenteria superata,) gravantibus; sed, aut febri, aut inflammatione urgente, aliena. Conjungitur etiam cum *Cetraria islandica*, addita *aqua Calcariae*, recens parata, et radice *Colombae*, in ulceribus intestinorum. In phthisi pituitosa et hydrope pectoris prædicatur (quæ *gummiresinam Myrrhae* continet,) *mistura Myrrhae ferrata*. Potest etiam cum *cortice Clutiae Elutheriae* jungi, vel *Sulphur praecipitatum* cum *extracto Centaureae benedictae* additur ad pilularum massam. *Extrinsecus:* in carie dentium, laxitate gingivarum, idonea, hinc *pulveres dentifricii* et hanc *gummiresinam* recipere solent. *Tinctura* quoque *Myrrhae* in dentium adfectionibus laudata; multo tamen minus in carie aliorum ossium.

D. Grana decem, scrupulum, semidrachma. *Tincturae* drachma.

V. *Mistura Myrrhae ferrata; — — — mitior; Tinctura Myrrhae.*

## LAVANDULA SPICA.

Лаванда колосистая; Увѣчная трава.

Fruticulus Europæ australis, hortensis. *Cl.* Didyn. *O.* Gymnosp. *O. N.* Verticillatæ L. Labiatæ J. *Usuales sunt:*

Flores, *cal.* ovato subdentato, bractea suffulto; *cor.* resupinata; *stamina* intra tubum. Vetusti improbantur.

Q. Præstans: ab *oleo volatili* copioso, quod eidem inest, repetenda. *Odor* fragrans, acceptus; *sapor* subamarus, aromaticus, calidus.

V. Stimulans; nervos reficiens. Locale errhinum in *pulvere.*

U. In defectionibus animi, paralysi, tremoribus artuum, vertigine, affinibusque systematis nervosi morbis, præsertim cum aliis aromaticis, ita etiam in aphonia, balbutie, laudes tulit, ast meo arbitratu tutius culcitellis et fomentatione extus, ad varias humorum stagnationes dissipandas, superdatur. *Oleum* elicitur ex iisdem flavidum, fragrantissimum, cujus *spicae florentes* continent $\frac{1}{200}$, resolutis membris inungendum, *balsama* etiam externa ingrediens.

V. *Oleum Lavandulae S.*

## LEONTODON TARAXACUM.

Одуванчикъ; parvorussice: Кульбаба. *).

Planta in Russia præcipue septentrionali frequentissima, plerumque in pascuis et ad vias obvia. *Cl. Syngenes. O. Aequal. O. N. Composit. Semiflosculos. L. Cichoraceae J.* Perennis. *Usuales sunt:*

Herba; Radix, *eaeque recentes. Herba* lactescens, subamara; *foliis* runcinatis, denticulatis, lævibus. *Radix* fusiformis, succosa, digitum minorem crassa, extus brunea, intus alba. Primo vere effodienda. *Succus* recentis expressus, lacteus, amaricans, digitos tractatu, pertinaciter tingens.

Q. *Succo* lactescente, amaro, salso, nititur. Ex uncia *Succi expressi* obtinetur *extracti gummosi* sapore primum dulciculo, dein subamaro, sicilicus, et *extracti resinosi*, parum adstringentis, drachma (Gleditsch.) *Infusum radicis Sulphate Ferri* paululum fucatur; *herbae* vero siccæ, nigrescit.

*) Vocitatur etiam caput Monachi, (Попово гуменцо; Плѣшивецъ;) delapsis enim floribus, reliquum, quasi caput, calvum refert.

V. Leniter stimulans; incidens; resolvens; systematis venae portarum, vasorumque lymphaticorum actionem intendens; diuretica, (ideo *lectiminga* etiam dicta,) *eaque herbae*, *radici*, et *scapis*, est communis.

U. Radix commendatur in splanchemphraxi, et inde ortis febribus intermittentibus (de HAEN,) hypochondriasi, melancholia, hydropisi, renum sabulo, muco, purulentaque materia (*Fränk. Samml.*), imo hydrops solo *succo* dispulsus fuisse fertur (BONAFAS;) quin etiam cum *sero lactis* mistus, vel decoctus, insignis efficaciæ fuit in ictero (v. SWIETEN.) Non minoris æstimatur in fœditatibus cutis decoctura *herbae* et *radicis* copiosius ingesta, sic in psora, herpetibus etc.; *succus* vero ejusdem et *Fumariae off.*, leprosa exanthemata, aliis incassum tentatis, sustulit (LEIDENFROST.) *Unguentum* e *radice*, et *adipe suilla depurata* in scrofulis deprædicatur (MALOVIN.) *Folia* ineunte vere pullulantia, in primis intima, Petropoli passim et alibi in Russia, acetarii genus constituunt; *radix* vero ustulata in vicem *Coffeae*, per modum infusi, ab egenis sumitur. *Herba* recens concisa, et cum *furfure*, aut *farina*, mixta, sospitat anserculos (NIEMANN.)

D. *Radicis* sescuncia in *aquae* tribus libris decoquitur et colatura libræ quotidie exhibetur, vel *herbae* et *radicis* recentis uncia cum libra *jusculi* ad uncias octo decoquitur. *Succi* recentis unciæ duæ cum *jusculo* exhibentur per plures septimanas, et quidem matutino tempore.

V. *Extractum Taraxaci*; *Mistura* — ; — — *composita*; *Species resolventes*.

## LEPIDIUM RUDERALE.

Жеруха дикая; Клоповникъ; Собачьи пометки.

Planta fere ubique obvia; præsertim vero in ruderatis, et ad vias. *Cl.* Tetradynamia. *O.* Siliculosæ. *O. N.* Siliquosæ *L.* Cruciferæ J. Annua. *Usualis est:*

HERBA: *foliis* radicalibus dentato-pinnatis, ramiferis, linea-

ribus, integerrimis, *floribus* diandris apetalis, (vix conspicuis, flavis.) Mense Junio, aut ineunte Julio colligenda.

Q. *Principio volatili, aethereo, acri, extractivo gummeo-resinoso, sulphureoque* nititur. *Odor* herbæ recentis gravis, fœtens, nasturcinus; *sapor* pungens, acris, amaricans, ingratus.

V. Diapnoica, pectoralis, ut pleræque *Cruciferae*, diuretica, potissimum in nervos abdominales, reproductionis sphæram, systema vasorum, partiumque irritabilium agit.

U. In dialeipyris, et antiquitus usualis fuisse videtur, et nunc a Ruthenis ruricolis, a quibus etiam nomen herbæ lexipyretæ (лихорадочная трава) sortita est, exhibetur, quæ virtus ejusdem rationalium etiam Medicorum ill. D. Rühl, Rittmeisteri, Trinii, experientia, satis superque, prolatis casibus, comprobata est. Laudatur etiam in scorbuto, myodynia rheumatica, catarrho chronico, tussi, (quin ipsa convulsiva,) hydropisi, anasarca, morbis cutaneis, ut impetigine etc. In ulceribus inveteratis extremitatum inferiorum, haud secus ac scrofulosis, scorbuticis. Masticatio *seminis* in glossoplegia, (paralysi linguæ,) commendatur.

D. Uncia *herbae* cum *aquae* unciis sedecim, in vase bene tecto, ad remanentiam unciarum octo decocta, et per linteum colata, cochleari majore, alternis horis, propinatur, vel eadem *decoctura* extrinsecus ad lavandum frigide, vel tepide, mane vel vesperi, in morbis cutaneis, aut in ulceribus, compressis, tepide madefactis, secunda quaque hora, adhibetur. *Pulveris forma* inepta, præparatione enim volatiles partes avolant, materiaque fibrosa ventriculo aliena. *Herba recens* leniter siccata, minutim concisa, si in ampullis vitreis, probe obturatis, teneatur, conservari potest etiam in longum tempus, saccharo conspersa.

V. *Infuso-decoctura Lepidii ruderalis.*

## LICHEN PARIETINUS.

Parmelia parietina. (*Achar. meth.*)

Лишайникъ стѣнный.

Planta in muris, lateribus bene coctis, saxis, tectis, et

tegulis ædium, quum ligneis, tum lapideis, multisque arboribus, ubique crescens. *Cl.* Cryptog. *O.* Lichenes. *O. N.* Algæ L. et J.

Cavendum est, ne cum Lichene candelari, Parmelia murorum et Lecidea geographica, commutetur, quibus pariter color flavus; desunt autem vires medicæ.

Q. *Odoris* specifice mucidi, haud prorsus ingrati, in *corticem Cinchonae off.* rubrum incidentis; *saporis* amaricantis; subadstringentis.

V. Roborans, reproductionis sphæram, et systema irritabile stimulans.

U. In dialeipyris præcipue (Sander, Sprengel,) typhodibus, hydrope, anasarca, chlorosi, hæmorrhœis, phthisi pituitosa, blennorrhœa, scrofulis, pertussi, (stadio decrescentiæ,) gangræna, (Zadig) commendatur. Extrinsecus ad corrigenda ulcera satis efficax fuit hic *Lichen*, vel *aqua* coctus, vel *Alcohole diluto*, (*Spiritu Vini*,) extractus, (Burdach.)

D. Forma pulveris interne ad drachmas aliquot.

## LINUM USITATISSIMUM.

### Ленъ обыкновенный.

Planta, Europæ australis, spontanea, alibi in agris seritur. *Cl.* Pentandr. *O.* Pentagyn. *O. N.* Gruinales *L.* Caryophylleæ J. Annua. *Usualia sunt:*

Semina, ovata, oblonga, compressa, plana, glabra, fusca, nitida, margine acuta. Aquæ supernatantia, vetusta, situm redolentia, improbantur.

Q. *Mucilaginosa*, *oleosa* ($\frac{1}{5}$ *mucilaginis* partem, et $\frac{1}{6}$ *olei* continent.) *Semina, saporis* ingrate dulcis, mucilaginosi, unctuosi, inodora.

V. Emolliens, demulcens, partes in vivo homine ab irritamento defendens, ideoque medela mechanica. Per se vir-

tutibus medicis nonnisi debilioribus gaudet, et istæ fere omnes a dilutione dependent.

U. *Decocturae*, vel *infusi* (cum *saccharinis* et *acidulis* e. g. *succo Citri* et *Saccharo* ad libitum:) in nephritide, pneumonitide, catarrho, tussi, diarrhœa, dysenteria, dysuria, blennorrhagia; externe forma *clysteris:* in tenesmo. *Farina* apta, forma *cataplasmatis*, ad maturandos abscessus, furunculos, in cynanche, phlegmone. *Mucilago* quoque cum *aqua* fervefacta, vel *infusione*, conquassatione, vel *coctione* elicitur perfacile, quæ efficacia sua vix cedit, *mucilagini Althaeae off.*, *seminum Plantaginis Psyllii*, *Pyri Cydoniae*, et *gummi Acaciae v.*, meritoque his in militari praxi, substituitur.

*V. Cataplasma emolliens; Infusum Lini; Mucilago —; Oleum —; — sulphuratum.*

## LYCOPODIUM CLAVATUM.

Плаунъ булавовидной; Волконожіе булавистое; Колтунникъ.

In sylvis abiegnis, item in turfaceis ericetis, in viis arenosis, perennans. *Cl.* Cryptog. *O.* Musci *L.* Stachyopterides W. *O. N.* Musci *L.* et *J. Usualia sunt:*

Semina, seu *pulvis* tenuissimus, æquabilis, subflavus, cribratione facta, vasis probe clausis, servandus. Is continetur in reniformibus capsulis plurium *Lycopodii specierum*, quem omnino vera *semina* constituere, etiamsi *pollini* (antherarum forma similis sit et mixtione,) experimentis Broteri et Willdenowii, qui e *pulvere* sato plantulas educarunt, probatum est.

Q. Inodora, insipida, misturæ humidi pugnacia, inspersa flammæ, (candelæ, vel alius ardentis corporis,) cum fulguratione et strepitu accenduntur. Constant substantia peculiari, quam Buchholzius *albumini* finitimam, Cadetus vero *cerae* congruam pronunciavit; *olei* autem *pinguis*, *materiae saccharinae* et *extracti mucosi* haud parva iisdem inest copia.

V. Exsiccans; absorbens, (extrinsecus admotorum,) imo et diuretica.

U. Interne in ischuria infantum, et lithialgia mitiganda commendatur (Hufeland.) Externe: in tenellorum infantum intertrigine, si insperganlur sicca, efficacissima sunt (Rosenstein,) simplex inspersio per flocculum gossypii sufficit ad excoriationem arcendam, eamque amplam, profundamque superandam (Murray.) In crusta lactea, tinea capitis, (manantibus,) aliisque serpiginosis ulceribus madidis, (Helwich,) haud secus ac in trichomate, herpete syphilitico *unguenta* fiunt ex hoc pulvere, *oxydo Zinci albo*, *Hydrargyro*; imo etiam in erysipelate profuit. Interne exhibetur pulvis cum *syrupo Althaeae* in *emulsione*, vel forma *misturae*: ex *seminibus Lycopodii*, *Subcarbonatis Magnesiae*, *aquae Menthae*, *syrupi opiati*, singulorum drachmis duabus, et *Acidi acetici diluti*, s. q., quæ omni bihorio, cochleatim, propinata, ad ischuriam infantum efficacissima est: Löffler. (*Die neuest. prakt. Erfahr.* 1. Bd. 1803. p 76.) Vulgare est pro *catapotiis* conspergendis, ne cohæreant mutuo, et quo sapor ingratus paulisper celetur.

## LYTTA VESICATORIA. Fabr.

### Meloë vesicatorius L.; Cantharis Ph. Ross.

### Шпанская муха.

In Rutheniæ Australioribus provinciis abundat; generatim vero regionum calidiorum Europæ, ut Hispaniæ, Galliæ, et Siciliæ incola. Quandoque et incertis fere temporibus, in Russia et tota propemodum Europa æstivis mensibus in primis *Fraxino*, *Platano*, *Salice*, *Sambuco*, *Ligustro vulgari*, *Populo alba*, *Syringa vulgari* et *Lonicera tatarica* delectatur, easque gregarie depascit. *Cl.* Insecta; *O.* Coleoptera.

*Insectum*, oblongum, ponderis granorum fere trium, *co-*

loris ex aureo viridis, lucentis, thorace teretiusculo, antennis filiformibus, articulatis. *Insecta* hæc mense Junio et Julio, concussis, ante lucis ortum, arboribus, supra extensum linteum, decidunt, atque ope *vaporum* ardentis *Sulphuris* vel *Aceti*, vel per immersionem in hoc, vel *aquam* fervidam, suffocantur, aut in furno necantur et tum leviter siccata, in officinis vulgo sub nomine *Cantharidum* veniunt. Minora longitudinis octo circiter linearum, duo vel tria modo grana, ponderantia, integra, *Ptyno Fure*, non corrosa, et recentia, merito præferuntur; diu autem conservata in *pulverem* fatiscunt, minus efficacem. *Caput* eorundem, *pedes* et *alae*, minoris pariter sunt efficaciæ, quam corporis truncus, adeoque separentur.

Q. *Odoris* fœtidi peculiaris, virosi, quasi, vel illi *Conii m.* consimilis; *saporis* picei levis, dein acris et corrosivi. Vis *Lyttarum* medicamentosa *Alcohole* tota extrahitur, ea enim in resina residet; minime vero *aqua*. Destillatio sicca erogat *liquorem empyreumatico-ammoniacalem*, *oleum empyreumaticum* et *Carbonatem Ammoniae*, relicto *carbone* fatuo. Beaupoilus extraxit ex *Lyttis* materiam nigram, sola *aqua* solubilem, maxime deleteriam, pinguem autem et viridem, solo *Aethere* et *Alcohole*, evellendam (Alibert.)

V. *Lytta vesicatoria* parti corporis molli admota, vasa hujus et nervos irritat, eorumque actionem intendit, inde rubor, dolor, tumor, affluxus seri, quod dein sub epidermide collectum, vesicam adtollit. Similia (imo enteritis atque gangræna) in tubo intestinali exoriuntur, ubi *Lyttae vesicatoriae*, majoribus æquo præbiis, porriguntur. Refractiori dosi, in totum systema vasculosum agunt, excitantque motus febriles inflammatorios, pulsu pleno, duro, calore aucto, lingua sicca, siti vehementi, nausea, vomitu, diarrhœa, torminibus, dolore artuum, vertigine et asphyxia interdum stipatos; præsertim vero agunt in systema uropoëticum micturiendique necessitatem, inducunt, sæpe dysuriam, stranguriam, hæmaturiam, ischuriam et priapismum, quae mala haud raro etiam, sub usu externo, urgent, ita, ut verosi-

mile sit, partem earum aliquam resorberi et ad hæcce organa transferri.

U. Interne *Lytta vesicatoria* adhibetur, dum stimulum organismo animali neuroblacia laboranti subdere e re est, sic in paralysi vis ejus enitet et in primis organorum, in quæ vim suam potissimum exserit, ut in renes et urocystidem, sic in ischuria cystica ex paralysi, vel statu detrusoris paretico, in enuresi ex paralysi colli sphincteris, in diabete, imo in hæmaturia asthenica, et ob consensum organorum dictorum cum obscoenis partibus, in blennorrhœa (*Gleet*) et leucorrhœa refractariola, in catameniorum, ex neuroblacia, suppressione, (cum *Tinctura Aloës* (Adair;) pro aphrodisiaco tamen, tantum abest, ut haberi possit, ut potius, hoc scopo sumta, vix impune feratur. Hydrophobam rabiem eadem coërceri Verlhoffius, magnæ olim existimationis vir, adseverat. Formula, quæ ad eum refertur, habet: granum *Lyttae vesicatoriae*, sesquigranum *Submuriatis Hydrargyri*, et decem *Camphorae* grana, *gummi Astragali Tragacanthae*, sufficienti quantitate, excepta, et in æquales pilulas divisa. Hoc fine Hungari *Lyttas vesicatorias* in *Aceto;* Poloni vero in *melle* totas conservant, ut demorsis a cane rabido hominibus et pecori propinare illico possint. In pertussi (Suttcliff, Burton,) tutissime, nonnisi sub declinationem, idest, ultimo stadio, arbitratu meo, convenit. An expectorationis causa, ut Chalmers (in peripneumonia) suasor est, exhiberi queat, dubito. Fœditatibus cutis a quibusdam cum successu obposita, ut herpetibus, lepræ etc., (Mead, Brisbane.) *Tincturam Lyttae* adversus herpetes efficaciorem esse Simmons testatur. Nec defuerunt, qui in ipsis malignis, vulgo putridis nervosisque febribus, uti etiam in hydropisi, multis eandem encomiis deprædicarent. Frequentior est externus *Lyttae vesicatoriae* usus, præcipue forma *emplastri* s. d. *vesicatorii* et *tincturae*. Rubedo, accumulatio seri sub epidermide, sunt omnino sequela topicæ irritationis; hæc tamen irritatio, mox per totum extenditur organismum et sic constituit efficax remedium ad intendendam: 1°, energiam totius systematis nervosi, e. g.

in typho, fractam, ubi status paralyticus, soporosus, apoplecticus, debilitas magna etc., quo in casu *emplastrum* capiti, vel dorso admovendum est, vel, pro re nata, pectori, lateri interno femoris, et erythemate producto, locus, pro ratione necessitatis, mutatur. *Tinctura* etiam non male spinæ dorsi, vel et aliis partibus, corporis infricatur. 2°, Ad organon, vel viscus quoddam torpens singillatim excitandum: in cerebri commotione (DESAULT,) sopore, lethargo, apoplexia nervosa etc., capiti vel nuchæ; in amaurosi fronti; in cophosi ex nervorum paresi pone aures; in glossoplegia et extremitatum superiorum paralysi collo; in paralysi urocystidis extremitatumque inferiorum ossi sacro; vel denique lateri interno femorum *emplastrum* superdatur, vel loca hæc aliquoties de die *tinctura* probe perfricantur. In genere notandum, quod his in casibus propius ad partem laborantem; respiciendo tamen ortum et decursum nervorum, admovendum sit irritans. Ubi exanthema aliquod febrile, v. g. variolæ, morbilli, purpura vel scarlatina, ob fatiscentiam virium, vel non rite formatur et repletur, vel subito retrogreditur, utilem hæcce remedia cuti stimulum subdunt; hoc ipsum valet quoque de chronicis malis, ut de arthrodynia, psora etc., quæ retrograda in pristinam sedem revocari expedit. A neotericis cum optimo successu gangrænæ superimpositum fuit *emplastrum Lyttae*, cui nempe limites præstituit, emortuique separationi favet. 3°, Stimulum contrarium producendo et serosa evacuatione topice debilitando ataxiis variis, (systematis nervosi abnormibus actionibus,) opponitur. In spasmis et convulsionibus, vel parti adfectæ, aut organo laboranti et viciniæ ejus, vel spinæ dorsi *emplastrum Lyttae* admovetur. Non semel profuit in epilepsia, ubi capiti, vel parti, qua aura epileptica surgit; in tetano, ubi inter humeros; porro in trismo, hystericis adfectionibus, globulo hysterico, ubi regioni ventriculi adplicatur. Non minus in asthmate, dysphagia, vomitu, enterodynia spastica, imo pertussi et hydrophoba rabie, quæ occasione interni usus jam allegavimus. Dolores fixi a spasmis, vel ab irritabilitate nimia

pendentes, optime *emplastro Lyttae* tolluntur, in odontalgia ex adaucta morbose sensibilitate juvat interdum ipsis gingivis *tincturam* infricare, vel tangere illas digito, quo prius *Lytta vesicatoria* fuit contrita. 4°, Dum antagonistice agendo, morbosam actionem diminuit, et stimulum quasi derivat, multum præstat in inflammationibus; quia tamen non aliter, quam stimulando agit, non nisi in asthenicis juvat; in sthenicis vero, fracta duntaxat congruis remediis vi inflammationis, convenit, quod nosse non est alienum. His sub conditionibus conducit: in angina catarrhali, membranacea et maligna, catarrhis, pneumoniis, pleuritide, (præsertim, in rheumatica, vel spuria,) enteritide et hepatitide, *emplastrum* nempe, quo fieri potest, propinquius, ad organon adfectum, superdatur. In ophthalmiis chronicis, ubi sensibilitas magna, vel, præmissis præmittendis, etiam in acutis, præcipue catarrhalibus et rheumaticis, ad tempora vel pone aures, vel ad nucham adplicatur; hic præstat interdum s. d. *emplastrum Lyttae perpetuum.* In arthrodynia et myodynia rheumatica ad loca, ubi nervi adfectæ partis prope subter cutem decurrunt, v. g. in ischialgia, non ad coxas, sed, (secundum Cotunni,) ad decursum nervi ischiatici in femore; hoc in casu *tinctura* saepe aptior. Solebant etiam quidam laborantibus, variolis, ut tueantur faciem atque oculos, suris et nuchæ, admovere *vesicatorium.* Scopo derivandi ad varia organa sub statu anarrhopiæ non inepta est *Lytta vesicatoria,* sic in cæphalea, deliriis, mania etc., ex congestione ad caput, in hæmoptysi ex vasorum pulmonalium impotentia, sanguinis affluxui resistendi ergo, imo interdum secretionem morbosam moderando phthisi mollimentum præstat. In dysenteria largum *Lyttae emplastrum,* abdomini admotum, brevi interdum tempore tormina mitigat, citamque alvum comprimit. Cl. Paulitzky in dysenteria idem femoribus adplicare solebat. 5°, Dum *Lytta vesicatoria* vasorum resorbentium actionem intendit, adhibetur quoque in quibusdam hydropiseos refractariolis speciebus, præsertim dum simul interne parvis dosibus porrecta, lotii secretionem promovet. In hydrocephalo in-

fantum, tum interno, quum externo, nuchæ, occipiti, imo, in primo, fontanellis admotum *emplastrum*, inter primaria est remedia (ODIER.) Caveatur tamen ab eo in hydrorachitide, ubi perfacile gangrænam inducit. Multum sæpe levat in hydrothorace; in anasarca tamen eo in casu modo utilem esse puto, ubi ab exanthemate retropulso illa exorta, eaque recens est, hic nonnisi ad rubedinem agat *emplastrum*, alias sequerentur ulcera maligna; ultimo autem stadio, colliquativo videlicet, tantum abest, ut prosit, ut potius mortem sit acceleraturum. Tumores albos, nondum inveteratos, egregie *vesicatoria* profligasse experiundo didicimus. Metastasibus variis hæcce *emplastra* apta sunt, et resorptionem depositæ materiei accelerando, et activitatem in organo, idiopathice laborante, intendendo, et sic naturalem secretionem restituendo, sic, v. g. in metastasibus lacteis dolenti parti superdatur. 6°, Externe adhibita, *principio acri*, peculiariter agendo, in fœditatibus cutis utilitatem promittit, sic in herpete, lepra etc.; ubi interne quoque laudatur. Cl. BLOCH ex neotericis herpetem, vesicam, (ipso in loco, quem obsedit,) adtollendo, sustulit, et ortum hinc ulcus suppuratione persanavit. Sic cl. EVERS herpetem per totum corpus serpentem curavit. Ulcerum inveteratorum suppuratio *Lytta vesicatoria* amelioratur; adhibetur quoque interdum, etsi minus apte, ad destruendas varias excrescentias: nævos maternos, verrucas, condylomata, sic et ad exstirpandas superstites membranas post excisionem tumorum cysticorum etc., ad separandas callositates in fistulis, forma setacei; interdum et pro cauterisatione, fonticulos instituendo, ad insitionem variolarum etc.; hic tamen culter præferri meretur.

D. Perraro in *pulvere* datur; si tamen danda est, initium fiat a sexta grani parte ad dimidium, dein ad granum et gradatim ad maximum gradum granorum quinque perveniendum; miscenda vero cum *Saccharo*, ac præscripta dosis, vicibus repetitis, suscipienda. In *pilularum* forma a gr. $\frac{1}{4}$ ad $\frac{1}{2}$ et granum. Frequentissime in *tinctura* exhibetur: a quinque ad quindecim guttas, idque cum *emulsione*, vel *aqua*, sensim adscendendo. *Emulsio*,

quæ ad Hedvigium refertur, ex *Lyttae v.* drachma dimidia vel integra, *nucleorum Amygdali communis* uncia, *Sacchari* semuncia et *aquae tepidae* unciis decem conficitur, atque omni altera vel tertia hora ad cochlear majus porrigitur. Sub administratione ejusdem *decoctiones mucilaginosae*, *ptisanaria* etc., non sunt aliena. Etsi ad diminuendam *Lyttae v.* acritatem, additionem *Camphorae* quidam suadent, ut tutius administretur; nihilo tamen secius, magna cura cavendum, ne malos effectus pariat, qui tamen, ubi præpostero consilio evenerint, reparari possunt, (si *vomificio* non est amplius locus,) *demulcentibus potionibus*, seu illæ *decoctiones* fuerint, seu *emulsiones*, vel *lactis*, vel *olei*, vel, ut quidam volunt, *camphorata emulsione*. Non minus commendata fuerunt varia additamenta ad *emplastrum Lyttae*, eum in finem, ut dicta incommoda præcaveantur, quæ interdum etiam sub *emplastri* usu exoriuntur, sic Houlston *Opium*, Selle *balsamum Myroxyli peruiferi* (*B. Peruvianum Ph. Ross.*,) Fuller *acidum sulphuricum* vel *nitricum*; alii iterum *Camphoram* proponunt; scire tamen licet, omne id, quod noxios avertet effectus, salubres etiam remedii virtutes constringere. Simplex *emplastrum* exinde adcommodatissimum est; sunt modo, id adhibentibus, eædem regulæ, quæ sub usu interno commendantur, observandæ.

V. *Emplastrum Lyttae; Tinctura* —.

## MANGANUM.

### Magnesium oxydatum nativum Ph. Bor.
### Magnesia nigra Ph. Ross.
### Марганецъ.

Metallum hoc plerumque invenitur ochraceum cum *Oxygenio* junctum, gryseum, in metallifodinis Nertschinscensibus, Kolivano-Voskresenscensibus, Aecatherinopolitanis, et Olonetzensibus; sed neutiquam in tanta copia, ut pro usu, lege artis, depromi queat, adfertur proinde e Thuringia etc.; Rubrum *Carbonio* conjunctum (Орлецъ) reperitur in Uralensibus montibus; terris autem et Ferro, ubique fere.

Q. *Manganum* est metallum album, in gryseum vergens, qua fractum est, splendens, granulosum, textura radiatum, difficulter fundendum, inodorum, insipidum; *aëri* tamen expositum, *odorem* peculiarem *adipi* fœtenti haud absimilem, præ se ferens, *nitoreque* suo orbatum, illico in albido-gryseum transiens *protoxydum*, quod adtracta majori ex athmosphæra *oxygenis* copia, fit fusco-nigrum *oxydum;* maxima vero sistit, atrum. Hac ratione magna cum quantitate *gasis oxygenii* unitum (ex unciis sedecim *Oxydi Mangani nigri*, additis totidem *Acidi sulphurici*, *gasis oxygenii* pollicum cubicorum circiter 3384 elici posse perhibentur;) hinc ad parandum *gas oxygenium* inservire potest. *Oxyda*, quæ cum *acidis* format, plus minusve amara sunt & acerbiuscula.

U. De efficacia ejusdem in variis morbis Kappius, haud ignobilis auctor, scripsit, probantibus æque et aliis ejus adserta, Medentibus, præsertim Francogallis. Laudatur in fœditatibus cutis: psora, herpetibus, in ulceribus canceraticis. Grillius primus observavit opifices in fodinis *Mangani*, ab his immunes fieri, suasorque exstitit, ut *Oxydulum Mangani album*, cum tripla *suillae adipis* quantitate in *unguenti* formam redactum, adhibeatur. Syphilidi obpositum est a Kappio in variis ejusdem formis, puta: bubonibus, ulceribus etc., salutaris hic effectus, (ni me animus fallit,) e perfacili *oxygenis* evolutione exponendus esse videtur. In adfectionibus etiam scorbuticis, ulceribus oris, gingivarum, sanguinem fundentium, vitio, teste laudato viro, profuit, haud secus ac *Oxydum Mangani nigrum*, in eo, (secundum Odierum,) dyspepsiæ statu, qui cum irritabilitate nimia conjunctus est. *D.* Brera chlorosi idem cum successu obposuit. Præterea magni fit idem, quod ex eo *gas oxygenium* perfacile elici queat, cujus in asphycticis morbis, usus, ita etiam in paralysi extremarum partium inferiorum, scrofula, difficili respiratione, ex defectu *gasis oxygenii*, ut in valetudinariis, aut confertis militum contuberniis, ubi *aëra* corrumpi notum est, cumprimis emicat. Formæ, quibus exhibetur, sunt: *Acetas Mangani*, (*aqua destillata* dilutus in

scorbuticis ulceribus, oris ambitum infestantibus, si os eo colluerctur, valens;) idem et *Oxydum Mangani album* e *Muriate Mangani*, ope *Potassae*, præcipitata, ad grana pauca, ingesta, in fœditatibus cutis et syphilide laudantur. *Phosphas Mangani* e *Muriate* ejusdem, ope *Phosphatis Sodae* præcipitatus, utilissimus censetur in iisdem morbis, exhibito semiscrupulo. *Oxydum Mangani nigrum*, (in forma *unguenti:* e sex *Oxydi* et sedecim *adipis suillae* partibus, coacti,) in morbis cutaneis et ulceribus laudatur.

V. *Gas oxygenium*; *Vapores Acidi oxymuriatici.*

## MARRUBIUM VULGARE.

### MARRUBIUM ALBUM.

### Шандра бѣлая.

Planta in agris, ruderibus conspersis, frequens, in hortis medicis culta. *Cl.* Didynam. *O.* Gymnosperm. *O. N.* Verticillatæ L. Labiatæ *J.* Perennis. *Usualis est:*

Herba, foliis subrotundo-ovatis, dentatis, rugoso-venosis, hirsutis, ex viridi-albicantibus.

Q. Ab *extractivo amaro, feculaque* peculiari, repetenda. *Herba* recens *odorem* habet balsamico-acidulum; *saporem* subamarum, subsalsum ingratum.

V. Tonica; pituitam præcipue pulmonum movens.

U. Antiquissimæ sunt laudes *Marrubii* in tabe pulmonum (Celsus,) *succo* cum *melle* in eadem dato, Trallianus adquiescit, quibus præconiis et cel. Sprengelius adsentitur, ad propriam provocans experientiam. Pituitam pectus gravantem, et tussim asthmaque producentem, sæpe, (haud sine juncto pulmonum infarctu) resolvit, et screatu eliminat (Dioscorides;) minime proinde mirum, et in asthmate pituitoso suppetias tulisse, selectu præcipue facto *pulveris* tenerrimorum *surculorum* apicum, qui potentiores existimantur (Lange.) Innumeras Borellus experientias citat, depræ-

dicans *infusum summitatum* ad menstrua provocanda et chlorosin virginum tollendam. Siallorrhœa, quæ ex *Hydrargyro*, ante administrato, ultra annum, in juvene syphilide infecto, perrexerat, *infuso* brevi sublata est (Linnaeus).

D. *Pulveris herbae* a semidrachma ad drachmam. *Infusum* quoque valet. *Succus recens expressus* cochleatim, (vel a semuncia ad sescunciam) datur.

*V. Extractum Marrubii v.*

## MATRICARIA CHAMOMILLA

### Chamomilla vulgaris. Ph. Ross.

### Ромашка обыкновенная.

Planta in arvis, ruderatis, et ad vias frequentissima, receptaculis nudis, conicis, radiis patentibus deflexis, seminibus nudis, squamis calycinis æqualibus, margine dilatatis. *Cl.* Syngenes. *O.* superflua. *O. N.* compos. radiatæ *L.* Corymbiferæ J. Annua. *Usuales sunt:*

Flores, calyce plano, imbricato; squamis margine scariosis, obtusiusculis, receptaculo nudo, cylindraceo, conico; pappo nullo. Anthemis arvensis;—Cotula; Chrysanthemum inodorum, et—Leucanthemum facile cum hac permutantur. Ab *Anthemide arvensi*, cui flores inodori, recept. paleaceum: paleis lanceolatis, acutis, connatis, exsertis; caule foliisque bipinnatifidis, subpilosis, et ab — *Cotula*, floribus majoribus, ingrati odoris, paleis setaceis, foliis bipinnatifidis glabriusculis, distinguenda. A *Chrysanthemo Leucanthemo*, foliis amplexicaulibus, lanceolatis, basi inciso-dentatis, radicalibus obovatis petiolatis, perfecte differt; nec non a *Chrysanthemo inodoro*, foliis capillaceo multifidis, flor. quam in 1 et 2 majoribus, corona seminum integra.

Q. A pauco *volatili oleo*, principioque *extractivo*, *amaro*, dependens. *Odor florum* fragrans, non admodum gratus; *sapor* amarus.

V. Stimulans; sudorifera; antispasmodica; peptica. *Corticem Cinchonae officinalis*, sua contra putredinem vi, superare, cl. Pringle experimentis probare nititur. Blande agunt *flores* in nervos stomachi et intestinorum, quorum irregularem actionem tollunt, aequabilem distributionem vis sensiferæ restituunt.

U. Febribus intermittentibus, (pulvis datur ad semidrachmam cum *melle*, aut *succo Sambuci melleo*, ad dialeipyras curandas, maxime eas, quæ spasmis junctæ sunt, et obstructionibus, aut ubi *Cinchonae cortex* neutiquam toleratur) diarrhoeis, dysenteriis, (maxime, si *radix Glycyrrhizae*, aut *gummi Acaciae verae* addatur,) dyspepsiæ, enterodyniæ flatulentæ, podagræ, catarrhis inveteratis, gravibus utero mulieribus, puerperis, aut quibus menstrua tarda, dolorifica, vel lochia provocanda, multis modis, apta esse, censetur. Extrinsecus quoque, recte admovetur, forma *balnei*, *clysteris*, *cataplasmatis*, *infusi*, *pulveris*.

D. *Florum* a semidrachma ad duas per se in *infuso*, forma *foliorum Theae Boheae*. *Infusum*, plus æquo saturatum, producit emesin, unde ad promovendum usum *emeticorum* recte adhibetur; frigidum, stomachicum est. Magnæ doses *Chamomillae* pulveratæ vitandæ sunt, cum facile ventriculum offendant, vomitum, alvumque citam producant.

*V. Elaeosaccharum M. Chamomillae; Extractum — —; Infusum Chamomillae kalinum; Oleum Chamomillae; — — coctum; Species Chamomillae compositae.*

## MENTHA CRISPA.

### Мята обыкновенная, или кудрявая.

Pl. Siewerica, *cor*: subæquali quadrifida; lacinia latiore, emarginata. *Stam.* erectis, distantibus; colitur etiam in hortis. *Cl.* Didynam. *O.* Gymnosp. *O. N.* Verticillatæ *L.* Labiatæ J. Perennis. *Usualia sunt:*

Folia, cordata, inciso-dentata, undulata, sessilia, staminibus corollam æquantibus. *Folia Menthae sativae* quandoque

substituuntur, quæ sunt ovata, acutiuscula, serrata; stamina corollæ longiora, quo perfacile distinguuntur.

Q. Ab *oleo volatili* pendens, et *pauxillo Camphoræ*. *Odor* fragrans fortis, non admodum gratus; *sapor* aromaticus cum amaritie levi.

V. Stimulans; stomacho apta; resolvens; menagoga; *lactis* secretionem minuens.

U. Inflationem levat, hinc hypochondriacis, hystericisque, ructus excitando, utilis, nec proinde immerito a MARTIALI, *ructatrix*, dicta. Enterodyniam quoque et nauseam ex eadem causa ortam, mitigat. *Extus* admota, dolores artuum a spasmo; *Lactis* in mammis coagulum *vino* cocta, ecchymosin, tumoresque frigidos, discutit.

D. *Infusi* uncia ad libram *aquæ*.

V. *Aqua Menthae crispae*; *Elaeosaccharum* — —; *Infusum* — —; *Oleum* — —; *Species aromaticae*.

## MENTHA PIPERITA.

### Мята перечная, или Англиская.

Pl. in locis humidis Angliæ spontanea; apud Ruthenos in hortis colitur. *Cl.* et *O.* præcedentis. Perennis. *Usualis est:*

HERBA, *fol.* subovatis, glabriusculis, serratis, petiolatis; *spicis* obtusis, inferne interruptis. *Stamin.* corolla brevioribus, calyce basi glaberrimo. Ab incautis facile confunditur cum MENTHA VIRIDI, cujus *folia* sunt lanceolata, sessilia, spica longior et exilior, sapor debilior. Item cum M. SYLVESTRI — AQUATICA, vel — GENTILI.

Q. Præstans, a *volatili oleo* et *camphorino* derivanda. *Saporem piperis* instar, unde nomen sortita, acrem habet, fauces fervore quodam replens, insequente dein haud ingrato frigoris sensu. *Odor* ejus fragrans, subcamphoratus; recentis et *odor* et *sapor* debilior.

V. Stimulans; peptica; antispasmodica.

U. Adhibetur illa in variis nevrastheniæ formis; præsertim

autem officinam digestionis juvat, ideo vis ejus elucet in dyspepsia, inflatione, enterodynia flatulenta, vomitu, diarrhœa, lienteria, in spasmis nominatim hypochondriacis, hystericis etc. *Herba* cum *vino*, vel *aqua decocta*, forma *sacculi*, vel *fomenti*, ad roborandum ventriculum, in iisdem malis, admovetur. Nec in myodynia rheumatica et arthrodynia, tam interne, quam extus, sua laude orbanda. In suppressis catameniis, chlorosi, leucorrhœa, hæmorrhagiis, recte additur congruis remediorum adminiculis. *Extrinsecus:* sugillationibus, frigidis tumoribus, erysipelatosis inflammationibus, mammarum indurationibus apud puerperas, haud inepta. Inter omnes *Menthae* species, *piperita*, fortissima, ideo ob excalfacientem vim, haud sine circumspectione, adhibenda.

D. Uncia ad libram *aquae* in *infuso*. *Aquae Menthae* uncia ad duas. In *pulvere* grana decem ad duos scrupulos, sed rarius. *Olei:* gutta, (ad tres, quinque,) datur.

V. *Aqua Menthae p.*; *Elaeosaccharum* — —; *Infusum* — —; *Oleum* — —; *Species aromaticae*.

## MENTHA PULEGIUM.

### Мята сердечная; Полѣй; Блохогонка.

Europæ australis. Cal. Thymi. Fol. punctata. Bract. nullæ. *Cl.* et *O.* præcedentis. Perennis. *Usualis est:*

Herba: *floribus* verticillatis, incisis; cor. obtusis; *foliis* subovatis, pilosis; *Stam.* corolla brevioribus. Permutatur cum Mentha arvensi, caule adscendente villoso, fol. ovatis, acutis, serratis; verticill. summis, congestis; stam: coroll. æquantibus, distinguibili.

Q. A *volatili* repetenda *oleo*, eadem ac *Menthae crispae*; acrior tamen.

V. Eadem ac *Menthae crispae*.

U. Spasmis durante menstruatione, et pertussi olim ab Anglis opponebatur, quem in finem, *succum* ejus, ad unum cochleare commendavit Boyle. *Decoctura* ejusdem edulcata in rau-

cedine; *infusum theaeforme* in asthmate laudatur, (Chomel;) *infusum* vero cum *vino albo* et *limato Ferro* factum, pro certissimo et nunquam fallente emmenagogo habetur, (Haller.)

V. *Aqua Menthae Pulegii*; *Elaeosaccharum* — —; *Oleum* — —.

## MENYANTHES TRIFOLIATA.

### Trifolium fibrinum Ph. Ross.

Вахта трилистная; Трилистникъ водяной; Бобровникъ.

Pl. cor. hirsuta, stigmate bifido, caps. uniloculari, in paludibus frequenter obvia, *Cl.* Pentandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Rotaceæ L. Lysimachiæ J. Perennis. *Usualia sunt:*

Folia, cuncta radicalia, petiolata, ternata; foliolis ovatis, obtusis, utrinque glabris, venosis, margine repandis, bipollicaribus, vel ultra, æqualibus, tenerioribus oblongis.

Q. Vim suam *principio extractivo amaro*, cujus magnam tenet copiam, debet. *Odoris* nonnihil fatui; *saporis* amarulenti, substyptici, maxime post anthesin. Extrahitur *principium* prævalens, et *aqua*, et *Alcohole*; hoc tamen potentius, amaror evolvitur.

V. Perseveranter stimulans; subadstringens; tonica; anthelmintica; diuretica; majori dosi emetica; alvum ciens.

U. In omnibus morbis, qui ab atonia ventriculi proveniunt, utile remedium, ita quidem, ut et remotiora ex hujus labe pullulantia vitia, medicetur, hinc hypochondriacis et hystericis, dyspepsia, inflatione, cardialgia, et id genus aliis, laborantibus, adcommodum. Cum aliis *amaris*, similis naturæ, remediis, communes exserens vires, dialeipyris etiam opponitur; ita et chlorosi, leucophlegmatiæ, hydropisi, scorbuto. In Britannia *succus* ejusdem recens expressus, qui præter *principium extractivum*, *albumen* etiam continet, domesticum est apud ruricolas, in grassantibus fœdis primo vere exanthematibus scorbuticis. Buchanio teste, utilius is adhibetur ad stases abdominales reserandas, cum *succis* aliarum *herbarum*, qui ad unciam vel duas, cum *vino*, ubi est, vel *elixirio* quopiam

stomachico propinantur. Ulceribus scorbuticis præcipue purificandis inservit. In morbis quoque cuticularibus curandis, ut a scabie etc. invaluit. Verminantibus puellis, opem tulisse certiori fide pronunciatur. Amaritudine sua, tum *aquam*, quum *spirituosa* tingit *herba*, ideoque potissimum, et fere nonnisi sub forma *decocturae infusive* adhibetur. Britanni dum *Zythum* parant, persæpe amaritiei gratia, loco selibræ *Humuli Lupuli*, unciam *foliorum Menyanthidis trifoliatae* dolio indunt. Extrinsecus per modum *clysteris*, Kæmpfii suasu, subterdatur.

D. *Infusi*: uncia ad libram *aquae*.

V. *Cerevisia amara*; *Extractum amarum*; — *Menyanthidis trifoliatae*.

## MOSCHUS MOSCHIFERUS.

### Кабарга.

Animal in Tataria, Thibetho, Sinensi Imperio, et in Siewerria, præsertim in montibus habitans Dauricis. *Cl.* Mammalia. *O.* Bisulca, s. Ruminantia. (Pecora. *L.*) *Usualis est:*

Moschus, (Мскусъ, Кабардинская струя *) substantia peculiaris *subunguinosa*, fusco colore, granulata, in folliculo oblongo, magnitudine plerumque ovi columbini, puberis maris, secreta, binis exilibus orificiis prædito, pone umbilicum ante præputium, sito, et proprie glandulas præputiales constituente (Fischer,) collecta, atque cum eodem simul siccata, granula nigricantia, in textu celluloso deposita, referens. *Moschus* e Sinensi Imperio importatus, in vesicis unica sutura, pilis albidis, distinctis et intus teneriori tunicula vestitis, et *ferro* candente ustus, nullo pæne cinere relicto, evanidus, habetur optimus; nec *tunquinus*, e regno Thibetano adlatus, vesicam magnitudine ovi columbini, cute pilis radiatis, ex albo subfuscis obsita, instructam, replens, laude sua defraudandus. Corrumpitur is, multis modis, et nonnunquam to-

*) Verbum cabardinum, (Moschus cabardinus) videtur esse ortum e corrupto vocabulo russico Cabarga (Кабарга) loco Moschi cabargini.

tus fere est artificialis, cruore siccato coagulato et in frustula subacto, *balsamo* concreto *Styracis Benzoin*, *pulvere Plumbi*, *Asphalto* etc., adulteratur, quæ ob *odorem* penetrantem heterogeneis a *Moscho* admisto communicatum, difficilia sunt detectu. Aromatariorum fibras carneas in *Moscho* demonstrantium experimenta, irrefragabili sunt indicio, *Moschum* ex *sanguine* et *carne animalis Moschiferi*, contritis, cum exigua genuini portione, remixtis, haud raro factitium esse. Stœller et Reinick *Moschum artificialem* a se paratum, naturali, ut sibi persuasum habent, æquiparabilem, commendant, quorum et nos, parsimoniæ studiosi, vestigiis insistentes, artificiali nostro, locum in hac Pharmacopœia dedimus.

Q. Est egregia, quæ ab *oleo volatili* (Gros), *partibus unguinosis* et *resinosis* pendet. (Optimus *Moschus* in centenis partibus, 60 *glutinosae*, 30 *albuminosae Ammonia* scatentis, 9 partes *cereae extractivae substantiae*, unicam partem *resinae* cum *oleo volatili* continet.) *Odor* Moschi proprius, ambrosiacus, intense fragrans, excitatissimus, caput tentans, in *resinosa materie* residens.

V. Excitans, præcipue systema nervosum, in centralia ejusdem puncta penetraliter agens, ita in encephalon, facultatem cogitandi, sensationem et motus voluntarios intendens, quin vasa hæmatophora nimis stimulet et excalfaciat; tardescenti etiam cutis functioni calcar subdens; antispasmodica.

U. *Moschus* prima inter medicamina et necessaria jure merito laudandus. In typho et plurimis in morbis cum debilitatis charactere, stimulo suo quasi æthereo penetraliter agit in systema nervosum, præsertim accedentibus tendinum subsultibus, singultu, febrilibus convulsionibus, sub micatibus arteriarum parvis, celeribus, duris, cute arescente, pallescenteque, neque tamen vi vitali pessumdata. In pneumonitide asthenica, præsertim ubi cetera remedia, ut radix *Polygalae Senegae*, *Suboxydum Stibii hydrosulphuratum*, et similia, neutiquam respondent, *Moschus*, in tempore et congrua dosi datus, juvat. In asthmate Millari, Wichmannus, tan-

quam specificum laudavit, in asthmate spastico arthritico cum *gummiresina Assae foetidae*, *Guajaci off.*, *extracto Valerianae officinalis*, fuit proficuus. In febribus asthenicis, exanthematicis, exanthematibus asthenicis retrogradis, ex. gr. variolis (Huxham) vel vehementibus spasmis, mania atque horum retrocessione exortis, in convulsionibus variis sine febre (Berger,) vel organi singularis, vel totius systematis, ut in epilepsia, risu sardonico (Robael,) trismo infantum, tetano, catalepsi, pertussi (Berger, Jacobi,) asthenicae indolis. In ataxia hystericarum, hydrocephalo, convulsionibus stipato, apoplexia asthenica, rabie hydrophoba, arthrodynia, paralysi rheumatica, etc. commendabatur. In gangræna externo et interno usu invaluit, in primis vero nervea, sic dicta, testante cl. Whytt, cum *Subcarbonate Ammoniae*, vel *Acido succinico crystallisato*, vulgo *Succini sale*. Grassantibus Upsaliæ variolis admodum funestis, Linnæus *Moschum* collo liberorum suorum appendit, quo impetravit, ut a pestifero hoc malo, quod omnes e vicinia puellos abripuit, intacta permanserit soboles ejus (*Amoenit. Acad.*) Hanc beneficam ejus vim etiam D. Opitz et Wichmann experiundo confirmavere.

D. In febribus nervosis et putridis, sic dictis, in vehementibus spasmis et convulsionibus, in gangræna etc., quavis semihora 6. 8. 10 grana in substantia cum *vino*, vel in *infuso aromatico*, cl. Horn, *tincturam cort. L. Cinnamomi*, ut vehiculum maxime idoneum, commendat. Hæc præbia sensim augentur adeo, ut spatio 24 horarum aliquot drachmæ exhiberi queant. Cl. Gregory in nervosis adfectionibus refractariolis ad semidrachmam propinavit. In convulsionibus, a tribus ad decem grana ill. L. B. van Swieten, propria praxi proficua, exhibuit. Pueris in typho cum variolis, morbillis, scarlatina etc., secunda quaque hora, vel semihora, pro mali ratione, 1. 2. 3 grana. *Moschus* exhibetur per se cum *Saccharo*, vel in aliis congruis vehiculis, vel alia conjunguntur cum eo stimulantia, ut *Camphora*, *A. Serpentaria*, *Opium* etc. Cum in pulvere datur, aptum est ejusdem connubium

cum *Valeriana off.*, *Saccharo*, in forma *pilularum*, vel *boli* cum *Opio*, *gummiresina F. Assae foetidae*, per modum misturae, quae minus idonea, ope *mucilaginis*, *Sacchari*, *Aetheris sulphurici alcoholisati* teritur, atque cum *aqua* commiscetur.

V. *Tinctura Moschi.*

## MURIAS AMMONIÆ.

### Солекислый Аммiакъ; Нашатырь.

*Sal* neutralis, ex *Acido Muriatico*, et *Ammonia* constans, vel *nativus*, flavi seu albi *coloris*, ad crateres ignivomorum montium, ut Vesuvii, Solfataræ, prope Puteolos, igne subterraneo in glebas concretus, apud nos vero circa fluvium Chatanga, qui mari septentrionali influit, et fl. Schylka in montibus Dauriæ reperitur; imo etiam in liberorum Calmucorum regione (Model) griseis efformatus crystallis, crescensque ad rupes, vel *arte factus*, tum ex Aegypto in placentulis solidis, rotundis, ubi sublimationis ope ex fuligine excrementorum, (Lemery,) præcipue *Cameli* paratur, olim importatus, quum etiam e quibusdam australis Europæ regionibus, præsertim ex Germania, ubi ex partibus constitutivis, præcipitatione, sublimatione, et crystallisatione, componi solet, forma coni *saccharini* obvenit. Optimus habetur *aegyptiacus;* est etiam bonæ notæ *Amstelaedamensis*, *Brunswicensis* in Germania notissimus; in Russia etiam vix pejoris notæ in variis locis paratur.

Q. Est plerumque crystallis minutis, concretis, saporis salsi, in igne fortiori totus volatilis; in aëre haud deliquescens. Solutio ejus chartam cæruleam vix tingit. Adfusione solutionis *Subcarbonatis Potassae* et *Muriatis Barytae* haud turbatur. *Ferrum*, eidem adhærens, *infuso gallarum quernarum*, *nigro*; *Cuprum*, *Ammonia*, cœruleo *colore*, *sales sulphurici*, *Muriate Barytae*, sedimento, cognoscuntur.

V. *Ammonia liquida; Murias Ammoniae depuratus.*

## MURIAS SODÆ.

### Солекислая сода; поваренная соль.

*Sal* neuter, *ex Acido muriatico* et *Soda* constans, reperitur, vel in sicco statu, atque in montium plerumque visceribus latet, in quibus, lapicidinarum modo, cæditur, et tum *caeduus sal* (vulgo *Sal Gemmae* Каменная соль, Ледянка) vocitatur, qualis reperitur in Regno Galiciæ et Wladimiriæ, (olim Russia rubra,) Wilitschkæ & Bochniæ. Aeque ac heic, uberrimus *caedui* proventus est in Hungaria et nominatim in Marmatia, (Comitatu Maramorossiensi;) præcipua ejus fodina est in *Rhònaszék*. Dantur etiam vestigia ejus inter Carpathicos montes in pago carpato-russice Соль dicto Unghvarinensis Comitatus; apud nos vero similis in Kirgisorum desertis ad fluvium Ilecam, item in Sieweria ad fluvios Wiluja, Kepterdei (qui in Wilujam influit.) Alia species e *marinis aquis* sponte provenit, spuma in extremis littoribus ad scopulos relicta, talis est, qui e lacubus Chersonesi tauricæ, Tanais, (præcipue Menits) e *marina aqua*, excoquitur, aut in Archangelopolitano Gubernio; in Kamtschatka etiam. Invenitur quoque sub nomine sedimenti, seu præcipitati salini spontanei (Самосадка) in fundo lacuum *Eltonensis*, *Inderensis* et *lutulenti* (Елтонское, Индерское и грязное озеро) aliorumque, inter Wolgam, Ural, Irtim, Obim, Jeniseumque, jacentium. Nec desideratur in Britannia, Hispania, Germania, (inter *fontes* hujus *salinos* eminent *Luneburgenses* et *Halenses*,) Transylvania. *Salem marinum* et præcipue illum, qui prope littora in fossis paludosis evaporatione condensatur, adventitiis partibus, *Sulphate Magnesiae*, *Muriate Calcariae*, aliisque fœdari certum est. *Muriatem Calcariae* et *Magnesiae*, nec non *Sulphatem ejusdem* continentis ex *aqua* solutio, *Subcarbonate Potassae liquido*, turbatur, *Murias Sodae* venalis, si impurus est, omnino depurari debet pro usu medico. Methodus depurandi eum in secunda parte proponitur.

*V. Murias Sodae depuratus.*

## MYROXYLON PERUIFERUM.

Перуанникъ; Перувіанское бальзамное дерево.

Arbor pulcherrima in America meridionali, regno Peruviano, Brasilia, Terra firma, Mexico, habitans. *Cl.* Decandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Lomentaceæ *L.* Leguminosæ J. *Usuale est:*

Balsamum Myroxyli, (vulgo B. *peruvianum*, Перувіанской Бальсамъ) consistentiæ *syrupi*, fuscum seu subnigrum, guttis diaphanis, *aquae* bullienti instillatum, una parte fundum petit, altera supernatat. Verum exsiccari nequit, modo aliorum *balsamorum*, sed retinet suam *oleosam* naturam. *Nigrum*, de quo hic agitur, ex *foliis ramisque arboris* excoquitur; *album* vero, sponte e *cortice trunci* ac *ramorum* exsudans, nunquam sincerum ad nos adfertur; alia rara adhuc species, *siccum*, in cucurbitis venit, refertque *resinam luteam*, *balsamum concretum Styracis Benzoin* paene redolentem. Adulteratur *balsamo pineo-laricino* (quo in casu cum *Acido sulphurico* effervescit et supra *Ferrum* candens *odorem pineo-oleosum* (*terebinthinaceum*) spargit. Cum *oleis* etiam *expressis*, (et tum in *Alcohole* non est solubile,) cum *syrupo*, subsidente, et dulci *sapore* sese manifestante. Paratur quoque artificiale ex *oleis pinguibus*, *balsamo concreto Styracis Benzoin*, — *Liquidambar Styracifluae*, *Asphalto* etc.; quod tamen, cum *sapore*, tum *odore*, facile distinguitur.

Q. *Odor* est suaveolens, *Vanillae aromaticae*, similis, aut grate benzoinus. *Sapor* calefaciens, acriculus, amaricans, *oleo volatili*, *resina* et *acido benzoico*, consistit.

V. Incitans; exæstuans, externo et interno usu, comprobata.

U. In phthisi pulmonali, ubi multa muci secretio est, diarrhœis, dysenteriis, blennorrhœa, (puta, quæ a sola glandularum Lyttrii et Cowperi laxitate oritur), antiqui laudant; facillime, tamen tussim et statum inflammatorium auget; in enterodynia vero plumbea a 20 ad 30 guttas ter de die in *Saccharo* Sydenhamus exhibuit; sed extrinsecus majorem promittit utilitatem, læsis tendinibus, vel nervis, dum leniter ca-

lefactum, vulneri instillatur, ulcera sordida depurat. In ulceribus viscerum, quum febris abest, et inflammatio, drachma hujus *balsami*, cum *vitello ovi*, additis *extracto Cinchonae* et *melle rosato* commendatur.

D. Guttæ sex ad triginta, sæpius de die, cum *Vitello ovi*, vel *Saccharo.*

## MYRTUS PIMENTA.

### Миртъ пряный Индійскій.

Arborea, foliis alternis, Indiæ occidentalis. *Cl.* Icosandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Hesperideæ *L.* Myrti J. *Usuales sunt:*

Baccæ, di, seu trispermæ, globosæ, magnitudine *Pisi sativi*, fuscæ, rugosæ, (vulgo *Piper Iamaicense*, Ямайскій перецъ.) Permistæ fuerunt cum *fructu Menispermi Cocculi*, (vulgo *seminibus Cocculi*,) quod nos circumspectos esse oportere docet.

Q. *Odor* fragrans, gratus; *sapor* aromaticus, ex *oleo essentiali* et *resina* consistit.

V. Stimulans; stomacho apta; excalfaciens.

U. Condimentum blandum ciborum. Aliis aromaticis, carioris pretii, ut *nuci Myristicae moschatae*, *cortici L. Cinnamomi*, *gemmis floriferis Eugeniae Caryophyllatae*, recte subrogatur in praxi militarium valetudinariorum.

D. Grana quinque ad scrupulum.

V. *Aqua Myrti Pimentae; Oleum myrteum.*

## NICOTIANA TABACUM.

### Табакъ; Тютюнъ.

In America, perennis; annua vero apud nos, cultuque frequens; in Fennia ad 63° hinc inde seritur. Anno 1650 e Virginia Americæ in Europam adlata. *Cl.* Pentandria. *O.* Monogyn. *O. N.* Solanaceæ *L.* Solaneæ J. *Usualia sunt:*

Folia, lanceolato-ovata, sessilia, decurrentia, permiscentur cum *foliis Nicotianae macrophyllae*, — *fruticosae*, — *rusticae*, — *paniculatae*, — *glutinosae*, et *aliis*, virtute ei analogis, *speciebus*.

Q. Venenifica, ab essentiali acri *oleo narcotico* derivanda.

*Odore* gravi, peculiari, ingrato; *sapore* vero acri, nauseoso, conspicua. Optima est *Nicotiana Marylandica*, ad hanc vero bonitate accedunt *Virginica*, et *Kentuckyensis*; in Hungaria vero *Tolnensis*, *Quinqueecclesiensis*, *Muraközensis* et *Debröensis*.

V. Pro ratione dosis: narcotica; stimulans; errhina; sialagoga; emetica; drastico-cathartica; diuretica; zooctona.

U. Forma *infusi*, *vini*, *tincturae:* in adfectionibus spasmodicis, asthenicis, enterodynia, pertussi, hydrope, dysuria (caute adhibendo,) auxilio fuisse perhibetur, idque, vel injecto *clystere*, vel *fumo*. In quibusdam asphyxiæ casibus, *clyster* ex *infuso* injectus profuisse fertur; *fumus* tamen submersis, et suffocatis alienus, (secundum recentiora observata,) merito ei *Gas oxygenium* subrogatur, utut idem, quippe qui, particulas plantæ odoras cum *oleo empyreumatico* tenet, stimulum impertitur privum, quo, per machinam in anum inflato, interanea adeo incitantur, ut volvulus ac stricturæ eorundem solvantur, hinc nisi inflammatio instet, in hernia etiam incarcerata adhiberi posse existimatur. Externe in psora, herpete, tinea, cum *aqua saponacea* et *pulverato carbone infusum Nicotianae Tabaci* recte conjungitur. Phthiriasin caute adhibita propulsat. Eclampsiam infantum sub dentitione, cæteris in cassum adhibitis, clystere subterdato, curavit. Quam sit commoda strumis *Nicotiana*, Everarti, aliorumque experimentis, constat. *Fumus N. Tabaci* in pestilentia quavis suetum remedium. Alvum pertinaciter adstrictam *clyster tabacinus* solvit, nec minus *foliorum* drachmæ tres, *pulverisque radicis Rhei p.* duæ ex *aquae fontis* q. s. ad colaturam unciarum octo decoctæ, (*decoctura* quavis hora cochleatim propinata,) teste illustri Richtero, profuere. *Pulvis* ejusdem, ubi sternutamenta evocari expedit, efficax; insuefactis tamen eidem, irritus. Masticata odontalgiam sedant, *folia;* in ore vero retenta, classiariis adversus stomacacen præsidio sunt.

D. A duabus drachmis ad semunciam pro libra *aquae*, *vini*, vel *tincturae* guttæ triginta et ultra, in hydrope secunda quaque hora. *Infusum* quoque *herbae* ad unciam cum libra *aquae*,

additis *Alcoholis diluti* unciis duabus; FOWLER in hydropisi laudat, ut guttæ 40 ad 100, adscendendo, propinarentur. Pro *clystere* drachma pro octo unciis *aquae* sumitur, major dosis vix impune fertur teste cl. RICHTER et LATTAO.

V. *Cataplasma tabacinum; Clyster —; Infusum Tabaci; — — vinosum.*

## NITRAS POTASSÆ.

### NITRUM NATIVUM, L.

Селитрокислый поташъ; селитра самородная.

*Sal* neuter, ex *Acido nitrico*, et *Potassa* constans, fossilis veniens ex Asia, præcipue vero India orientali; apud nos autem ad Achtubam fuit etc. arteque paratur in nitrariis ubicunque, præcipue in Russia meridionali in variis Guberniis ut Poltawiensi, Czernigowiensi, Kijewiensi, Ekaterinoslawiensi, dum substantiæ animalium simul et vegetabilium in putredinem abierunt, et *nitrogenium* evolvendo, quod sese cum *oxygenio aëris* conjungit, *acidum nitricum* dat, quod admista *Calcaria* ligatur, et dein addita *Potassa* separatur, ortusque hinc *Nitras Potassae* elixivatur, depuratur, et in crystallos cogitur.

Q. Nativus sistit crystallos prismaticas hexangulares, apicibus pyramidalibus itidem hexagonis; *sapore* acri, subamaro, refrigerante. Inquinatus obvenit: *Muriate Potassae, Muriate Sodae* et *Nitrate Magnesiae*. Inquinatus *Sulphate Sodae*, amariorem præ se fert *saporem*, minusque frigerantem, carbonibus inspersus magis crepitat, quam detonat, aëre sicco fatiscit, et solutus *Muriate Barytae* turbatur. *MuriasSodae, Potassae* vel *Calcariae*, admistus ex crepitatione super ignem et turbatione ex *Solutione Nitratis Argenti* cognoscitur. *Terrestria salia* decompositionem *Subcarbonate Potassae liquido* efficiendo, deteguntur. Ut usui medico, præcipue interno cedat, solvendus est, evaporandus, et iteratis vicibus crystallisandus. *Aqua* solutus, a *Magnesia* et *Calcaria* modico caloris gradu, addita *Potassa*, purgatur.

V. *Nitras Potassae depuratus.*

## OLEA EUROPÆA.

Масличина Европейская; оливковое дерево.

Arbor australis Europæ, (in Chersoneso taurica) Asiæ, inque Africa boreali, racemis axillaribus coarctatis, foliis lanceolatis integerrimis, sempervirens. *Cl.* Diandria. *O.* Monog. *O. N.* Sepiariæ *L.* Jasmineæ *J.* *Usualia sunt:*

Fructus; (*Oliva;*) Oleum olivum (*Oleum Olivarum Ph. Ross.*) Оливковое масло, Олива) expressum e *drupis* recentibus fere maturis, et sollicite olivitatis tempore decerptis, paratum, estque blandum, vel subflavum, pellucidum, non nimis unguinosum. Causa ejus oliveta instruuntur. Optimum, quod in oliviferis arvis meridionalis Galliæ et ditione Genevensi colligitur, et ex Italia præprimis illud, quod a Lucca denominatur, pro usu interno, præferendum. Aetate rancescens, subviride, acre fit, eoque citius, quo calidiore loco et aëri expositum, reponitur. Ut illi aliisque expressis *oleis* albedinem concilient, rancoremque corrigant, olivitores et negociatores, nefario illa ausu in vasis *cupreis plumbeisque* planis per aliquod tempus digerunt, quo soluta parte *Plumbi*, inquinata, usui interno damnosa fiunt. Fraus detegitur eo, quod vitiatum sit magis decolor, dulcius et unguinosius, naturali. Si æqua *Aceti* destillati portio eidem addatur, atque conjunctim agitetur, separato autem *Aceto*, *Aqua hydrosulphurata acidula* adjiciatur, brunum vel nigrum sedimentum præcipitatur. Commiscetur præterea cum aliis *oleis* expressis, ut *oleo papavereo*, (quod serius congelatur flammaque ardet minus læta) — *Lini* etc., quod, cum sapore, tum eo, quod intensius frigus ad id condensandum requiratur, dignoscitur. Bonum ad 36° therm. *F.*, vel 2 *R.* congelascit.

Q. Oleosa; *saporis* grati, mollis; *odoris* vix ullius, continet 49 partes *carbonici*, 21 *hydrogenii*, et 29 *oxygenii*, si purum est.

V. Involvens; emolliens; alvum liquans; desoxydans; largiori copia, emetica; anthelmintica.

U. *Fructus salsugine*, seu *muria* conditus persæpe *acetarii* forma, stomacho roborando haud inepti, nec palato ingrati, estur;

hinc *embammata* etiam ingreditur. *Olei olivi* in dysenteria, tenesmo (in connubio *Opii* et *gummi Acaciae verae*) vel kalinorum rarius, in pneumonitide, nephritide, enterodynia saturnina, (reducendo *Plumbi Oxyda*,) enteritide, obstructionibus alvi pertinacibus, et id genus aliis, sæpius respondet; Malacarnius arthritidem vagam, ita curavit, ut alternis diebus aliquot uncias propinaret, quo lotium lateritium secessit, alvus est reddita liquida, et sudores moti; vermibus quoque officit. Acrium stomacho, vel interaneis incaute insertorum, vim noxiosam, (involvendo,) frangit. Extrinsecus calidum, corpori frictione admotum, donec sudor motus fuerit, siccitati, duritiei telæ cellulosæ, obponitur. Hydropisi profligandæ, herniarum incarceratarum, et articulorum luxatorum repositioni, partui difficili, sublevando, corporibus heterogeneis in gula hærentibus extrahendis, catheteri applicando, imo operationibus chirurgicis cultri ope peragendis, favet. Pestilentiam et febrem americanam flavam præpedit, scilicet: inunctiones cum eo sub levi (in tota corporis superficie,) fricatu, institutæ, efficaces inventæ (Baldwin.) Gardaneus quoque haud raro experiundo didicit, insignem talium fricamentorum et illitionum efficaciam, quas mane vesperique, per aliquot hebdomades administratas, profecisse adseverat. Morsiunculas apum, vesparum, aliorumque insectorum, imo ictum ipsius viperæ mitigare, enervareque quidam Medici, perhibent. Adustis, vulneribus valde dolentibus, loco aliorum *unguentorum*, adplicatur. *Oleo* e *seminibus Ricini communis*, dum sincerum, leviorisque pretii est, merito præfertur; *oleum* vero *Iuglandis r.*, (ex *nucleis* expressum,) *olivo* prorsus, æquiparari posse existimatur.

D. Vel ipsum *Oleum olivum* per se unciatim, et ultra, vel sæpe sub *forma emulsionis* ad demulcendum, per unionem cum *aqua*, ope *mucilaginis gummi Acaciae verae*, cui sæpe ad conciliandam gratiam, vel *Saccharum*, vel *mel*, vel *syrupus* quipiam additur, atque in dosi duarum drachmarum ad duas uncias adhibetur. *Oleum napinum*, — *Lini usitatissimi*, — *sesaminum* — *sinapinum*, virtutibus consimilibus gaudent,

alterum proinde pro altero, pro circumstantium rerum ratione, adhiberi potest; præferendo tamen id, quod pro fertilitate provinciæ, pretii fuerit levioris; postrema autem duo id privum habent, quod etiam in vicem *olei Ricini communis* ubique pene adhiberi queant.

V. *Haustus saponaceus; Linimentum simplex; Oleum olivum; Unguentum Olivi ceratum*, et varia *cerata, linimenta, unguentaque* ingreditur.

## ORCHIS MORIO.

O. Mascula; — militaris; — latifolia; — bifolia.

Ятрышникъ; кокушкины слёзы.

Plantæ in Ruthenia et in variis Europæ partibus, in sylvis pratisque frequentes, corolla sua peculiari subtus longe calcarata a ceteris distinctæ. *Cl.* Gynandr. *O.* Diandr. *O. N.* Orchideæ *L.* et J. Perennes. *Usuales sunt:*

*Radices*, (vulgo *radix Salab* vel *Salep*, Салепъ) *bulbi* variæ magnitudinis, (ut plurimum subrotundi seu ovales, rarius palmati,) *seminis Coffeae arabicae*, vel *nuclei Amygdali communis*. Qui pro bonis habentur, sunt semipellucidi, colore gaudent substramineo, superficie sublacunosa et aspera, figura *seminum Theobrom. Cacao*, in India orientali in solo macriori, postquam caulis marcescere cœpit collecti et in primis ex Malabaria adlati longa serie filo albo transacti veneuntes, majores sunt et usitatiores. Pulli, cariosi, levesque rejiciendi sunt. *Bunii Bulbocastani radices* interdum illis substituuntur, et pondere leviori et substantia minus compacta, dura, discernendæ.

Q. Mucilaginosa; eximia.

V. Nutriens; involvens; morbosam irritabilitatem deprimens.

U. Phthisis, febres hecticæ (pulvis *Orchidis aqua* vel *lacte* calido subactus, ut *pulmentum*, cochleatim sumitur, vel idem cum *gummi Acaciae v.* et *Saccharo* in tussi sicca et phthisica datur,) reproductio lenta, diarrhoea, dysenteria, stranguria, dysuria. Infantibus sine *lacte* nutriendis, *mucilago* quoque ex eadem fit.

D. Exhibetur *decoctura radicum*, quarum drachma cum bilibra *aquae* ad libram coquitur, atque unciatim propinatur.

V. *Decoctura Orchidis.*

## ORIGANUM VULGARE.

Душица обыкновенная; Материнка.

In locis montanis, nemorosis, siccis et ad margines dumetorum creberrima. *Cl.* Didynam. *O.* Gymnosperm. *O. N.* Verticillatæ *L.* Labiatæ J. Perennis. *Usualis est:*

Herba, foliis obpositis ovatis, spicis subrotundis, panniculatis, conglomeratis, bracteis cal. brevioribus, ovatis, coloratis.

Q. Ab *oleo volatili camphoraceo*, (cujus *herba* continet $\frac{1}{336}$) repetenda. Proprio fragranti *odore*, simili *herbae Origani Majoranae*, gratoque nares; *sapore* vero acriculo, subamaro, aromatico, linguam feriunt, *folia.*

V. Nervina; stimulans; resolvens.

U. In asthmate, tussique sine febre, virtus ejusdem explorata; in phthisi quoque pituitosa a quibusdam cum successu exhibebatur, nec minorem fœminis etiam, quibus sanguis per menstrua non respondet, præstitisse utilitatem fertur. Frequenter ad *epithemata* discutientia, et *balnea* roborantia, recipi solet in œdematibus, aliisque malis similibus et quum evidens *aroma* habeat, non male exoticis *stirpibus* cognatis, praefertur. *Folia* siccata, *aqua* rite perfusa, succedaneum *Theae Boheae* non ignobile præbent. *Cerevisiae* addita *herba*, vel in dolio suspensa, ejus acorem arcet; tempore fermentationis admista temulentiam promovet.

V. *Species aromaticae; Oleum Origani vulgaris.*

## ORYZA SATIVA.

Сарацинское пшено.

Originitus in Æthiopia, post annum 1696 in Italia, Hispania, Hungaria, Turcomannia, (non supra 47°) sat frequens.

*Cl.* Hexandr. *O.* Digyn. *O. N.* Gramina *L.* Gramineæ J. Annua.
*Usualia sunt:*

Semina, oblonga, farinosa, compresso-convexa, utrinque obtusa, alba, semipellucida, subsulcata.

Q. Mucilaginosa, farinacea, insipida, inolens.

V. Nutritoria; involvens; leviter adstringens.

U. Præter cibarium, in diarrhœa, dysenteria et atonia ventriculi, dato pro re nata, vel *ptisanario Oryzae*, vel *alia forma*, laudatur. Ex eadem quoque et *Alcohol*, (vulgo *Arak* dictum,) paratur.

## OXYCARBONAS PLUMBI.

Plumbum oxydulatum carbonicum, Ph. Bor.; cerussa Ph. Ross.

Углекислая свинцовая окись; свинцовыя бѣлила.

Est *Oxydum Plumbi* cum *Acido carbonico* conjunctum, quod ex fabricis Batavorum, Britannorum et Germanorum comparatur. Apud nos vero Jaroslaviæ e *Plumbo lamellato*, vaporibus *acidorum vegetabilium* exposito, conficitur. Eligatur niveæ albedinis, ponderosus, sub forma lamellarum friabilium et facile, in pulverem, si teratur, tenuandarum, (*Cerussa* in *lamellis*, seu *Armentum album*, seu *Schiefera alba*, Бѣлилы,) qui plerumque, dummodo habeat adhuc formam adhibiti *metalli*, sincerior est illo, sub forma conulorum prostante, plerumque Veneto vel Belgico, sæpe *Creta* adulterato, gravitatis minoris, coloris impuri. Usui pharmaceutico aptior et sincerior obtineri potest, dum *Plumbi Oxydum* ex *solutione* in *Acido nitrico* præcipitatur. *Carbonate Calcariae*, *Oxycarbonas Plumbi* in laminis quoque, etsi cum hoc id rarius, quam cum altero fiat, *terris* variis albis, ex. gr. *Alabastro*, *Alumina*; *Sulphate Barytae* etc, inquinatus esse potest, dum simul cum illis lævigetur, et postea *mucilaginis* ope iterum in lamellas formetur, quod tum levitate minorique albedine ejus, tum et eo detegitur, quod *Cerussa*

alis in *Aceto* non ex toto solvatur et cum oxydabilibus rebus, igni submissa, hasce *terras*, relinquat. *Creta* admista *Acido muriatico*, quo facile extrahitur, inveniri potest, vel redacto in metallicam formam *Plumbo*, ex remanente massa irreducibili, fraus detegitur.

V. Præcipua siccandi ei vis et inflammationes cohibendi, irritabilitatem et sensibilitatem imminuendi.

U. Nonnisi ad usus externos destinatur, præcipue ad siccandas ulceratas, saniosas, excoriatasque, aut *lotio* infantum arrosas partes; ad æstum in ambustis et topicis inflammationibus, mitigandum; sed monemur a prudentibus viris, *praeparationes Plumbi* extrinsecus quoque admotas, fuisse damnosas, hinc neque pro cosmeticis commendandus, quibus Ruthenæ in primis mulierculæ delectantur, adsciticiam formam, adfectantes. Aptius adhibetur ad *emplastra* et *unguenta*, in quibus tamen privatur *Acido carbonico*.

V. *Superacetas Plumbi crystallisatus.*

## OXYCARBONAS ZINCI.

### Oxydum zinci nativum; Lapis calaminaris.

### Углекислая Цинковая окись; Галмей, Цинковый камень.

*Oxydum* cohærens, ponderosum, compactum, potissimum *Oxydo Ferri* inquinatum, cinereum, in luteum, flavum, fuscum, aut rubrum vergens.

V. *Oxycarbonas Zinci praeparatus.*

## OXYDUM ARSENICI ALBUM.

### Arsenicum album Ph. Ross.

### Мышьяковая бѣлая окись; Мышьякъ бѣлый.

Obtinetur in metallurgicis officinis sublimatione sub fusione aut ustulatione aliarum minerarum; præsertim vero *Cobalti.*

Q. Refert autem, (dum purum est,) massam scoriformem,

compactam, albam, (si recens est,) subpellucidam, procedenti vero tempore, opacam, (si diffringatur,) vitri instar nitentem, summe venenatam, *odoris* nullius, *saporis* vero dulciculi, dein acriculi, inflammantis tandem; *ponderis* circiter 5.200, quæ in *aquae bullientis* 15, *frigidae* 80; *Alcoholis* vero, si cum eo coquitur, pariter 80 partibus solvitur. *Solutio* hæc *tincturam faeculae Lichenis Roccellae* (*Heliotropii*) rubro tingit colore; inde *acidis* adnumeratur. Prunis inspersum ad 383° F. avolat forma vaporum canorum, qui *odorem Allii sativi* similem, spargunt. *Metalla* polita, his vaporibus obposita, macula alba inquinantur, laminæ cupreæ candenti imposita particula *Oxydi Arsenici* maculam relinquit nigram, vix delebilem. Centenarius habet *Oxydi Arsenici* partes 75,2 et *Oxygenii* 24,8 (Proust;) additione vero 0,20 partium *oxygenii* (ope *Acidi nitrici*) in *Acidum arsenicicum* convertitur. Cum *Sulphure*, varia in proportione, *Oxydum Arsenci album* jungitur, ac proinde diversas format substantias. Sublimatione cum parca *Sulphuris* quantitate abit in *Arsenicum citrinum*; cum *Sulphuris* 0,10 partibus, *Auripigmentum* (желтый мышьякъ,) cum ejus 0,16 vero partibus, *Realgar*, *Risigallum* (сѣрный мышьякъ) constituit. *Arsenicum rubrum*, (красный мышьякъ,) materia pictoria sat nota, est artefactum, quod a *Realgare* differt majori *Sulphuris* copia et arctiori cohæsione (Niemann.) Cum substantia aliqua *oleosa adiposa*, vel *pulvere carbonum*, igni expositum fortiori, (in tubo vitreo uno extremo clauso (Bostock) *Oxydum Arsenici album* reducitur ex *oxydo* in formam *metallicam*. *Solutio Oxydi Arsenici albi* mixta cum *solutione Subsulphatis Cupri* et *Ammoniae* producit flavescens e viridi præcipitatum, quod est *Arsenici* et *Cupri Oxydum*. Ab *aqua Calcariae* et *Ammonia liquida coloris* albi, a *Hydrosulphureto* autem *Ammoniae* vel *Potassae* (Bergmann) *liquido* et *Aqua hydrosulphurata acidula* citrini coloris præcipitato se prodit. *Aqua* solutum ab instillata *Ammonia liquida* et *Nitrate Argenti liquido* decidit in flavæ massæ forma, (Hume, Roget, Marcet.) Interdum *Oxydum Arsenici album*, (præcipue venale,) in primis ubi in forma *pulveris* venit, *Carbonate Calcariae*, *Sulphate Calca-*

*iae*, vel *Barytae* contaminatur, tum prunis inspersum, non avo- at in totum, uti hoc fit, cum purum est. In residuo hicce *Carbonas Calcariae* per effervescentiam adfusione *Acidi sulphurici* productus, detegitur. *Sulphatis Calcariae* vel *Barytae* præsentiam idem *Acidum sulphuricum* ostendit, dum massa albida, adfuso *Acido*, nullam subit mutationem.

V. Congrua dosi heroica; zooctona, majori corrosiva; escharas citissime producens, partesque duntaxat, quas tangit, rodens, cæteris vero contiguis, illæsis. Generatim vim suam præbiis, in quibus propinatur, debet. Et quidem minima quantitate, v. g. ab $\frac{1}{16}$ vel $\frac{1}{13}$ grani parte *aqua* dilutum, functiones arteriosi systematis in extremis vigorat, diaphoresin producit; quin tamen notabilem sudorem moveat. Majoribus præbiis, v. g ab $\frac{1}{8}$ ad $\frac{1}{5}$ grani partem, spasmodicam vasorum arteriosorum in extremis constrictionem atque febriculosum cum horrore motum, causat, qui, observante HAHNEMANN'o, typo adstringitur, etiam subsequenti die, licet remedium non fuerit propinatum, redeunti, utut debiliori. Si idem præbium continuetur, fit virium fatiscentia, modo in partibus quibusdam, modo in toto notabilis organismo; ægrotus hebescit et apathia quadam laborat; partes extremæ paralysi corripiuntur, musculi flaccescunt, proportio plasticæ lymphæ in sanguine ejusque cohæsio imminuitur, æger lentis detinetur febriculis, quibus dein aquosi pedum tumores, dolores articulares iique gravabiles accedunt cum eruptione quadam cutanea perdurante. Præbium grani unius, aut plurium, *aqua* solutorum, sequitur labiorum, linguæ, palati, faucium, œsophagi, ventriculi et intestinorum ardor, dolor acerbissimus, rosio atque inflammatio ventriculi, in pylori regione et fundo potissimum conspicua, siccitas oris et linguæ, sitis inextinguibilis, præcordiorum oppressiones, nausea, vomitiones frequentissimæ et vehementissimæ primo pituitæ, tum bilis, modo alvi profluvia violentissima, haud raro cruore tincta, crebri singultus, tendinum subsultus, cardiopalmus, spirandi difficultas, deliramenta, repentina corporis intumescentia cum circulo circa os et ocu-

los livido, pulsus celer, debilis, contractus, tremulus irregularis, tandem, ni toxicum e penetralibus corporis exterminetur, aut congrua antidoto, omni festinatione conflictanti succurratur, gangræna et sphacelus ventriculi, intestinorumque perforatio, subsequitur, atque horrendum hocce malorum agmen, ineluctabile fatum claudit, mors, quam epidermidis secessus totiusque corporis putredo insequitur subito, naribus molestissima, casso anima corpore, maculis lividis per omnem superficiem, quasi consito, oculis livore circumfusis, unguibus liventibus et capillis, prima jam mortis die haud raro deciduis, imo partibus nonnullis, et præsertim obscœnis, viridi, luteo, nigro colore fœdatis. Sectio cadaveris offert excoriationem tunicæ villosæ, præsertim versus pylorum et inflammationem membranæ subjacentis sæpius, (non quidem semper,) crassioris (Alibert, Renault.) Apparent puncta rubra ab exsudante cruore pronata et veneficio lentius peracto, stases sanguineæ in aliis visceribus, potissimum in hepate occurrere solent (Metzger.) Corpora hominum, nece *arsenicali* defunctorum, monente Welpero, diu duritiem mumiarum conservare, veterum observationibus ductus cl. Niemann, vix credit. Medentis est cordati, medicamen adeo validum, et haud raro perniciosum, caute et prudenter adhibere, atque in illis duntaxat morbis ad id confugere, qui aliquid istiusmodi ob pervicaciam suam plane requirunt, utcumque decantentur exempla lexipyretam in primis vim ejusdem adtestantia.

U. *Internus. Oxydum Arsenici album*, rite temperatum ac congrua forma porrectum, utile esse censetur in dialeipyris (Fowler, Hunter etc.,) præsertim, si febriens cæteroquin non est debilis, (bonæ constitutionis,) neque chronicis adfectionibus pectoris obnoxius, aut organico laborat vitio. Ut vero prævertantur mala usu ejusdem subinde oriri solita, puta: labefactatio organismi, hydrops, tabes, læsio viscerum et id genus alia, adhibenda sunt remedia individuali irritabilitatis statui adæquata conciliandaque toti organismo energia et harmonia activitatis diversorum organorum. *Oxydum Arsenici album*

in curatione dialeipyrarum omnino aliquo intuitu est remedium commodum, quia nullum aliud, adinstar ejus, ita certe saltem typum supprimit, omnia ergo præstat, quod febrifugum præstare debet, sed diarrhœam non sanat. Anne *Cinchona* eam, præcipue cum effectibus febris, sanare valeat? Eadem, quæ huic, olim *Cinchonae*, objecta sunt, et revera ad Caucasum et in Chersoneso taurica occasio est interdum experiundi et exhibito *cortice Cinchonae*, febrem hecticam, ascitidem et alia gravissima mala suboriri, ast quoniam is eximia facultate roborandi gaudet, hinc in eo typo, qui asthenia solum sustinetur *Oxydo Arsenici albo*, palmam præripit. *Oxydum Arsenici album* in primis locum habere videtur in curatione dialeipyrarum, 1° ubi ob metum status soporosi, aut apoplectici typus breviori tempore supprimendus est, 2° ubi materia febrilis est pertinax, hinc in diathesi præ aliis pituitosa, insignis ejus efficacia. Principalem præterea laudem adquisivit apud nonnullos in dialeipyra quotidiana et tertiana. Verum tamen et *Cinchona* non minus, hoc in casu, præstat; porro tertianæ sunt diversissimæ, prout epidemia est vernalis, autumnalis etc., et prout diathesis earum catarrhalis, biliosa etc., suas quæque methodos exigens. Laudatur etiam in morbis convulsivis, asthmate convulsivo, epilepsia, pertussi. Prodesse dicitur in exanthematibus: elephantiasi, tinea capitis, herpetibus, uti et in cancro (le FEBURE, le COSME, BERNARD.) Morbi syphilitici rebelles, morbi ab *Hydrargyro* producti, paralysis, ulcera desperata, cauto ejus usui, secundum experientias, a cl. SWEDIAUR institutas, cedunt? In Indiis orientalibus adversus hydrophobam rabiem efficaciam exseruisse fertur. In *aqua Rosae* solutum contra hydropem adhiberi potest (SWEDIAUR;) sed ei adcommodatius esse videtur, qui abnormi cordis, arteriarumque energiæ natales debet, haud raro etiam sangvinis detractione, non sine successu (STOLL) curato? *Externus.* Cum *Oleo* tritum, efficax remedium præstat ad morbos quosdam cutaneos, (*Vide: Asiatic researches,*) ulcera phagedænica. Contra carcinoma præcipue faciei COSMUS

et BERNARD cum *Sulphureto Hydrargyri rubro* (*Cinnabari*) *cinere solearum* detritarum ustarum, *resina Dracaenae Draconis* combinant atque portionem, (qua mali ambitus indiget.) pauxillo *aquae*, in *pultem* redactam, ope penicilli, cancri superficiei, crassitie unguis, illinunt atque dein *Boletus igniarius*, vel *vesica bovilla*, aut aliud tegumentum, naturæ remedii accomodatum, fortiter et permanentur comprimens, imponitur. Diebus aliquot elapsis eschara pronata secedit; et ulcus, quod obtexerat, naturali vigore apparens, remediis *saturninis balsamicisque* ad perfectam consolidationem tractatur, facto (non procul ab ulcere) fonticulo et cibo ordinato leniori (THEDEN, SCHNEIDER.) Probatum pariter medicamen est in ganglii curatione, quem ad *scopum* cl. WOULEM, prius parti adfectæ *emplastrum Lyttae*; post vero *Oxydum Arsenici album* applicandum, suadet. *Oxydum Arsenici album* ingreditur etiam arcana quædam, quæ scioli, et multum sibi adrogantes agyrtæ, magna cum procacitate, divenditant.

D. Medentes, vario infortunio, prosperrima pericula evertente, ignotaque vera remedii indole, non parum titubarunt in determinanda recta methodo, *Oxydum Arsenici album*, porrigendi, usque dum cl. viri JACOBI, le FEBURE, ALEXANDER, *solutionem*, in *vehiculo* præprimis *aquoso*, cæteris omnibus formis merito præponendam esse, multiplici experientia, comprobarent. Suasu itaque illorum grana duo ejusdem in libra *aquae* solvuntur, primaque septimana unum, (semuncia) secunda duo, tertia vero tria, unaquaque die cochlearia, cum *syrupo opiato*, sorbentur, subjuncta *diaeta* strictiori et procurata alvi depositione liberiori. Eadem fere docet cl. SWEDIAUR, dum grana duo cum *Sacchari* drachma in *aquae destillatae* bilibra solvi, nec non hujus *solutionis* primo cochlear majus (semunciam) omni mane cum *lacte* dari et gradatim, bis terve de die, jubet. Eadem *solutio* externe, (qualis est,) adhibetur. Usus *Arsenici* in *pulveris* forma nunquam periculi expers haberi debet, quippe qui (pulvis) tenacius villis tunicæ ventriculi adhærescens, deleterium exserit effectum. Ut id impune administrari queat, FOWLER, BRERA aliique

*Alcalia* adjiciunt, (Vide: *Solutionem Arsenitis Potassae*,) horum et *Oxydi Arcenici albi* connubio, neutralisationem, adinstar aliorum *acidorum*, sperantes; recte tamen observante illustri KLAPROTHIO connubium *Alcalium* cum *Acido Arsenici*, *albo* adeo debile est, ut vix aliqua neutralisatio sperari queat, facileque remedium in suas partes discedere (*Oxido* ab *Alcali* separato,) possit. Quamobrem doctissimus vir, loco hujus, provide *Arsenici Sulphuretum* (pari portione *Oxydi Arsenici* et *Sulphuris*, constans,) illo mitius, et propulsandis iisdem malis, adcomodatius, proposuit. Mirum est, quantam *Oxydi Arsenici albi* copiam equi et pisces, sine noxa, devorare possint, a dosi refractissima ad drachmam usque, ex qua (dosi) equi vermibus ventriculi (subinde millenis) laborantes, nullo modo læduntur, e contrario hilares fiunt et curantur (TOLNAY.) Confitendum interim, vehementia, qua vitæ humanæ minitatur, omnibus remediis, quæ Res medicina offert, præire, ejusque usum maxima attentione et circumspectione dignissimum, esse. Quamvis enim nullum detur venenum, quin cauto usu, refracta dosi, contrariis temperatum, in salutem hominum cedere queat, nihilo tamen minus *Oxydo Arsenici albo* cautissime est utendum; nam et felici ab initio eventui, sed doloso, tabida mors successit. Pars ejusdem una in ducentis fere et ultra *aquae* partibus diluta, atque ad guttas tantum triginta de die exhibita, in experimentis STOERCKIANIS febrem hecticam causavit, quam nonnisi emollientissima et lacticinia fugare valuerunt. MONRO memorat observationem DUVALI, Medici Londinensis, qui virum quarta grani parte, quam a circumforaneo agyrta contra dialeipyram accepit, ereptum esse vidit (*Saml. auserles. Abh. f. pr. A.* XIII p. 274,) immo extrinsecus non minus funestos secum ducit effectus, ut in ulceribus (BRODIE) (quam intrinsecus) adhibitum. Ipsi *vapores arsenicales* præcipue venenati deprehensi sunt; pulmones enim lædunt et fossores metallicos frequenter phthisi pulmonali tradunt. Majori, (ut supra allegavimus,) adeoque perquam nociva quantitate, truculentum hocce venenum (præpostero consilio sumtum,)

periculum animali organismo minitatur, et tunc, necesse est, obponantur antidota quædam, quorum sunt celebratissima, quæ ad obtundendam illam vitæ inimicam materiam ejusque ferociam superandam commendantur, nempe: *lac*, aut *meracum* largissimis haustibus epotum, donec nullum amplius vomitum moveat, aut *vitello ovorum*, *butyro insulso*, *oleo amygdalino*, vel alio quodam *pingui* remistum, aut *farina* aliisque *viscidis*, in *pultis lactariae* speciem redactum. Servavit alios *Cremor lactis*, *butyrum insulsum* (FORESTUS,) *amygdalinum* aut aliud dulce recensque *oleum*, alios *mucilagines*, acrimoniam obvolventes, ita cocta cum *seminibus Lini usitatissimi*, *Oryzae sativae*, *Hordei dystichi*, aut *amylo triticino*, *aqua* cum *Opio*; alios *tepida*, plenis haustibus ingurgitata, alios *Subcarbonas Potassae liquidus* (HUFELAND,) guttis quinquaginta singula hora exhibitis. *Solutio* (HAHNEMANNI) *saponacea*, quæ partem *saponis oleosi* et quatuor partes *aquae* habet, atque tepefacta tertio, vel quarto quoque minuto, sumitur, est adcommodatissima; *Hydrosulphuretum* vero (NAVIER) *Potassae* vel *Sodae*, quum tardius agat, minus aptum, attamen commendabile. Ab aliis *Acetum* et *succus pomorum Citri medicae* proponuntur (SAGE,) nisi repugnet *Acidi arsenicosi*, *acidis* indoles adfinis. Videsis præterea: *Carbonem lignarium*. Ægri his remediorum adminiculis letho erepti, valetudine sæpius tentantur, eamque nonnunquam febri hectica, paralysi, aliorumque malorum serie, exasperatam trahunt. Permagni interest probi Medici, non modo virosam atrocissimi *veneni* potentiam nosse atque prævertere, sed etiam veneficos nefarie eo abutentes, publicæ luci exponere. Si oborta *veneficii* vel dolosi, vel culposi quæstione decidendum est de reatu cujuspiam, tum *liquori* subjiciendo examini *Hydrosulphuretum Ammoniae* vel *Potassae* (BERGMANN) *liquidum*, aut *aqua hydrosulphurata acidula* instilletur, tum *Oxydum Arsenici album*, si eo *liquor* vitiatus est, cum *Sulphure* conjunctum, citrino colore (*Auripigmentum*) præcipitatur. Nec inepte hoc probatur ope *Oxydi Cupri*, quocum *Oxydum Arseni album* humida via facile conjungitur, instillata nempe *liquori* vitiato *Subsulphatis Cupri* et *Ammoniae* solutione, decidit flavescens e viridi præ-

cipitatum, quod est *Arsenici* et *Cupri oxydum.* Tutissimum præsentiæ ejusdem signum est, reductio (ejus) ex *oxydo* in formam metallicam, quod ignitione cum rebus *oxygenium* adtrahentibus e. gr. *carbonibus* (in tubo vitreo uno extremo clauso hermetice BOSROCK) fieri potest. Criterium præterea, quo existentia *Oxydi* minutissimarum *Arsenici albi* particularum detegi potest, quamvis particula (*Arsenici*) in quadringentis millibus, partibus *aquae*, solvatur, est sequens, (HUME.) Solve grana decem *Nitratis Argenti* in decem *aquae destillatae* (pondere) partibus, cui adde guttatim *Solutionem Ammoniae*, ut *praecipitatum* formetur, dein opus est, ut id (*praecipitatum*) iterum solvatur et solutio fere transparens reddatur, ita, ut *Ammoniae* excessus non sit, nam solutio *Ammoniae*, utpote levior *aqua*, supernatabit *solutoni* liquidæ, cui eandem adplicare oportebit. Si *liquidum* hoc conti neatur, lagena rite obturaculo vitreo munita, non facile corrumpitur. Adhibetur criterium hoc simplici modo, scilicet: bacillo, vel lamella vitrea, hocce fluido madefacta, in fluidum *Arsenicum* continens, fit immersio, quo facto, illico mutatio (in colorem flavum nitidum) adparet, quo existentia *Arsenici* extra omnem dubii aleam ponetur. Eadem manifestatio fit, *Ammonia liquida* et *solutione Nitratis Argenti*, separatim adhibitis. Quod attinet ad *phosphates*, dum hocce criterium ad *Arsenicum* detegendum usurpatur, modificationes ab ill. MARCETTO propositæ, observatu dignæ sunt.

V. *Solutio Arsenitis Potassae*; *Solutio Arsenici et Nitratis Potassae*; *Unguentum Oxydi Arsenici albi*; — — — *compositum.*

## OXYDUM PLUMBI SEMIVITREUM.

### LITHARGYRUM PH. ROSS.

### Окись свинцовая полуостеклованная; Глетъ.

Est *Plumbum*, tertio *oxydationis* gradu (0,90 *Plumbi* et 0,08 *oxygenii* continens,) quo illud, non modo *oxydatum*; sed et *se-*

*mifusum* est, forma squamularum splendidarum, satis ponderosarum, e rubello flavescentium, unctuosarum, quarum decima fere pars *oxygenii* est; obtinetur in officinis metallurgicis, sub cupellatione Argenti, atque Auri. Inquinatur interdum pulvere *laterum*, quod facile adfuso *Aceto*, in quo solum *oxydum* solvitur, tum et non totali ejus cum *carbonibus* (igne) reductione, detegi potest. *Cuprum*, sæpe venali adhærens, *caeruleo colore* apparente, dum *Ammonia liquida* digeritur, se prodit. Rejiciatur etiam, quod cum *Ammonia* digestum evadit *subcaeruleum*.

V. exsiccans; subadstringens etc.

U. Per se nunquam adhibetur, sed ad *praeparata et compositiones* varias; præsertim vero, dum prius in *pulverem* subtilissimum redactum, in *oleis* expressis soluitur, conficiendis *emplastris* et *unguentis* inservit.

*V. Emplastrum Oxydi Plumbi; — — — saponatum.*

## PAPAVER SOMNIFERUM, — ALBUM *).

### Макъ усыпительный; — Бѣлый.

Planta quinquepedalis, foliis amplexicaulibus, incisis, glaucis, Ægypti et Asiæ meridionalis, Europæ hortensis. *Cl.* Polyandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Rhœadeæ *L.* Papaveraceæ J. Annua. *Usuales sunt:*

Capsulæ *seminales*, sub stigmate persistente, poris dehiscentes, glabræ. Opium, seu *succus* acteus, e pericarpiis maturis vulneratis, effluens, ac dein in *massam gummeo-resinosam*, obscure fuscam, induratus. A *succo* e *capsulis* ope preli ob-

---

*) Distinguunt Botanici duas species: P. somniferum capsulis glabris, foraminibus sub stigmate apertis, foliis amplexicaulibus incisis, et P. album capsulis glabris, foraminibus sub stigmate clausis, fol: amplexicaulibus incisis; ab antecedente differt caulibus altioribus, foliis amplioribus, petalis latioribus et longioribus, capsulis multo majoribus, sub stigmate poris non dehiscentibus seminibusque albidis, aut e canescente albidis, neque cultura immutatis, quae est P. somnifer. var. Lin. P. officinale verum.

tento, vel etiam excocto, atque inspissato, distingui debet. Admiscentur ei *extractum Glycyrrhizae glabrae*, vel et *arena*, primum cum *odore*, *sapore*, *colore*, tum et majori mollitie facile detegitur; secundum trituratione *Opii* cum *aqua*, vel *Alcohole*, ubi *arena* subsidet, statim adparet. Adulteratur etiam *succo* LACTUCÆ VIROSÆ, vel — — SCARIOLÆ, aut *fimo bubulo*; sed *genuinum*, dum frangitur, splendet adinstar *resinae pineo-sylvestris* et post solutionem puniceam præbet *tincturam*. Ex Indiis orientalibus adlatum coctione, vel tostione mutatum, postponendum est *thebaico*, vel *turcico*.

Q. Heroica, a *narcotico* cum *gummeo-resinoso volatili* juncto, derivari posse creditur; sed in quo principium *opii* proximum activum residet, apud Medicos non constat, nec analysi chemica hucusque detegi potuit, forsan vis ejus non ab uno, sed a justo, certo et specifico plurium principiorum proximorum connubio pendet, et pro ratione unionis horum agit. *Odoris* est virosi, tetri; *saporis* amari, açris, nauseabilis. SERRURIERUS nupperrime elicuit ex *Opio* atrocissimum *venenum*, *Acidum* nempe *meconites*, organismum animalem, adinstar *aquae tofanae*, zooctonis viribus infamis, lente, et pedetentim, pessumdans.

V. In centralia præcipue nervei systematis puncta agens; hilaritatis sensu adficiens, gratissimo; actionem vasorum exaltans, hinc siccitatem oris, faucium, obstipationem efficiens; micatus arteriarum pleniores reddens; perspirationem cutaneam, uti etiam pulmonalem augens; geniture secretionem faciens, atque ad sequenda veneris castra stimulans; ast, hæc ejusdem virtus interjectis quatuor vel octo horis, serius, citius, pro ratione præbii, defervescit, atque, si id parvum fuit, subsequitur quidam ad obeunda omnia munia vigor; si vero æquo majus, tum excipit languor, tristitia, morositas, ægritudo animi, ægrique somnolenta demerguntur gravedine. Effectus sedans, longe major est, quam irritans, cui ille subsequitur. Largiori et protracto usu facit maciem, vires frangit, stupo-

rem et apathiam inducit, ita, ut liguritores *Opii* vix in publicum prodire audeant, nisi viribus, novo præbio, restauratis.

U. Nevrantistasibus asthenicis in primis adcommodum est *Opium* et nevroblaciis (astheniis) quibusdam, haud tamen absque, scita causarum dijudicatione. Astheniæ indirectæ aptius est, quam directæ, ita etiam mediæ ætati conducibilius, quam puerili, vel declivi; sthenico autem statui, (adcumulato sanguine in cerebro,) aut musculari debilitati, jacturæ virium post exinanitionem vasorum insignem prægressam, abundanti organismo *Carbonico*, pronitati ejusdem in putredinem, excretioni cuidam criticæ ingruenti etc., omnino alienum. Stimulum in systema nerveum exercendo, sopit nevrantistases quasdam, puta dolores varios, idque, vel energiam adfectorum nervorum augendo, eorumque sensibilitatem minuendo, vel incitationem in centralibus systematis nervosi punctis intendendo. Dum dolores, nevrastheniæ solum, ortum debent, vel cum suppressa secretione, ex. gr. adiapneustia conjuncti sunt, tum *Opio* malum radicaliter tollitur; ast ubi sympathica adfectione consistunt, inducias duntaxat pacisci licet, quo doloris causa, congruis remediorum adminiculis, ægro certius suffecturo, tolli queat; sed tum etsi mitigetur quidem sensifica molestia, ast defervescente remedii potentia, itidem recrudescit, sic radicalis est medela ope *Opii* catarrhalium et rheumaticorum algematum, nevrasthenia subsistente, ex. g. odontalgiæ, otalgiæ etc., vel interne cum *Stibio, radice C. Ipecacuanhae, Camphora* etc., propinati, vel extus, per modum intrimenti, vel admotu, adpliciti; palliativa vero dolorum a calculo urocystidis, cancro, imo ipsius arthrodyniæ etc. Effrænum ischiatici mali dolorem, et quidem eam ejus speciem, quæ in adfecto ischiatico nervo consistit, pacavit Boerhaavius, virtutem *Opii* in se expertus. Nec minus utilis in variis enterodyniæ (præter flatulentam) speciebus, præsertim in connubio aliorum. In *saturnina*, additur *Opio*, *oleum* et *catharticon*; hoc enim, persistente spasmodica interaneorum contractione, ut alvo subducendæ, ita *Plumbo eliminando*, impar erit. In ileo et herniis

incarceratis eadem *eccoproticorum oleique* copula respondisse fertur. Insignis porro *Opii* potentia est in sopiendis convulsivis spasticisque morbis, pure puta asthenicis, nevroblacia cutanea, pallore, difficili respiratione, doloribus etc., stipatis, verum quoniam turbas sæpe insignes excitat, intempestive usurpatum, scire licet, vel minus conducere, vel palliativam tantum curam fieri, dum aliqua adcumulatio, vel sanguinis, vel pituitæ, vel seri, vel corrupti humoris, alias per ulcera, vel fonticulos excerni soliti, vel sordes, vel heterogenea in causa horum malorum sunt. His rite discretis, utilitatem promittit, in singultu, tussi, asthmate spasmodico, hyperemesi, cardiopalmo, spasmodico meteorismo, in convulsionibus a nimia systematis nervosi irritabilitate et sensilitate, vel doloris vehementia, ortis. In epilepsia mere nervosa. In spasmo mandibulæ inferioris, et opisthotono a longioribus ejus dosibus egregios vidit effectus Macaulay, Huch, uti etiam in trismo traumatico Berends; in pertussi Weickard. Scire licet in universum, *Opium* ad perfectam, durabilemque spasmorum sanationem, haud parum conferre, sistendo, et velut abrumpendo pravam consvetudinem, qua iidem inveterascunt sic, ut qui indole, origineque perleves fuere, crebro repetiti, pergraves fiant, ac vix non immedicabiles. Præstans porro est palliativum ad sopiendam nimiam nervorum sensilitatem et dependentem hinc ataxiam, hinc hypochondriacis et hystericis solatium est, dum flatus urgent, unde cardiopalmus, anxietas, asthma, suffocationis sensus, dolores et calores vagi oboriuntur. Præcipua porro ejus vis est, in cohibendis variis profluviis, ita subductis prius cruditatibus, in diarrhœa, dysenteria, (non tamen sine restrictione, quippe quod mitigat quidem symptomata, sed absque stabilitate, et *catharticorum* effectum retardat) vomitu, cholera. In metrorrhagia, doloribus spuriis uteri, abdominis, lumborumque stipata, tum ad abortum præcavendum, tum ad hæmorrhagiam cohibendam, efficax. Mirum est, dolores spurios *Opio* sedari, veros autem inde augeri adeo, ut sæpe puerperio,

ob parvitatem dolorum verorum, retardato, *Opium*, teste PLENCKIO, calcar subdiderit. Valet etiam in lochiis dolorificis, hæmorrhagia ab irritatione locali, aut spasmo, menstruatione dolorifica, blennorrhagia. Stimulum in universum systema nervosum exercendo, in asthenia hujus systematis efficax præsertim cum asthenia cerebri, imminuta peripheriæ cutis et pulmonum actione, complicata. In nervosa asthenia, ut in paralysi asthenica (BURDACH,) concitandæ reactionis ergo, parvis quidem, sed repetitis dosibus, recte datur, nec minus utile in asthenica pyrexia, auctioris irritabilitatis deprimendæ gratia, majoribus sed rarius propinatis dosibus. In typho adhiberi provide et ratio et experientia jubet, nec nisi serioribus ejusdem stadiis, anxietate, pervigilio, doloribus, spasmis, aut alvo cita, stipato, convenit. Febris pure pute nervosa, ob virium dispendium, non facile *Opium* admittit, haud secus, ac in putrida vulgo dicta, ob jacturam *oxygenii*, quam inferret, alienum. In febribus intermittentibus, nervosis symptomatibus, vehemente, concutienteque algore, parvo, tremulo, cito, contractoque pulsu, vomitionibus aut diarrhœa stipatis, recte usurpatur. Secundum experientiam cl. GREGORY, præceptoris æternum venerandi, ingruente calore sicco, *Opium* propinari bonum est, sed neque ante paroxysmum, vel sub horrorem captum, minus respondisse, idem, magnæ auctoritatis vir, adseverat. Cum parva *corticis Cinchonae off.* quantitate adeo proficuum, his esse existimatur, ut nec hydropisin, nec angiemphraxin post se trahat. Sthenicis inflammationibus cum *Submuriate Hydrargyri Stibio* et *Camphora* adcommodatissimum, in phrenitide, angina spasmodica, pneumonitide, gastritide, hepatitide, enteritide, ut quidam viri fama et experientia conspicui volunt, in remediis pollet. Mitigat quoque dolorem et febrem symptomaticam, post vulnera, fracturas, adusta. Multum præstat in necrosi digitorum (POTT,) vehementi dolore et inflammatione aut comitata, aut præcedentibus iisdem, orta, admoto extus *emollienti cataplasmate*, aut *unguento* (PLENCKII suasu) *sambucino*. Laudatur etiam in syphilide præsertim, si eam spa-

smus, ut ischuria, tenesmus, aut dolor vehemens, etiamsi inflammatorius, comitatur. Multoties expertus est ill. Plenckius, *mercurialia* cum *Opio* combinata, securius, efficacius, citiusque contagionem hanc profligare, quam *Hydrargyrum* solum, *Opio*, neutiquam adjutum. Exhibetur quoque ægris operationes chirurgicas majoris momenti subituris ad reddendam eorum tranquillam et hilarem mentem. Ad resolvendos quoque, vel maturandos tumores frigidos, syphiliticæ, scrofulosæ, vel rheumaticæ indolis *emplastris resolventibus;* ab aliis vero, *Nitrati Argenti fuso*, vel *emplastro Lyttae*, ut minus sensifice agat, admiscetur. *Tinctura Opii* in ophthalmia chronica, vel superstite post hanc sensilitate magna, oculo adfecto ad unam, alteramve guttam, instillatur (Warf;) imo etiam cum *aqua*, forma *balnei* oculorum, secudum Demanjon adhibetur *Opium*. Granum *Opii* dimidium, denti carioso dolenti, cum successu inditur. *Emplastrum opiatum*, partibus spasmo contractis, admovetur. Ulceribus dolentibus, aliisque spongiosis, succurritur *Opio* (Grant); nec minus tumori epidydimidis, et testiculorum, aliisque (Fothergill.) — Indicia *Opii* clandestine nefario ausu dati, vel dedita opera, cum impatibilis valetudo odium vitæ fecisset, nimia copia, adsumti, non adeo sunt ambigua et perfacile temulentia cum delirio, sopore, vel et convulsionibus, pruritu cutis, hidrosi *Opium* spirante, facie tumente rubenteque sub pulsu veloci, et dyspnoea produntur, quo in casu, nisi *toxicum* ejiciatur, aut congrua antidoto, omni festinatione conflictanti succurritur, somno is brevi gravatur, in horrendas convulsiones, letheumque soporem, desituro. Hæc simulac adsunt mali ominis indicia, missa omni cunctatione, tentandum, num vomitiones cieri queant. *Aqua*, hunc in finem tepefacta, in qua *butyrum*, vel *oleum* diffluxit, haud neglecta faucium per digitum, sive plumam, *oleo* madefactam, irritatione, vel *Tartrate Stibii* et *Potassae*, vel ventriculo irritabilitate jam orbo, *Sulphate Zinci*, vel pharynge et œsophago spastice contractis, ortaque hinc dyscatabrosi, remedio per canalem *metallicum* in ventriculum dimittendo, propere sub-

veniendum esse censent plerique omnes Medici. Ut sanguinis congestioni ad caput prævertatur, detrahendus is est, aut incisa vena, aut hirudinibus, collo, temporibusque admotis. *Opium* intestinis inhærens, *clystere*, aut *cathartico*, aut *stimulante* injecto, subducatur; plantæ vero pedum, revulsionis causa, vel scopulis fricentur, vel *sinapismo* irritentur. Inter antidota celebratur *Acidum aceticum dilutius* intrinsecus; extus vero eodem frons et tempora madefiant identidem. Ab aliis etiam *radix C. Ipecacuanhae*, *infusum Coffeae arabicae* meracum, *cortex Cinchonae off.*, (tremorem atque debilitatem a protracto longioreque usu *Opii* orta, tollens,) et denique *vinum*, (inducias irrequieto furori, concilians) commendantur.

D. Quantitas præbii pro ratione individui, ætatis, sexus, idiosyncrasiæ, habitus, variarumque circumstantium rerum differt. Effectus ejus stimulantes magis emicant, propinatis sæpius parvis dosibus; anodynæ vero majoribus. Quod de plerisque omnibus valde *stimulantibus*; præsertim vero sic dictis *narcoticis*, intellectum esse volumus, id etiam de *Opio*, i. e. id ab $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{6}$, $\frac{1}{4}$, grani, initio facto, dari debere, atque usque ad granum, quæ quantitas, vix sine noxa, excedit. In chronicis morbis, quibus laborantes, facile adsuefiunt *Opio*, atque in variis sævis, ut tetano, trismo, catalepsi ad scrupulum et ultra propinari potuisse, usu cognitum est. Interdum granum, vel plura, singula semihora, vel hora, repetuntur, atque per vices cum majoribus stimulis, ut *Camphora*, *Moscho*, *aethereis oleis* etc., propinantur; sed hæc augmenta nonnisi per gradus cautissime facienda sunt. Quum datur in pulvere ad faciendam facilius tutiusque æqualem ejus partitionem, cum *Saccharo*, *pulvere Glycyrrhizae gl.*, aut aliis substantiis idem conjungi oportet; cum vero in massa *pilularum* præscribitur, aut in aliquo *electuario*, tum antea solvendum est, aliqua *vini copia*, aut quolibet *syrupo*, vel alio *fluido*, quod præparato congruum est, ut ejus partitio accurata in massis fiat. In spasmodicis morbis, instante plerumque spasmo, aut brevissimo ante ejus accessum intervallo (si quando reditus ejusdem prænosci queat)

umendum esse, magni nominis viri suadent. Adstringentibus, alibus *metallicis*, *Carbonatibus alcalinis*, ut usu cognitum est, raecipitatur *Opium*, hinc, dum his idem addi expedit, modi, uo administretur, ratio habenda.

V. *Clyster opiatus; Gargarisma opiatum; Pulvis Ipecacuanhae opiatus; Tinctura Opii; — — ammoniata; — — campherata; — — crocata; Oleum papavereum; Syrupus opiatus.*

## PHASIANUS GALLUS.

### GALLINA DOMESTICA.

### Курица.

Ubivis in Russia. *Cl.* Aves. *O.* Gallinæ. *Usualia sunt:* OVUM, ALBUMEN *ejus* et VITELLUS, *hujusque* OLEUM; TESTA.

Q. *Albuminis* et *vitelli:* oleosa, mucilaginosa, gelatinosa; *Albumen* est liquidum, limpidum, tenax, inodorum, saporis blandi, glutinosum, cum *Soda*, et *hydrogenio sulphurato* mistum, in *aquae frigidae* decem partibus solubile, ad 160° F. vero, et ab admisto *Alcohole*, *Acidis*, et *Alcalibus* ex solutione in massam coagulatur, duriusculam, insolubilem. Cum *Gelatina* satis congruit, atque pariter nutrit. *Vitellus ovi*, *albumine* densior, massam flavam, opacam, sed minus, quam *albumen* tenuem, refert, saporis est blandi, cum *aqua* tritus dat emulsionem; quæ tamen sponte cito decomponitur. Condensatur coctione, atque ea concretus, *oleum* erogat (*Oleum Ovorum.*) Residuum est *albumen* atque *vitello* plane combusto, paululum *Subphosphatis Calcariae* et *Sodae* expromitur. *Testae ovorum Carbonatem Calcariae* referunt, cum pauxillo *gelatinae* remistum; quæ tamen sub earum calcinatione destruitur.

V. *Ovorum* nutritoria, (salubritas eorum a vario coctionis gradu pendet;) *sorbilium* celerrime nutriens; alvum laxans; solida emolliens; humores acres demulcens; aphrodisiaca. *Testae:* antacida.

U. *Ova recentia* debilibus et macilentis, nec non atrophia

et phthisi laborantibus, maxime conveniunt; minime vero ubi sordes et pituita primarum viarum premit, vel flatulentia urget, aut sub æstu febrili, quoniam pyrosin, ructus rancidos, nauseam, vomitum moverent, vel febrim augerent. Sorbentur vel *cruda* per se, vel *aqua diluta*, vel *sorbilia cocta*; Galenus *ova tremula* febrientibus commendat; sed ea minus idonea sunt; *densata* autem, seu mediocriter *dura*, in quibus mollis *vitellus* duriusculo circumdatur *albumine*, hominibus duntaxat robustis, solidioris alimenti indigis, apta. *Ovum crudum* integrum (*Albumen* cum *Vitello*) in selibra *aquae frigidae* dilutum, et aliquoties de die haustum, in ictero laudatur (Weikart *med. Schrift.* 4. *B. p.* 204.) *Albumen* in variis catarrhalibus adfectionibus, tussi sicca (Loeseke) per se, vel *aqua tepida*, *melle*, *saccharo* remistum, juvat. Nonnullis, qui acido spontaneo laborant, displicet, variaque causat incommoda. In *aqua* solutum filtratumque pro antidoto *Oxymuriatis Hydrargyri* habetur (Orfila.) *Vitellus* plus, quam *albumen*, nutrit, ob *oleum* tamen, quod illi inest, officinæ digestionis infestus. A quibusdam cum *Sacchare*, *oleo*, *vel syrupo* contritus, simili modo, ut *albumen*, in tussi et raucedine, domestica inter remedia, habetur. Unus aut duo *vitelli*, omni mane deglutiti, icteri medela fuere (White,) scilicet sublato biliferorum ductuum spasmo, bilis ad intestinum dodecadactylon promovetur, ubi etiam facta ductuum relaxatione, calculi exiisse perhibentur; nec enterodyniæ, (dura alvo) atrophiæ infantum, rhachitidi alienum remedium. In diarrhœis colliquativis vulgo dictis, cum duabus *mucilaginosi fluidi* unciis, clystere injecto, magnæ utilitatis; *jure* autem *carnis* dilutus tormina a purgantibus *drasticis* compescit. Interdum *unguentis* quoque et *linimentis* admiscetur, faciliorem etiam reddit mistionem *aquosam gummiresinarum*, *oleorum volatilium*, et *Camphorae*. *Oleum ovorum* externe in rhagadibus labrorum, et papillarum mammalium, adustis, excoriationibus etc., laudatur. *Testae ovorum* adinstar *fabarum* torrefactæ, empyreumate, helminthiasi, inimico, vim zooctonam exserunt; in connubio igitur aliorum, e. g. ad

nentem Brugnatellii, *Sulphureti Stanni* (fusione unciarum rium *Stanni* et una *Sulphuris sublimati* confecti) ad semidrachmam in pulvere porrectæ, tæniæ obponi posse existimantur. Videsis. Carbonatem Calcariæ.

D. Propinatur *ovum*, vel per se, vel forma *linctus*, aut *emulsionis*, aut cum *communi*, vel *aromatica* quapiam *aqua*.

## PHELLANDRIUM AQUATICUM.

### Омежникъ; Укропникъ водяной.

Caulis foliorumque ramificationibus divaricatis, in fossis et ad paludes non infrequens. *Cl.* Pentandr. *O.* Digynia. *O. N.* Umbellatæ *L.* Umbelliferæ *J.* Biennis. *Usualia sunt:*

Semina, subaromatica, oblonga, striata, luteo viridia, calyce inæquali stylisque reflexis coronata, a *seminibus Sii latifolii* et *angustifolii*, uti etiam *Cicutae virosae*, in iisdem locis nascentium, cum quibus interdum permutantur, indicatis notis, et odore peculiari mucido, constanter differentia, rite distinguenda. *Semina Sii latifolii* sunt incurva, sub-ovata, sulcato-striata; *Cicutae* vero subrotunda, sulcata.

Q. *Semina* potissimum aromatica, *oleum* destillatione erogantia, stramineum, penetrans, præter id etiam *resinam*, cujus drachmæ tres et grana quinque, libræ eorundem insunt. *Odoris* est cum isto *seminum Ligustici Levistici* et *Angelicae Archangelicae* comparandi; *saporis* leviter aromatici, penetrantis, aliquantum adstrictorio-acris.

V. Nerveum systema irritans, atque ad reactionem sollicitans, in vasa etiam pulmonum cutisque, ita agens, ut secretiones promoveantur, hinc imminutæ, in extremis arteriarum, reproductioni, subveniendo, morbidas secretiones ad normalem statum reducens; leviter narcotica, eaque partibus constitutivis *aethereo-oleosis* subamaricantibus, involutis *pinguedinoso-oleosis* et *mucilaginosis*, nititur; diuretica.

U. In febribus intermittentibus (scrupulum cum *cortice Cincho-*

*nae*, vel *radice Gei urbani* dando), phthisi pneumonica, pituitosa (NIEMANN,) scrofulosa, aut quidem cutaneis eruptionibus retrogradis, ut psora, variolis etc., orta, (addito *Sulphure sublimato, Cetraria islandica,*) hæmoptoica, rheumatico-catarrhali, asthmate convulsivo (LANGE) profuisse, auctores fide digni, casibus prolatis, docuere; ast vix existimem inveteratam phthisin curare posse, nisi molestiis a mala digestione obortis, subvenerint. Inefficaciam ejus in phthisi ulcerosa OBERTEUFFERUS, aliique haud inopes ab existimatione Medici experiundo comprobarunt. Neque adversus ulcera varii generis pertinacia, scorbutica, scrofulosa (addita *decocturae seminum aqua Calcariae,*) etiam cancrosa, fistulosa (SCHNEIDER,) hydrorachitidem, (Spinam bifidam) illaudata. *Herba* recens stramine pro lectis mixta efficax, et certissimum fere contra cimices prædicatur. (LANGE.)

D. *Seminum* semunciam et tantundem, si præsto est, suadente HUFELANDO, *Sacchari lactis* in *pulvere*, in æquas duodecim partes divisa, tertia quaque hora dari expedit, vel cum *lacte* aut *aqua communi* vel *Calcariae* pro *decoctura* partitim per diem. LANGIUS phthisiscenti *pulveris seminum*, quantum cuspide cultri capi posset, mane vesperique obtulit. Aliis ægris per nychthemeron drachmæ duæ vel tres exhibitæ; sed nimia *seminum* ingesta copia, gravitas capitis insignis, temulentia, vertigo, suboritur; hinc minime mirum pro deleterio veneno, gignendis convulsionibus pari, habita fuisse.

V. *Infusum Phellandrii*; *Oleum* —.

## PIMPINELLA ANISUM.

### Бедренецъ анисовой; Анисъ; Ганусъ.

Planta pet. inflexis, stigm. subglobosis, fol. rad. trifidis, incisis, fructibus pubesscentibus, Aegypti, Syriæ, aliarumque regionum orientalium; apud nos colitur copiose. *Cl.* Pentandr. *O.* Digyn. *O. N.* Umbellatæ *L.* Umbelliferæ *J.* Annua. *Usualia sunt:*

SEMINA, pedunculata, ovato-oblonga, ventricosa, striata ex viridi-flavescentia, suaveolentia. Alonensia, quæ et minora et

gratiora sunt, præferri merentur. Sæpius cum frustulis terreis, *colore* et figura, iis similibus, (quod ope *aquae* facile detegitur,) commista, inveniuntur, usui medico, inepta.

Q. In multo *volatili*, (e *seminum* tribus libris, et quidem e cuticula eorundem unciam ejus, et plus elicuit Lewisius) leniter acri *oleo* sita; *saporis semina* sunt dulcescentis, aromatici; *odoris* fragrantis.

V. Leniter nervos stimulans; lactifera; resolvens; expectorans. Columbis præsentaneum venenum (Vogel.)

U. Pulveratorum *seminum* : in enterodynia flatulenta, aut ab *Oxydo Plumbi* aut *Arsenici*, præsertim si malum est chronicum, velut effectus horum considerandum, et tum doses propinantur majores, ut sudor moveatur (Hecker.) In diarrhœa infantum, cum *Magnesia* etc., in ileo addito *oleo P. Anisi* et *Lini* (Hecker,) in pulmonum adfectionibus asthenicis, pituitosis; catarrho sine gravi febri. *Oleum* in myodynia rheumatica, enterodynia, spasmis, paralysi extrinsecus adhibitum valet. Additur etiam evacuantibus *drasticis* ad avertenda eorum incommoda.

D. *Pulveris* scrupulum, semidrachma pro *infusis*, in connubio aliorum; *oleum* a guttis decem ad semidrachmam exhibetur cum *Saccharo*.

V. *Aqua P. Anisi*; *Oleum* — —; *Elaeosaccharum* — —.

## PINUS ABIES.

### Сосна еловая; Ель.

Arbor in borealibus Europæ et Asiæ regionibus usque ad gradum 60 lat. boreal. crescens, foliis solitariis tetragonis, subulatis, mucronatis, lævibus, bifariam versis. *Cl.* Monœcia. *O.* Monadelphia. *O. N.* Coniferæ. *Usuales sunt:*

Turiones, (seu *cymae Abietis*) cylindrici, squamis rhombeis, complanatis, margine repandis, erosis. Resina abiegna, est *succus resinosus* (vulgo *Thus*, a *Thure* veterum, seu *Olibano* distinguendum,) vel sponte, vel inciso

*arboris* trans corticem trunco exsudans, tenax, limpidissimus, brevi in lacrymas, supra vulnus fixas, coiens, siccatus, et tum dein *colorem* aurantiacum, vel rubicundum referens, digitis contrectatus mollescens, ceterum fragilis. Pix abiegna, (vulgo *Burgundica* vel *alba*) est *resina abiegna*, decoctione leni igne in *aqua* rite fusa et dein ex densiori linteo per sacculos, cum expressione, ut a sordibus purgetur, colata. Colophonium, est *resina abiegna*, per se eousque supra ignem servata, donec omnes ejus *aquosae* partes et *aethereo-oleosae* evaporarint, colorem tum diaphana *succineo-aurantiacum* referens, vel eadem ad siccitatem cocta. *Colophonium* hoc e *balsami* quoque, tum *pineo-laricini*, cum *pineo-sylvestris* residuo, dum ad obtinendum *oleum pineo-balsameum* destillationi subjicitur (*Terebinthina* vulgo cocta) fusione hujus supra ignem paratur, et e contra *resina* quoque hic descripta e *Pinu sylvestri* et *Larice* obtinetur.

Q. *Turionum*: resinosa, *sapor* acescens, resinosus, balsamicus; *odor* fragrans. *Resinae abiegnae sapor* gratus, amaricans; *odor* fragrans; *odorem* ea *carbonibus* inspersa ingratum reddit, flamma flagrat vivida, fumante, fuliginosa. *Colophonium*, facile in pulverem flavum conteritur, ad 300° *Fahr.* liquescit; accensum, per se ardet, *Alcohole* fere totum ad $\frac{1}{16}$ $\frac{1}{12}$ residui solvitur, minime vero in *aqua*. *Resina* et *Pix abiegna*, haud secus ac *colophonium*, et *balsamum Pini*, eo differunt, quod *oleo volatili* plus, minusve sint orbata.

V. *Turionum* stimulans; diuretica; diaphoretica; antiscorbutica; *Resinae abiegnae*, leniter stimulans; zooctona; reproductioni favens.

U. *Decocturae abiegnorum Turionum* in scorbuto, (Buchholz) cutisque fœditatibus claret. *Resina abiegna* cum *Sevo* fusa, extrinsecus: lepræ, ichthyotosi (Cullen) cum successu obponitur. *Resina* et *Pix abiegna*, compositionem *unguentorum* et *emplastrorum* subintrant; postremis præsertim, ob facultatem suam adglutinandi, convenit. *Pix abiegna* in pulmonum adfectionibus recte admovetur scopo derivandi, vel inter humeros,

el pectori, nec minus utilis in tussi catarrhali, inque oculorum, et capitis morbis, derivando, curabilibus. Huc etiam pertinet *dropacismus* veterum in tinea capitis. *Fumus fragrantis resinae* cum portione *cerae flavae* æquali mistæ, phthisiscentibus quandoque utilis fuisse fertur; quod tamen caute præstandum. *Colophonium*, in *pulverem* tenuatum, stupæ *Lini*, crassitie semipollicari, inspersum atque *Alcohole* irroratum, tumoribus albis, in genu præcipue, superdatur et simulac siccescit, ex novo, fascia non soluta, madefit *Alcohole*. Idem pulveratum hæmorrhagias etiam topicas sistere posse existimatur.

## PINUS LARIX.

Сосна пріятнопахучая; *Лиственница*.

Arbor foliis fasciculatis deciduis, strobilis ovato-oblongis, squamarum marginibus reflexis, laceris, bracteolis, panduriformibus, in montibus vel alpibus Franco-Galliæ, Helvetiæ Bohemiæ, Hungariæ (Carpathicis;) apud nos vero in Ripheis, (Uralensibus,) inde a Biela fl. usque in septentrionem, itemque per universam Sieveriam oceanotenus et ad Kamtschatcam usque obvia. *Cl.* et *O.* præcedentis. *Usuale est*:

Balsamum pineo-laricinum (*Terebinthina larigna Ph. Ross.*) seu *succus resinoso-oleosus*, vel sponte e *trunco* per *corticem* exsudans, vel copiosius ex *arbore*, binos pedes supra terram, vel altius, a Majo ad autumnum, perterebrata, per canales ligneos, vulneribus inditos, fluens in suppositos urceos. Spissitudine est *syrupi* tenacioris, *coloris* albidi, vel pallide lutei, ceterum clarus, pellucidus, male *Terebinthina veneta*, Терпентинъ Венеціанской, (cum *Balsamum* nostrum neque ex Pistacia Terebintho, apud nos etiam in Tauria meridionali, et Caucaso calidiore, crescente, neque etiam per solos Venetas translatum fuerit,) dictus. Meminisse heic loci juvat *gummi larigni*, quod exustis *Pini Laricis* ad plures a terra pedes, *truncis*, ex inferiori medulla, miro arboris, extus maxime resinosæ, paradoxo, exstillat, siccescens, subrufum

paulo minus glutinosum, quam *gummi Acaciae verae*, gustu subresinosum, sed totum in aqua solubile, quod cl. Rinderus, in officinas Ruthenorum medicamentarias olim recipi voluit. *Balsamum pineo-laricinum*, quisquiliis aliisque heterogeneis inquinatum, cribro transmittitur; vetustum vero, nimis spissum, vel avolante plane *oleo volatili*, siccescens, ut usui interno ineptum, improbatur.

Q. *Balsami pineo-laricini*, æthereo-oleosa. *Odor* gravis, ingratus; *sapor* pungens, amaricans. *Alcohole* est solubile.

V. Ejusdem, quam maxime stimulans; diuretica; urinam violaceo odore imbuens; *gummi* vero *pineo-laricini*, fertur esse nutritoria; antiscorbutica.

U. Organa incitando uropoëtica laudatur in retentione lotii, nevroblacia eorum orta, et vim præcipue in urinæ vias exserendo calculosis profuisse fertur. In blennorrhœa (gleet) caute vis ejus tentanda, ne sub opportunitate inflammationis, majoribus præbiis, hæc oriatur, unaque epididymidem in consensum trahat. In blennorrhagia (vulgo blennorrhœa acuta) præpostero adstringentium usu, importune inhibita, præsidium est in *cereolis*, (*Unguento* e *balsamo pineo-laricino Ceraque* confecto) illitis, atque urinæ itineri inditis. In arthrodynia arthritica in usu fuit, sed heic prout, et in myodynia rheumatica extrinsecus adhibetur. In hydrope a nonnullis laudatur, *oleum* tamen ex eo *destillatum* (*Pineo-laricinum oleum*) præfertur. Friatum una cum *Vitello ovi* vel *mucilaginoso* quopiam, *aquaque* dilutum, et per modum *clysteris* adhibitum a cel. Cullen laudatur, qua efficax contra obstinatam alvi duritiem, remedium. Friatum simul cum *Superacetate Plumbi liquido*, linimentum præbet, quod non medetur quidem aperto carcinomati, sed impedit ne vehementius serpat, et illæsas vitiatis addat partes, odoremque tollit cadaverosum (Gesner *Samml. von Beobacht.*) Opportunum est hoc *balsamum* ob tenacitatem suam ad conterendum subtilissime *Hydrargyrum*. *Gummi larignum* a Vogulis (gente Hunnica; minime vero, ut Schlœtzerus vult, Fennica,) inter cupedias *ciborum* re-

latum, offa monente, esitatur (Pallas;) vix tamen existume longam ejus nutritu senectam tolerari posse. Præter oligotropham ejus virtutem, dentibus firmandis, aptum esse censetur, vique, ut ferunt, antiscorbutica, prodesse posse existimatur.

D. *Balsamum pineo-laricinum* a quinque ad decem guttas datur, sensim adscendendo ad semidrachmam. Contra tæniam spatio bihorii ad sex drachmas ante decubitum exhibitum fuit. (Closs.) Ope *Vitelli ovi*, *mellis*, *Sacchari*, facile in *emulsionem cogitur*; datur quoque in *pilulis*.

V. *Clyster pineo-balsameus*; *Haustus* —; *Oleum pineo-laricinum*.

## PINUS SYLVESTRIS.

### Сосна боровая.

Foliis geminis rigidis primordialibus, solitariis glabris inter arbores Ruthenici Imperii sylvestres vulgatissima utilissimaque. Per omnem latitudinem et longitudinem, excepta arctica plaga, et maxime boreali Sieveriæ angulo, in *Pini Abietis* sodalitio plerumque, crescens, proceritate, ramorumque densitate venerabilis. *Cl.* et *O.* præcedentis. *Usualia sunt*:

Turiones pineo-sylvestres, сосновыя шишки, (male *strobili* vel *coni* dicti) ovato-conici, subgemini, basi rotundati. Balsamum pineo-sylvestre, (*Terebinthina communis Ph. Ross.*,) succus resinoso-oleosus perforatione aut incisione *arboris* obtentus. Hoc calore ignis siccatum, dat Resinam balsami pineo-sylvestris, seu Colophonium. Lente combustis *Pini sylvestris lignis* erogatur *resina empyreumatico oleo* et *acido* prægnans vulgo *Pix* dicta. (Videsis: Oleum pineo-laricinum.) Interdum loco *turionum pineo-sylvestrium*, vel *Abietis foliosae propagines*, vel ejusdem *turiones*, inveniuntur; loco autem *balsami pineo-sylvestris*, *balsamum pineo-piceum*, (*Terebinthina Argentoratensis*) intensiori colore, et amaritudine, distinguendum, porrigitur.

Q. *Turiones pineo-sylvestres*, ejusdem sunt qualitatis, cujus *pineo-atiegni*; *balsamum* vero ejus cum *pineo-laricino* convenit.

V. *Turionum* eadem itidem, quæ *pineo-abiegnorum*; *balsami* extus adhibiti: irritans; reproductioni favens; zooctona.

U. *Turiones pineo-sylvestres*, cocti *melle*, aut *sero lactis* addito, irritant vasa intestinorum capillaria, in cutim simul et urinam agunt; vasa etiam sanguifera, ad vividiorem actionem, majoremque calorem producendum stimulant; hinc primaria eorum laus est in scorbuto (Linnæus,) syphilide (Hirschel,) et diuturnis pectoris morbis; sine febri tamen. Fake ex iis, citra *Humuli Lupuli* additionem *Zythum* paravit, velificantibus per æquora Oceani, adversus scorbutum, proficuum. Ita Sieverii (Sibirici incolæ) tenellas *Pini junioris* summitates et *librum* e summis *ramis*, verno tempore, derasum, in frequenti usu adversus idem malum habent. *Libro* etiam, gustu *citrei corticis* subæmulo, commendabili, pro cupediis utuntur. Laudantur *turiones* in psora (Vogel;) ab aliis autem in arthrodynia et myodynia rheumatica (Waldsmidt Bagliv.) *Succus* sub *cortice* latens vere novo ad solutionem alvi usque suctus expulit ascarides (Rosenstein.) E *cortice* interiori adultiorum *truncorum*, albo, molliori, fibroso, dura, urgente annonæ caritate, necessitas, docuit *panem* conficere Lapones (Linnæus;) ita etiam ad Kamam, ad Wiatkam habitantes (Pallas.) *Balsamum pineo-sylvestre*, prout est impurum, non convenit *interno* usui; *extrinsecus* vero adhibetur per modum *unguenti* ad pus movendum, vel idem, sub asthenico statu, corrigendum. In ulceribus suppuratione curandis, ubi reproductio, vel morbida est, vel tardius æquo procedit, adcommodum est remedium. In vulneribus punctis, laceratis, vel inflammatione erysipelacea stipatis, ita, in nervorum, tendinum, ligamentorum, læsionibus, quidam eidem adjiciunt *Oleum pineo-laricinum*, præcipue in forma *balsami*, (*balsami pineo-sylvestris* libra, *ceræ* et *olei pineo-laricini*, utriusque unciæ duæ,) in apertis pernionibus virtute sua balsamica gangrænam avertit. Tineæ capitis, emollita prius, *oleo pingui*, crusta, admotum, juvat; quatenus eandem detrahit, atque remanentia ulcuscula ad sanationem perducit. Præsente in intestinis puriformi materia, e. g. prægres-

sis diarrhœis, dysenteriis cum *Opio* et *lacte* in *clystere* datur et pro tali *clystere* drachma, vel duæ, imo, pro re nata, semuncia ope *Vitelli ovi* cum *lacte* miscetur. Videsis: Oleum pineo-laricinum.

V. *Alcohol dilutum antiscorbuticum; Decoctura antiscorbutica; Extractum Pini sylvestris; Pilulae piceae; Sapo piceus; Species Pini compositae; Unguentum Picis ceratum; —— sulphuratum; — resinoso-ceratum I; ——— II; — resinosum.*

## PIPER LONGUM.

### Перецъ длинный Индiйскiй.

Planta frutescens, sarmentosa, fol. cordatis, petiolatis, sessilibusque, in Amboina, Iava, Bengala, aliisque Indiæ orientalis regionibus gignitur. *Cl.* Diandr. *O.* Trigyn. *O. N.* Piperitæ *L.* Urticæ *J.* Perennis. *Usuales sunt:*

Fructus, seu *spicae* cum *baccis* immaturis siccatæ, oblongæ, cylindraceæ, amenta repræsentantes. Situ communiter debilitantur, et tum usui medico ineptæ sunt.

Q. Acris, aromatica, in *principio resinoso* et *cinchonino*, alioque illi analogo (Thomson,) residens.

V. Incitans; stomachia; excalfaciens; pituitam salivamque movens; phthiroctona.

U. Indiæ incolis, præcipue Gangaridibus, non modo ad instar condimenti *ciborum*, *pharmacorumque* usu venit; sed etiam in stomachi mucositate, inertia, indeque orta bradypepsia, (hunc in finem *aqua* ab iisdem bibitur, cui immissa fuit larga *fructus Piperis longi* copia,) inflatione, vertigine, et id genus aliis incommodis. Adjicitur quoque ab iisdem *unguentis*, paralysi superandæ, opportunis (Rumph,) iisque, quibus adversus arthrodyniam rheumaticam utuntur (Piso.) Virens *fructus Aceto* congruisque conditus, fercula eorum acceptiora reddit. A nostratibus quibusdam, arthrodyniæ arthriticæ, præcipue vero podagræ retrogradæ paralysique obponitur; extrin-

secus vero relaxationi uvulæ, *sinapismis* etiam quandoque, intendendæ eorum vis ergo, additur.

D. Perraro in pulvere ab octo ad decem grana propinatur. In pituitosa ventriculi atonia in *Vino* diffusum prodest.

V. *Pulvis aromaticus.*

## PIPER NIGRUM.

### Перецъ черный зернистый.

Frutex scandens per insulas orientales spontaneus, in insula Iava copiose cultus. *Cl.* et O. præcedentis. *Usuales sunt:*

Fructus, (seu *baccae*) qui *Piperis nigri* nomine veniunt (перецъ черный) immaturi potius, rotundi, extus rugosi, nigrescentes, intus albidi; qui vero penitus maturuerunt, macerati, externo suo tegmine privati, *album* constituunt *Piper. Piper nigrum*, quod vilioris pretii, virtuteque *albo* inferius, rugis et cortice nigro, dignoscendum.

Q. Resinosa parte, quam *cortex* præprimis continet, acrimonia eidem inhærente, nititur. *Odoris* est peculiaris, non adeo aromatici; *saporis* acerrimi, masticatione os et fauces igneo sensu afficientis.

V. Topice, sub sensu caloris, parum diffuso, irritans; stomacho apta.

U. In languore ventriculi, colluviei primarum viarum pituitosæ, originem debenti, et orta hinc bradypepsia, vertigine, vomituritione, hemicrania, habituali constipatione etc; non spernendus, quapropter additur etiam aliis remediis, a quorum protracto usu labefactatio ventriculi metuenda esset. Alii ob æstum, quem ventriculo in primit, usum restringendum esse, ad curandum ventriculi torporem in senibus existimant. Laudatur etiam in podagra, quæ nec febri stipata est, et labefactata digestione supervenit. A ruricolis contra dialeipyras adhibetur; sed interdum, haud sine ulla noxa; in furorem enim incidit febriens ingurgitatis duobus cochlearibus *piperis* uno haustu sub vigorem mali in febri quartana (Murray.) Cachexiis quoque opponebatur, ita scrofulis, ubi sti-

mulus e re fuit. Aptius masticando prodest in glossoplegia et *cataplasmatibus sinapinis*, intendendæ efficaciæ causa, additur haud inepte. *Condimentum ciborum* usitatissimum. Meminisse heic juvat *fructus Piperis Cubebae*, qui drachma sæpius de die propinata, blennorrhœam citissime curare dicitur.

D. Grana quatuor usque ad duodecim sensim addendo, deglutiri possunt mane vesperique, vel in pulverem tenuantur, atque a granis quinque ad decem, sub nimia nevroblacia, exhibentur. Aliæ eum administrandi formæ exoleverunt.

V. *Pulvis aromaticus*.

## PLUMBUM.

### SATURNUS.

### Свинецъ.

Nativum nullibi, (nam ex insula Maderæ dubium,) sed semper oxydatum, et mineralisatum invenitur, idque præ ceteris, in montibus metalliferis Britanniæ, Saxonum, Herciniæ, Bohemiæ etc., imo etiam apud Ruthenos in Sieveria, in multis Olonecensibus, Uralensibus et Dauriæ mineris, præcipue *Plumbum mineralisatum rubrum* (*Plombe Chromaté*,) *Plumbum miner. viride* (*Plombe phosphaté*) in mineris aureis Æcatherinopolitanis; Berezowiensibus in *Quartzo* et *Gneisso* sociatum etc.

Q. Metallum e cæsio grysei coloris, ponderosum, (ponderis 11, 352) molle, ductile, maxime malleabile; haud tamen elasticum, neque sonorum. Ad aërem e contactu *Acidi carbonici*, vaporibus contenti, oxydulatur, ut superficies in *pulverem* cinereum fatiscat. Igne ante candescentiam ad 206, 4° R. deliquescit, et sub refrigeratione in tetraëdras crystallos coit. Digitis tritum *odorem* peculiarem, *saporemque* metallicum substypticum prodit. Via sicca facile *oxygenium* adtrahit, atque pro ratione quantitatis ejus *oxyda* diversi coloris constituit, ita gryseum, seu *Cinis Saturni*, citrinum seu *Massicot*, fulvum seu *Lythargyrium* rubrum seu *Minium* fuscum, quæ omnia in vitrum pellucidum mellei coloris (*Vitrum Plumbi*) funduntur. *Acida* omnia adficiunt *Plumbum*; sed, si recesseris ab

*Acido nitrico diluto*, quod *Plumbum* penitus solvit, reliqua in *acidulum* duntaxat, aut *hemioxydum* id mutant.

V. *Plumbum oxydulatum*, aut, quod jam *salis* indolem adeptum est, *calorem* ac *carbonicum* adtrahit, solidas partes, vasa absorbentia, et capillaria, nervos etiam organicos, et fibras musculares constringit.

U. Hinc adhibetur ad impetum humorum, contractis cutaneis vasis, reprimendum, æstum nimium mitigandum, secretiones morbosas, et inflammationem topicam cohibendam. Internus *Plumbi* usus est plerumque anceps; persæpe enim in organismum animalem, qualibet receptum via, proprium gignit morbum, sic dictum, enterodyniam plumbeam (colicam saturninam,) quem sequentia concomitantur symptomata: bradypepsia, fastidium ciborum, flatus, ructus acidi dulces, vel et amari, sapor ore peringratus, metallicus, nausea, vomitus, alvi pertinax compressio, vel excrementa dura, quasi combusta, nigra, vel et liquiditas incoërcibilis, enterodynia, et tormina intestinorum cum abdominis intractatione, vel circa umbilicum, qui interiora versus trahitur, dolor; tum accenditur febris, siccitate oris sitique magna, vertigine, tremore artuum, convulsionibus, imo paralysi stipata; cutis fit aspera, luridi vel lividi coloris, æger, (et vasis chyliferis, et glandulis obstructis,) magis magisque macescit, atque demum tabe consumitur. Hinc scire licet, *Plumbum* esse venenum, organismo animali insidias lente struens, ejusque effectus, eo perniciosiores esse, quo agit tectius, esto proinde lex, nonnisi cautissime, et extrinsecus modo in usum vocandum; obortis autem præpostero consilio malis, auxillium in pinguibus *oleis*, *Opio*, *cortice Cinchonae off.*, *Acido sulphurico*, nec non in *Supersulphate Aluminae* et *Potassae*, quærendum esse. Sæpe evenit, præsertim in metropolibus, ut negotiatores turpis lucri desiderio stimulati, in œnopoliis *Plumbum*, in primis vero *Superacetatem ejusdem crystallisatum acidulis vinis*, ut iisdem dulcem impertiant saporem, immisceant, vel etiam, ut *cibi potusve*, præsertim *acidi*, vasis e *Stanno*, *Plumbo* inquinato, confectis, vel eti-

am figulinis, encausto plumbeo, male vitrificato, obductis, per aliquod tempus contenti, partem *metalli* hujus solvant, eoque in *venena* commutentur, quod omnino detegi e re est, fitque optime ope *Aquae hydrosulphuratae acidulae*, quæ admistum *Plumbum* nigro colore præcipitat, vel additione pauxilli *Acidi sulphurici*, quo facto, *Sulphas Plumbi*, sub forma albescentis *pulveris* præcipitatur; si vero adhibeatur *Sulphuretum Potassae* vel *Calcariae*, *praecipitatum Plumbi*, nigrescit.

V. *Oxycarbonas Plumbi*; *Oxydum ejusdem semivitreum*.

## POLYGALA AMARA.

### Истодъ горькій; Многомлечникъ.

Planta flor. cristatis, racemosis, caul. erectiusculis, in montosis, nemorosis crescens. *Cl.* Diadelph. *O.* Octandr. *O. N.* Lomentaceæ *L.* Pediculareæ J. Perennis. *Usualis est:*

Radix fibrosa, fibrillis tenuibus subluteis, ineunte vere cum *foliis* colligenda. Folia, obtusa radicalia, obovata majora. Permutatur cum Polygala vulgari, caulibus procumbentibus, foliis lineari-lanceolatis acutiusculis, tum et *sapore* non amaro distinguibili. Adulteratur etiam Polygono aviculari primo intuitu, jam diverso.

Q. *Radicis:* subdulcis, subamara. *Foliorum sapor* amarulentus, in *resina*, *Alcohole* extrahenda, residet.

V. Leniter stimulans; expectorans, propter copiam *extractivi principii* in musculares fibras cum primis agens.

U. In morbis pulmonum asthenicis, (vasis eorum a debilitate mucum secernentibus,) tussi pituitosa, asthmate, catarrho chronico, phthisi pituitosa, ultima periodo pneumonitidis typhodis, in connubio in primis *Cetrariae islandicae* invaluit. A copia *lactis*, quam animalia habent, dum in pratis hacce planta pascuntur, nomen sortita est (Boërhaave.)

D. *Radicis* pulveratæ a scrupulo ad semidrachmam bis terve; rarius: *decocturae radicis* uncia ad sesquilibram *aquae*

de die, per duas uncias ter, quaterve sumendæ. Doses justo majores facile calorem et febriculam excitant.

V. *Decoctura Polygalae amarae.*

## PRUNUS DOMESTICA.

### Слива обыкновенная.

Arbor in hortis culta, præstantior in australibus Rutheniæ Europææ et Asiaticæ regionibus. *Cl.* Jcosandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Pomaceæ L. Rosaceæ *J. Usualia sunt:*

Fructus, (Чернословъ,) seu drupa oblonga, carnosa, rugosa; ejusque *pulpa.* Fructus immaturi, vel vermibus repleti, uti inepti, rejiciendi; haud secus ac *pulpa Cupro* infecta, quod *ferro* polito detegitur, vel non debitæ consistentiæ. Gummi, (Камедь.)

Q. A principio *mucilaginoso* et *saccharino* derivanda; sapor dulcacidulus. *Fructus Brignolensis* eminet *principio saccharino,* atque dulcedine cum grato acore juncta, *vulgari,* antistat.

V. Nutriens; frigerans; alvum subducens.

U. Febres inflammatoriæ, (*decoctura* e *fructu* parata febrientibus adcommoda,) hepatemphraxis, alvus adstricta (*aqua* cum *fructu, foliisque Cassiae Sennae* infusa dat hunc in finem potionem.) Addito *pulpae Acido tartarico,* obtinetur massa *pulpae fructus Amlicae Indicae* (*Tamarindorum*) analoga, quæ utpote parabilis commode et ubique, merito præfertur illi, majoris dispendii et adulterationi subjectæ, præsertim ubi præscribi eandem oportuerit militaribus præfectis. Pro succedanea quoque *pulpae fructuum Cassiae Fistulae* habetur, ut proinde unius indigeni remedii usu, dispendium duorum exoticorum, tuto vitari queat.

D. A tribus unciis ad selibram decocti fructus cum *foliis Cassiae Sennae, Supertartrate Potassae,* vel *radice Rhei palmati,* addito *aromatè,* et id genus aliis remediorum adminiculis. *Pulpa* a duabus unciis ad tres commode præscribitur in *elec-*

*tuariis*, additis præsertim aliis, si vires remedii intendere placet.

V. *Electuarium Sennae*; *Mucilago Pruni domesticae*; (Videsis Mucilaginem Acaciæ veræ;) *Pulpa prunorum*.

## PRUNUS PADUS.

### Черемха.

Arbor europæa, per Rutheniam septentrionalem vulgatissima, locis præcipue depressis, crescens, floribus racemosis, foliis deciduis, basi subtus biglandulosis. *Cl.* Icosandr. *O.* Monogynia *O. N.* Pomaceæ *L.* Rosaceæ *J. Usualis est:*

Cortex recens. Stratum ejus externum præfertur interno, quoniam istud minus lignosum, et magis resinosum est.

Q. Nititur *acido prussico*, principio *resinoso*, *extractivo amaro* et *scytodepsico*, estque *sapore* aromatico amaro, *nucleos Amygdali amaros*, æmulante, similique *odore* insignis. In sicco similia vestigia remanent.

V. Narcotica; tonica; adstringens; diaphoretica et diuretica. Proxime in nervos abdominales et systema irritabile agit.

U. Dialeipyris subigendis parem esse, haud ambigua nititur fide, adversus quas, tum in Lotharingia, quum etiam in Suecia efficax fuisse perhibetur (Lundmarck.) Fenni *decoctura* ejusdem saturatissima curationem syphilidis moliebantur, experimenta dein curatius exposita, efficaciam ejus ultra probarunt (Björnlund). In adfectionibus syphiliticis lenioribus, ut exanthematibus obscænarum partium, oris, blennorrhœa urethræ, *decoctura* videtur sanationem absolvisse; graviores vero mitigasse; subjuncto autem *Hydrargyro* curationis tempus abbreviatum fuisse. Præter vim, qua in ipsum virus pollet, solatur ægros, qui una cum hoc, inquinamento scorbutico, vel labe concoctionis virium laborant. *Balineis* etiam *e decoctura Pruni Padi* contigit, ut pessima syphilitica symptomata tollerentur, donec subsequa *praeparatorum* e *Hydrargyro* administratione, ægri perfecte convalescerent (Lundmarck). Nu-

perrime *cl.* Brehmerus, aliique, tum Berolinenses, quum Vindobonenses Medici, experimentis curatius factis, evicere, maximo cum fructu exhiberi posse adversus arthrodyniam, myodyniam rheumaticam et paralyticas, quæ has adsequuntur, adfectiones. *Aqua e cortice destillata, nucleorum Amygdali amarorum, odore, saporeque* pollens, lactea est, et dum fortior paratur, *oleo volatili* graviori prægnans, quod ubi separatur, sistit præsentaneum venenum, agitque eadem ratione, ac *Aqua Pruni Laurocerasi*; præstat autem æquabilitate virtutis, cum *cortex* ubique obvius sit; *folia* autem *Pruni Laurocerasi* persæpe siccata adhibeantur, multo debiliora, recentibus. Brehmerus illam in cardialgia utilissimam invenit; Curtius vero Sprengelius auctor est, suasorque, ut drachma ejusdem exhibeatur ad sistendos spasmos doloresque e vis sensiferæ irregulari distributione ortos, insignem exsertura vim etiam in curandis atrabiliariis stasibus abdominis, ramos venæ portarum incitando, spasmosque exinde ortos sedando. Scire licet *corticem praeparataque ex eo*, inflammatorio statui aliena esse.

D. Adversus dialeipyras datur in pulvere ad *Corticis Cinchonae officinalis* modum, et in *electuario*, interdum cum *Muriate Ammoniae depurato*. Pro syphilide paratur *decoctura* e *corticis* sicci vel recentis concisi unciis duabus et *aquae* libris quatuor ad dimidium cocta dein colata. Hujus quotidie libra sex haustibus diversis bibitur. Præbium, pro ratione adfectionis organismi, augeri, vel minui potest. Meminisse juvat: largam dosin cephalalgiam, animi deliquia, vomitum et diarrhœam ciere, imo auctiorem, apoplexiam et subitam mortem illaturam.

V. *Infuso-decoctura Padi.*

## PYRUS MALUS.

### Яблонь.

In Russia præsertim meridionali frequentissima arbor, in sylvis et dumetis spontanea. *Cl.* Icosandr. *O.* Pentagyn. *O. N.* Pomaceæ *L.* Rosaceæ *J.* *Usualis est*:

Fructus, seu pomum.

Q. Sapor dulcis, vel dulcacidus.

V. Eccoprotica; refrigerans.

U. Forma *cataplasmatis*: in ophthalmithide, ulceribus *putridis*. *Decocturae*: in febribus. Succus e *pomis* communibus immaturis, Britannis *Crabs* dictis, expressus, in Anglia sub nomine *Verjus* venumdatur.

V. *Alcohol dilutum; Extractum Ferri pomatum; Pulpa pomorum; Vinum lusitanicum artefactum.*

## QUASSIA EXCELSA.

### Quassia amara.

### Квассія высокая; — горькая.

Arbor procera Indiæ orientalis, Surinami, Jamaicæ et insularum Caribbæarum, externa facie ad *Fraxinum excelsiorem* accedens. *Cl.* Decandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Gruinales *L.* Magnoliæ *J.* Perennis. *Usuale est*:

Lignum, durum, leve, albo flavescens, interne striis tenuibus notatum, cortice ex albo cinereo, fragili tectum, summe amarum. *Infusum* ejus non fucatur *Sulphate Ferri*. Frustula crassiora, cortice tecta, sunt tenuioribus præferenda. *Lignum Rhois Metopii* distinguendum, *cortice* glabro, hinc inde maculis nigris obsesso, hujus *ligni* præterea *infusio Sulphatis Ferri* solutione nigrescit.

Q. Fere inodora; saporis intense et pure amari; *corticis ligni* amarioris.

V. Tonica, quin irritet, adstringat, nauseam moveat, alvumque ducat, hinc ob certos præstitutos fines, ceteris amaris, subinde præferendum remedium. Præterea stomachica, anthelminthica et antiseptica eidem facultas merito adscribitur.

U. Debilitas canalis intestinalis et inde dyspepsia, diarrhœa, dysenteria, pressio ventriculi, enterodynia, nausea, vertigo, debilitas musculorum etc. Hypochondriacis et hystericis, vel ex abusu *spirituosorum* ægrotantibus, præcipuum adfert levamen. Febres intermittentes et remittentes, arthrodynia, enterodynia arthritica, sudores pthisi-

corum fetulenti, hyperesthesia, helminthiasis. Idque aut *decocturae* (melius *infusi*) cum *vino* vel *aqua* triturando, vel *extracti* forma adhibetur. Memoratu dignum, muscas *infuso* eju[s] necari, illudque tutius, quam *Cobaltum* in conclavibus ad ea[s] delendas distribui (NIEMANN).

D. *Pulveris* grana decem; rarius tamen in hac forma. Drachma ad semunciam in libra vel *aquae*, vel *vini* infusa cochleatim, propinatur. *Extractum* forma *misturae*, *pilularum* a quindecim granis ad scrupulum recte datur.

V. *Decoctura Quassiae excelsae*; *Extractum* — —.

## QUERCUS CERRIS.

### Дубъ чернильный.

Frutex orientalis, præsertim in Syria frequens; in Russia vero (observante ill. HABLITZ) copiose crescit in montibus Chersonesi tauricæ, inter Baktschisaray et Inkerman, et in maritimis, ita quoque in Caucaso præsertim ad fluvium Ksani circa Achalgori *). *Cl.* Monœc. *O.* Polyandr. *O. N.* Amentaceæ *L.* et *J.* *Usuales sunt:*

GALLÆ QUERNÆ (*Gallae quercinae Ph. Ross.* чернильные орѣхи,) sunt tumores morbosi foliorum petiolorumque punctura *Cynipis insecti hymenopteri in* QUERCUUM variis speciebus; præcipue vero in QUERCU INFECTORIA (foliis ovato-oblongis, sinuato-dentatis, glaberrimis, deciduis, fructibus longissimis, sessilibus) ut cl. OLIVIER, itinerator fide dignus, adseverat (videsis: *Voyage dans l'empire Ottoman,*) QUERCU AEGILOPE et ESCULO excitati; quæ a Mosula ad Tigrim proveniunt, sunt nigricantis coloris, verrucosæ, nucleo fusco refertæ et imperforatæ, atque pro optimis habentur; viliores vero existimantur Europææ in QUERCU CERRI aut ROBORE repertitiæ, rubicundæ, vel albidæ, foratæ, intus spongiosæ. In usum medicum seligendæ sunt exiguæ molis, ponderosæ,

---

*) Q. Cerris Pall., Ross. 2. p. 4 et ind. taur. Habl. taur. p. 95 est Q. pubescens Lin. ed. Wild. 4. p. 450. Bieberstein fl. taurico-caucas. 2. p. 402.

compactæ, aculeatæ; leves vero porosæ, coloris flavescentis, ejiciendæ. Lapides figuræ *gallarum* a turpilucricupidis iisdem additi, *gallas* reddunt ponderosiores, eoque detegitur fraus.

Q. Eximia, styptica, a copioso *scytodepsico principio*, et *gallico acido*, paucoque *extractivo* (*scytodeps.* $\frac{9}{10}$ et *gallici* $\frac{1}{10}$) repetenda. His admista est *mucilago* et materia evaporatione reddita insolubilis, dein *Calcaria* et materia *salina* (Davy.) Decoctio *gallarum* saturata frigescensque deponit præcipitatum e pallido flavens sat copiosum, quod est purius *Scytodepsicum principium*, vix alio processu, puritate ea, parabile. Sapor valde acerbus, *odor* nullus; masticatæ friabiles, linguam faucesque vehementius constringentes.

V. Adstringens; roborans; alvum comprimens; antiseptica.

U. In dialeipyris (Homberg, Renealm,) in connubio *amarorum*, ex. gr. *Gentianae luteae* (Cullen,) in diarrhœa inveterata; in hæmorrhoide cœca, *unguentum* e *gallis* subtiliter in pulverem tenuatis et *adipe suilla depurata*, aut *butyro*, pari vel majori vehiculi portione (Bell, Cullen,) illinitur, vel si sedes alta in intestino recto est, *infusum gallarum quernarum* saturatum immittitur. *Externa decocturae*, vel *infusi*, instar *epithematis*, vel *injectionis*, admotio, ad relaxatas partes confirmandas, ut in prolapsu uteri, ani, hæmorrhœis, blennorrhœa etc., haud est rara. *Gargarisma* quoque, pro re nata, non alienum. Conficiendo quoque *atramento* peridoneæ sunt *gallae quernae*.

D. Semuncia *gallarum quernarum* decoquitur in *aquae* bilibra ad sesquilibram. Pro usu *interno* a granis decem ad scrupulum in substantia præbetur.

V. *Decoctura gallarum quernarum*; *Clyster adstringens opiatus*.

## QUERCUS ROBUR.

### Дубъ обыкновенный.

Per omnem Russiam temperatam et australiorem passim nemora efficit et arbustim fere ubique provenit, frequens; in maxime borlealibus vero oris naturaliter deficit, licet sata

usque ultra 60 gradum vivat. *Cl.* Monœc. *O.* Polyandr. *O. N* Amentaceæ *L.* et *J.* *Usualia sunt:*

Cortex *ramorum* (корка дубовая) planiusculus, crassitie semipollicari, subligneus, undique cinereus, extus longitudinaliter subfissus, sæpe conspurcatus *lichenibus*. Tenellorum ramorum præfertur. Nuces, seu glandes; folia; cupola glandis, (дубовыя желуди, листы, чашечки желудныя.)

Q. Styptica, a *Cinchona*, minori quantitate *resinoso-aromaticarum* partium, et majore *scytodepsici* distans. *Acidi gallarum* vix adsunt certa vestigia, etsi *tinctura Crotonis* rubro tingatur colore. *Odor* ferre nullus; *sapor* admodum stypticus, acerbitate permistus, cum a junioribus decerpitur ramulis.

V. Adstringens; alvum supprimens; roborans; antiseptica.

U. Lexipyreti nomine a multis celebratus *cortex-quernus*, sed ob nimiam suam adstrictoriam vim, aut parcius, aut in congruo connubio remediorum roborantium *resinoso-aromaticas* partes tenentium, adhibendus. In asthenicis morbis, typho, cinanche atonica, topica relaxatione, metroptosi, relaxatione uvulæ, œdematosis tumoribus, hæmorrhœa, blennorrhœa, gonacrasia, vel pro ratione morbi intrinsecus adhibetur, vel extrinsecus in *vino rubro*, vel *aqua*, forma *fotus*, *injectionis*, *gargarismatis*. In ulceribus putescentibus, carie, *fotus* ex eo, additis *aromaticis*, non est alienus, haud secus ac in gangræna, effectu cacoëtheorum ulcerum, *decoctura* ejusdem concentrata, addito, ni peripheriæ inflammatio obstet, *Alcoholis* tantillo, extus ope spleniorum admota, magnæ est efficaciæ. Prodest etiam eadem in luxationibus a ligamentorum laxitate et manticulæ ortis, in exania, in leucorrhœa muliebri diuturna, tumoribusque pituitosis ex hæmorrhoide cæca. In *pulvere* sacculis lineis conditus, *vino* immersus, atque herniosis, præprimis teneræ ætatulæ, ipsi herniæ superdatus valet, nec minus in abnormi secretione, scrofulis, rachitide, atrophia, vel intrinsecus, vel extus *lotione* administratur. *Glandes tostae* per modum *Cinchonae* præscriptæ adjutabilem præstitisse operam, perhibentur. *Nucleus glandium*, sapore amaro austero-

que, tostus et cum *aqua* decoctus in adenemphraxi et atrophia utilis fuit. Eadem ratio *foliorum* et *cupolae*.

D. In pulverem difficulter tenuatur, ac proinde hæc forma interno usui vix commoda. *Corticis pulverati* uncia in bilibra *aquae* ad libram decoquitur, atque cochleatim sumenda datur. Pro usu externo *decoctura* concentratior commendanda est, ut in gangræna selibra *corticis* cum quatuor libris *aquae* decoquatur ad colaturam bilibræ. *Glandium tostarum* semunciæ adfunditur *aquae fervidae* selibra, vel unciæ octo, pro die.

V. *Decoctura Quercus*; — — *aluminata*; *Clyster adstringens*; — — *opiatus*; *Pulvis Quercus compositus*.

## RHEUM PALMATUM.

### Ревень дланелистный.

Planta *foliis* palmatis, acuminatis, in montibus excelsis Tatariæ Mongolicæ et septentrionalibus Sinensis Imperii provinciis, crescens. *Cl.* Enneandria. *O.* Trigyn. *O. N.* Oleraceæ *L.* Polygoneæ J. Perennis. *Usualis* est:

RADIX recens, magna, carnosa, solidæ texturæ, cortice dilute fusco obtecta; extus autem, resecto eodem, ex luteo aut croceo rubet, intus iisdem coloribus et interdum etiam albido-variegata. PALLASIO teste, e RHEO quoque UNDULATO et—COMPACTO, desumitur. *Radix Rhei rhapontici* eidem interdum supposititia, ramosa est, extus bruna, intus ex albido et subluteo-variegata, non tam ingrati saporis, quam *radix Rhei palmati*, neque amaricantis; sed subdulcis et viscidi. *Radix Rhei undulati* magis est perpendicularis et indivisa. *Pulveris Rhei* loco, *Curcumae longae radicem* fuisse venditam refert SCHAUBIUS. *Radices* segmenta, levia, pallidiora, referentes, teredinem cariemve sentientia, improbantur. *Rheum*, quod a Ruthenis (Ревень Сибирскій) per Kiachtam emporium venit, merito censetur laudatius et plus *scytodepsici* principii, *Oxalatis Calcariae* et *resinae* tenet, suntque frusta oblonga subteretia, vel subplana, dia-

metri latioris, foramine pertusa, *eique*, quod a Batavis Cantone Chinæ australis adportatur, atque plus principii *extractivi* et *acidi gallici* habet, omnino præferendum.

Q. Lutea, *principio extractivo resinoso* multo, *volatili* pauco, *scytodepsico salino* peculiari (*Oxalas Calcariae* ad septimam totius partem) et tantillo *aluminae* et *siliceae* nititur. Eo autem major *Oxalatis Calcariae* obtinetur copia, quo antiquior est *radix*.

V. Roborans, præcipue in musculosa debilitate, in secretiones penetraliter agens, resinosis volatilibus suis partibus, nervosum systema irritans; exsuperante tamen *principio extractivo*, non ita, ut *resinosa*, excalfaciens. Minoribus dosibus, irritando congrue musculos intestinorum, et roborante vi, secretiones canalis intestinalis remorando, peptica, majoribus profusas *succorum entericorum* secretiones atque musculorum intestinalium hypererethismum excitando, alvum subducens.

U. Canalem intestinalem irritando, in colluvie pituitosa prodest, præcipue cum *Muriate Ammoniae*, *Supertartrate Potassae* atque *aromatico-amaris* remediis, ut *radice Amomi Zingiberis* etc., præsertim, si acor adjunctus est, interveniente flatulenta enterodynia, *pulvis* ad scrupulum cum *Magnesia*, *Soda*, aut *floribus M. Chamomillae* prodest, hinc etiam hypochondriacis, hystericis ad juvandam digestionem laudatur *radix Rhei* pulverata cum *cortice fructus Citri Aurantii*, *radice Amomi Zingiberis*, *Sulphate*, aut *Supertartrate Potassae*. In alvifluxibus pituitosis, et in ipso cœliaco morbo, nimis commendatur *radix Rhei* cum *gummi Acaciae verae*, *succo Hyoscyami spissato*, *radice Colombae* et *Elaeosaccharo Cinnamomi*, ipsis infantibus, non adeo teneris, viridibus alvifluxibus, acore ventriculi et dysodontiasi laborantibus, proficua cum *Magnesia*, vel *Subcarbonatis Potassae* tantillo et *Elaeosaccharo Foeniculi*, quin in ipsa rachitide et atrophia infantum non male incipit medela *radice Rhei*, forma *syrupi*, *vel* cum *radice Rubiae Tinctorum*, *bile taurina*, *extractis* quoque *amaris* etc., in *catapotia* rite redacta. In dysenteria sub finem, subductis videlicet cruditatibus, remittente dolore ex inflammatione, utilitatem promittit; infunditur

ſufficienti quantitate *aquae* ad sesquidrachmam cum semidrachma *C. Ipecacuanhae*, addito *gummi Acaciae verae* et *ſyrupo Althaeae*, in dysenteria non adeo febrili, neque enterodynia vehementi, aut tenesmo, stipata. Hæmorrhoidariis etiam, diu conflictatis, pituitæ cursum ex ano habentibus, haud parum levaminis præstat *radix* parvis præbiis, cum *radice Colombae* et *ligno Quassiae excelsae*, conjunctim propinata. Commendatur quoque eadem contra aphthas, uti etiam a Riverio adversus lumbricos et vermina. Infunditur etiam, additis *aromaticis*, *radice Acori Calami*, *Inulae Helenii*, aut *Colombae*, in malis viscerum abdominalium diuturnis. Qui e febribus convalescunt, infirmitate interdum cum alvi obstructione laborant, et tum idonea est *radix* cum *Cinchonae cortice* cocta. Plethoricis, febrientibus, obstipatione sæpe laborantibus et profluviis sanguinis, congestionibusque obnoxiis, aliena est. Extus: *pulvere radicis Rhei p.* diuturna putidula ulcera, quæ a debilitate topica trahuntur, non inepte resperguntur, incitandi ergo.

D. Pulveris, a scrupulo ad duos; minori vero in dosi, aliis *catharticis* recte conjungitur, uti etiam *Submuriati Hydrargyri* etc. Sæpe *aroma* quoque aliquod utiliter *eidem* adjicitur.

V. *Extractum Rhei palmati*; *Infusum* —; *Pilulae* —; *Pulvis Rhei compositus*; — — *et Submuriatis Hydrargyri*; *Tinctura Rhei amara.*

## RHODODENDRON CHRYSANTHUM.

Пьянишникъ; Роза Сибирская подснѣжная; коряцкая Шабина; Кашкара; Келарскъ; Черногривъ; ab incolis vero Camtschatcæ Катакалечь vocitatur.

Planta fruticosa, pulchra, corollis rotatis, irregularibus, aureis, in nivalibus alpibus jugi Sajanensis ad Jeniseum fluvium, in alpibus elatioribus inter Sieveriam et Dauriam, in alpestribus elatioribus ad lacum Baical, in Camtschatca quoque, in insula Beringia, tam in elevatis rupestribus, quam depressis muscosis, ad radices montium et stagna. In alpinis pedali minor, in depressioribus sesquipedalis. *Cl.* Decandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Bicornes *L.* Rhododendra J. *Usuales sunt:*

Stipites, seu *ramuli*, squamis stipulæformibus ferrugineis tecti, *foliis* oblongis, scabris, subtus discoloribus, glabris, venoso-reticulatis, umbellarum terminalium, gemma florifera, ferrugineo-tomentosa. Loco ejus Rhododendron ferrugineum, (quod est foliis glabris, subtus leprosis, corollis infundibuliformibus, et maximum foliis subcuneato-oblongis, coriaceis, glabris, cal. laciniis ovatis, obtusis, cor. subcampanulata,) substitutum fuisse quidam narrant.

Q. A principio *extractivo amaro*, et ut verisimile, *scytodepsico narcoticoque* derivanda. *Odor* siccorum, ad odorem *Rhei* paulum inclinans. *Sapor* austerus cum notabili acritate et amarore, stypticus.

V. Stimulans; narcotica; sudorifica; adstringens, fere instar *Ledi palustris. Baicalense* magis narcoticum; quod vero ad *Lenum* crescit, cathartica magis vi pollet; *Beringense* utriusque expers, esse censetur.

U. Apud accolas Lenæ fluvii, venatores et glaciei mariæ fossores, adhibentur *folia* in *infuso*, adversus arthriticos adfectus ex frigore ortos, quorum secuti exemplum: Kölpinus, Grunerus, Starkius, Thilenius, Metternichius, Pallasius, opposuerunt eadem optato cum successu myodyniæ rheumaticæ, et arthrodyniæ, imo et ostealgiæ syphiliticæ, profuisse feruntur; quin tamen in Dauria, in usum tracta, virus sufflaminarint. Ischiadi esse imparem tollendæ ex singulari casu adnotavit Kölpinus; Pallasius vero virum diu eadem laborantem, sanatum esse (*Flora Rossica. Petropoli.* MDCCLXXXIV.) refert. An tussim et screatus, ex malo pectus occupante, ut quidam volunt, levent, experiundo discere expediet. Sylvicolis Tataris Syanensis jugi accolis, adinstar *foliorum Theae Boheae* quotidiano usu, ut sibi persuadent, salutari, venit. Innotuit Rhododendron jam diu genti regionem Baicalensem inhabitanti, cum somno, ebrietatis sensu, (Gmelin *Flora sibirica.*) et delirii quadam specie, sudores prolici, et alvum liquari: quo facto, non tantum melius se habere, sed sanitati pristinæ restitui ægri soleant. Utilitatis ex applicatione *exter-*

a adsunt nonnulla documenta in crurum ulceribus, rigiditate articulorum post podagras, in tumoribus scirrhosis et cancerati-tis mammarum (Bützow Catherinæpoli,) contractura, paralysi etc. Pulvis in Sieveria, sternutamentorum evocandorum ergo, quum catarrho, vel cephalalgia laborant, naribus adtrahitur, a ruricolis. Rhododendron ferrugineum in paralysi inferiorum extremitatum, forma pulveris ad grana quinque porrectum, ter de die, efficacissimum esse, Hermannus refert. D. Kölpinus olim jussit drachmas duas *ramulorum*, et *foliorum*, unciis novem *aquae calidae*, per viginti quatuor horas in vase obturato digeri, hujus *infusi* mane uncias duas sumi; sed nuper Metternichius sontica phænomena, usum excipientia, ex hac potissimum forma derivans, substituto *foliorum* pulvere, (cujus) grana quinque, semiscrupulum, denique vero integrum scrupulum administravit. Curæ profecto providæ est, *infusum* pro re nata, vel *saturatius*, vel *debilius* adornari, aut dosim minuere, aut, si cephalalgia, anxietates, sudores et id genus alia, urgent, intercapedinem sumendi facere, ad avertendas alias etiam noxas.

V. *Infusum Rhododendri Chrysanthi.*

## RHUS COTINUS.

### Желтникъ; желтое кожевенное деревцо.

Frutex Europæ australis in sylvis atque dumetis, sat communis; in primis vero in Bessarabica provincia Rutheniæ, ubi valachice Дацикъ vocitatur; imo ad Hypanim (Bug) et Hyrgin (Donetz) reperitur; per Tauriam quoque (circa Eski Crym, Bachtschisarai, et Mangut) Caucasumque (in deserto inter Cumam et Török fl. in arenosis tractibus Anketeri et Dubigi) frequens. Commercii ibidem materies. *Cl.* Pentandria. *O.* Trigynia *O. N.* Dumosæ *L.* Terebinthaceæ J. *Usualia sunt:*

Cortex; Folia (simplicia obovata;) Semina.

Q. A principio *scytodepsico*, specifice *balsamico*, derivanda. *Odor* terebinthinaceus; *sapor* amaro-adstringens.

V. Febrifuga; adstringens; tonica; antiseptica.

U. Ab incolis Moldaviæ, Walachiæ et Banatus Hungariæ, pro specifico *lexipyreto* habebatur, et revera in dialeipyris (ZSOLDOS) præcipue in (febri) hæmitritæa efficacissimum esse experimenta testantur; præsertim in (febri) chronica cum leucophlegmatia, aut incipiente hydropisi juncta, omnibus medicaminibus prævalet; quia neque obstipationem, neque citam alvum producit. In splanchemphraxi sub diathesi inflammatoria, saburra et acore primarum viarum præsente, in hæmoptysi et plethora, ab usu ejus abstinendum est. Externe ulceribus gangrænosis et cariei ossium in *pulvere* pro inspersione, in *decoctura* pro injectione anginæ ulcerosæ prodest, inflammatoriæ vero perquam nocet. *Folia*, tum ad paranda turcica *coria*, quum ad imbuenda *fila gossypina*, dein *Rubia* tingenda, sunt usitatissima. Tinctores etiam illam plantam adhibent ad colorem viridem tingendum, unde dicitur *Sumach tinctorum*?

D. *Corticis* pulverati uncia in octo *pulveres* divisa, per diem apyrexiæ cum *Alcohole diluto impuro*, *Vino generoso*, aut *aqua* porrigenda est. *Corticis* uncia (ad duas) pro *decoctura* cum libra *aquae* per $\frac{1}{2}$ horæ decoquenda et per diem porrigenda est. *Folia* duplici quantitate exhibenda sunt. *Extractum* cum *aqua* quapiam *aromatica* (ætherea) porrigitur. Ad augendam vim *Rhois Cotini*, et ad tollendam post *eum* nauseam, aliquando *radix Rhei palmati*, *Sulphas Magnesiae*, *aromatica*, subinde *Opium*, *Hyoscyamus niger*, aliquando *Valeriana officinalis*, *Aristolochia Serpentaria*, *Camphora* etc., subjunguntur.

V. *Extractum Rhois Cotini*.

## ROSA CENTIFOLIA, et ——— GALLICA. L.

Роза столистная блѣдноцвѣтная и красная.

Frutex in hortis hospitatur, cum suis varietatibus numerosis, caule hispido aculeato, pedunculis inermibus. *Cl.* Icosandr. *O.* Polygyn. *O. N.* Senticosæ L. Rosaceæ J. *Usualia sunt:*

Petala (*Rosae Damascenae* et *rubrae flores Ph. Ross.* цвѣты бѣлой и красной Розы,) pallide rubra. *Recentia siccis* fragranti odore antistant.

Q. Leviter styptica, *odor* fragrans, ab *oleo volatili*, de quo *florum* libræ 100, drachmam continent, pendens.

V. Analeptica, (hystericis infensa,) leniter tonica, simulque, adstrictoria.

U. Præcipue cosmeticus; profluvia. Infunduntur quoque cum aliis atque instar *collutorii*, vel *gargarismi* ad vitia oris, fauciumque putredinosa, curanda, nec non ad tonsillitidem, aut anginam dissipandam, usurpantur. Variis etiam *praeparatis* conficiendis, uti etiam ad sistendam hæmorrhagiam aptis, inserviunt.

V. *Aqua Rosae centifoliae*; *Oleum* — —; *Mel rosatum.*

## ROSMARINUS OFFICINALIS.

### Розмаринъ аптечной, или садовой.

Frutex in Russia australi spontaneus, alibi in hortis medicis cultus. *Cl.* Diandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Verticillatæ L. Labiatæ J. *Usualis* est:

Herba, foliis lineari-lanceolatis, sempervirentibus, marginibus revolutis, subtus canis, floribus ringentibus, dilute cœruleis.

Q. Ab *oleo volatili camphorino* est trahenda. *Odor* fragrans; *sapor* fervidus, amarus, aromaticus *Camphoram* redolens.

V. Stimulans; nervina; antispasmodica; menagoga; externe: resolvens.

U. In adfectionibus systematis nervosi variis: debilitate ventriculi, vertigine, paralysi, amnesia, amenorrhœa a quibusdam laudes fert. *Vino* decocta *melle*que mista asthmatis pituitosi exstitit medela (Borell.) Glandularum colli infarctum, apud infantes dissipat *infusum*, vel *decoctura herbae Saccharo* edulcata (Heister.) Nocturnas pollutiones in *theaeformi potu* cum *Tinctura aromatica acidulata* (*sulphurica*) ad noctem sumta, cohibet. In chlorosi cum debilitate vasorum abdomina-

lium et nervorum, celebratur, in diarrhoeis chronicis colliquativis *infusum vinosum* valde profuisse Alibert testatur. Externe *herba* una cum aliis *herbis aromaticis* forma *sacculorum*, et *fomentationum* siccarum, et *Alcohol ejusdem* ad varias humorum stagnationes discutiendas, post contusiones, aut luxationes, cum laude adhibetur. In œdemate chronico et gangræna senili quoque laudatur (Alibert.) *Oleum volatile* (*aethereum*) inter manus tritum et ad oculos propius admotum, refocillare illos visumque acutiorem reddere fertur. *Alcohol* (*Spiritus Rorismarini*) naribus admotum asphycticos refocillat.

D. *Herbae* drachmæ duæ (ad quatuor) cum decem unciis *aquae*, aut *Vini* per diem sumendæ sunt. *Olei* guttæ ad tres pro una vice cum *Saccharo*, aut *Vino* datur.

V. *Oleum Rorismarini officinalis.*

## RUBUS CHAMÆMORUS.

### Малинникъ желтый; Морошка.

Non solum per omnem Rutheniam septentrionalem, Sieveriam, ad littora maris glacialis et in contiguis insulis maxime borealibus, Nova Terra (Новая земля,) circa oppidum Mezeny Archangelopolitani Gubernii et Kolam in paludosis *lichene* abundantibus et æstate vix perviis locis (Тундра,) spontanea, ac copiosissima planta ab arctois gentibus (Lapponibus et Samojedis,) collecta; sed etiam per Lithuaniam in locis lacustribus, turfosis, sylvis paludosis, plus, vel minus, frequens; circa Volgæ vero ortum in hortis colitur. *Cl.* Icosandria. *O.* Polygynia. *O. N.* Senticosæ *L.* Rosaceæ J. Perennis. *Usuales sunt:*

Baccæ (Морошка) nondum satis maturæ, pallide rubræ et subacidæ, post maturationem vero flavæ, *Cerasi* majoris magnitudine, molles, deciduæ, vix acidæ; sed aquosæ, acinis grandioribus, *pisum* fere referentibus. Differunt a Rubo Chamæmoro: Rubus Dalibarda, — arcticus, — saxatilis; *primus* (*Dalibarda repens* Pearson *Syn. pl.*,) stolonibus reptantibus, fol. simplicibus cordatis; *alter* (Княженица,) foliis ternatis; *Saxatilis* (Костяница,) vero foliis ternatis nudis, flagel-

is reptantibus herbaceis, panicula paucifiora. Herba, foliis implicibus lobatis, caule inermi unifloro.

Q. Inodora, aquosa *baccarum*. *Herbae* vires in *resina*, principio *cytodepsico* et *extractivo* sitæ. Siccata est fere *odoris* expers, initio *insipida*; dein vero *sapor*, ex acerbo in dulcem abit, intermixta levi amaritie, diu in ore manens Virtus *baccarum* refrigerans, antiscorbutica; *herbae* diuretica, in urocystidem agens, atoniæ illius occurrens, languentem videlicet muscularem fibram ad contractionem ciens; narcotica.

U. *Baccae* maturæ, tam crudæ, quam conditæ, hominibus *cibum* præbent antiscorbuticum. Hunc in usum, vel *baccae* integræ a Lapponibus et Fennis per hyemem in nive alpium defodiuntur, vel immaturæ in doliis probe clausis superfusa *aqua*, vel perfecte maturæ coctione in formam *roob* redactæ, superadditis reliquis *baccis* integris, submaturis, vel denique acidæ fermentationis ope, variisque aliis modis condiuntur et conservantur; tum pro *acetariis*, quum etiam pro *antiscorbutico* classiariorum usu. Lappones et Samojedi contritas *baccas* Rangiferorum (*Cervi Tarandi*) *lacte* mistas, haud sine delectamento edunt. Varia etiam ex iis *bellaria* conficiuntur. In æstu febrili sitique perfrequens earum usus, proficuæ etiam phthisiscentibus, hæmoptoicis (Linnæus,) nec minus ad coërcendam in scorbutum propensionem valent, quapropter per totam fere Rutheniam in domesticum abiere *antiscorbuticon*, imo in consummato scorbuto pro *panacea* in septentrione habentur. *Herba* commendatur in ischuria e senili urocystidis atonia, forsitan et in enuresi infantum, absente calculo, et vitio spinæ prodesset. In hydropisi, ruricolarum experientia commendari meretur; sed etiam *radix Rubi* a Boërhaavio, hunc in finem impensius laudata erat, eaque cum *melle* cocta, vel cum *Vino rubro*, veteribus pro summo remedio habebatur in hydrope.

D. Drachmæ duæ *herbae* in decem unciis fervefactæ *aquae* per quartam horæ partem infunduntur, ac mane vesperique hæc dosis sumitur. Et *pulvis* et *extractum* tentari

merentur. Scire licet usum *herbae* principiis validioribus, præcipue narcoticis, dotatæ, quasvis, quas validiorum remediorum usus requirit, cautelas etiam exposcere.

## SACCHARUM OFFICINARUM.

### Сахарникъ; Тростникъ сахарный.

In utraque India et Ægypto in locis udis sponte gignitur et copiose colitur, cal. lanugine longa involucrato, coroll. bivalvi, flor. paniculatis, fol. planis. *Cl.* Triandr. *O.* Digyn. *O. N.* Gramina *L.* Gramineæ J. Perenne. *Usuale* est:

Saccharum, seu succus quassatione culmorum graminis expressus, coctione, et despumatione, densatus, flavescens, mucilaginosis particulis, aliisque heterogeneis, scatens, *Mel arundinaceum* Plinii et Galeni; hodie autem Saccharum commune audit, quod repetita denuo in propriis Europæ officinis coctione in aheno cupreo cum *aqua Calcariae*, vel in connubio cum *sanguine bovillo* (quod reprobatur,) vel *albumine ovorum* sub continua motitatione, despumatione, et filtratione denuo per laneos utres, et post novam coctionem et refrigerationem in modulos argillaceos transmissione, Saccharum album sistit; pars vero liquida neutiquam coiens, syrupus melassus, vel Molasses, (gall. *Mélasse*, ruthenice патока) vocitatur. *Saccharum album* repetita denuo decoctione, depuratione et evaporatione, in crystallos coactum, Saccharum candum, constituit, referens, pro varia *ejus* puritate, albas, flavas, aut pullas crystallos. Probæ notæ *Saccharum* est, durum, compactum, albis, pellucidis crystallis, conspicuum, in *aqua* solubile, nec colorem et pelluciditatem solutionis aquosæ *Oxymuriatis Hydrargyri* mutans, nec tritum *Muriate Ammoniae*, odorem volatilem spargens. Summus rerum Arbiter insigni liberalitate, *materie saccharina*, prospexit, elicitur quippe id etiam e *succo crudo* adscendente Acerum maxime Aceris saccharini,—Pseudoplatani—rubri, e quibusdam Juglandibus et Betulis, hunc in finem servit *succus florum*

*Asclepiadis syriacae* Canadensibus; item ZEA MAYS, e BORASSO FLABELLIFORMI colligunt eum Jauani, e COCO NUCIFERA Indostani, imo nec arctoæ gentes destitutæ sunt hocce oblectamento, cujus rei indicio est HERACLEUM SPHONDYLIUM Camtschadalensium cupedia, et FUCUS SACCHARINUS Islandorum delicium. Naturaliter producitur circa nodos BAMBUSÆ ARUNDINACEÆ, in HEDYSARO ALHAGI, in ASCLEPIADE PROCERA, in cujus *foliis* cynipes nidulantes eliciunt *oxydatam mucilaginem*, aëre solisque æstu, congelatam. Huc referuntur *radices Saccharo* fœtæ: *Betae Cyclae,—rubrae, Sisari*, etc., iterum bene multi fructus: *Ficus Caricae, baccae Vitis viniferae, — Rhamni Zizyphi, fructus Ceratoniae Siliquae, Phoenicis dactyliferae, Pruni domesticae*, nec non *Amylum, manna* etc. Inter substituta *Sacchari* illud eminet, quod ex *succo Aceris saccharini* in America septentrionali præcipitatur. Libræ quadraginta hujus *succi*, qui arboribus viginti duorum annorum terebra perforatis, educitur, dant libram *Sacchari, succo, Calcariae, albuminis* et *lactis* ope, clarificato (THOMSON.)

Q. *Saccharum* esse oxydatam *mucilaginem* elucet, quum e cl. GUYTONII analysi, qui in partibus *ejus* substantiæ centenis: *oxygenii* partes 74, *carbonici* 17, et *hydrogenii* 8, detexit, tum e mutatione faciliori cujusvis *vegetabilis mucilaginis in saccharinam substantiam*, si augeatur *oxygenis* ratio, tum e *Sacchari*, si *oxygenio* privetur, facili in *mucum* transitu. *Sapor* salino-dulcis, acceptus.

V. altrix; demulcens; parum irritans; antiseptica. Extrinsecus: leniter stimulans, escharotica.

U. Vulgare est *ciborum* et *potulentorum* bene multorum condimentum, nutrimentum etiam, nec temporis lapsu, nec aëris temperie, subjectum corruptelæ. Tuetur etiam *vegetabilia* contra putorem, ideoque *conditaris*, et *conservis* inservit optime, haud secus ac suavissimum præbet additamen, tum in componendis pluribus medicinis, quarum sæpe unionem promovet, in primis vero efficit, ut misceantur *olea, resinae* et *acria* cum *aqua*, faciliusque in humoribus corporis solvantur, quam-

vis *praeparata*, ut *Saccharum hordeatum*, *penidium* et similia haud immerito *cupediis* potius, quam *remediis* adnumerentur Ob facultatem nutritoriam et leniter aperientem, laudatur in cachexiis et macie; ast in hunc finem præfertur *Saccharum lactis* (сахаръ молочный) quod in Helvetia e *sero lactis* conficitur, magna sistens frusta, crystallis opacis, albidis, conflata quæ septupla *aquae* copia solvuntur, in fermentationem vinosam neutiquam prona. Nec hoc solummodo discrepat a *saccharo* vegetabili; sed eo etiam, quod *acidum galacticum* (*saccholacticum*) et *azoticum* continet: hinc et nutrit, et leniter aperit, et secretiones promovet. In *lacte asinino* ad uncias plures per diem in phthisi pulmonali ulcerosa aliisque cachexiæ speciebus administratur. *Saccharum* solvendi præstantia pituitam, in tussi et asthmate, vias aëreas gravantem, subigit, ac ad screatus disponit. Mirifice id valet adversus promtatem in putredinem, et arcendam, et superandam, quo etiam scorbuto officere videtur, scite enim notatum est Indos, quibus copia ejusdem suppetit, a scorbuto immunes esse (Pringle.) Suasum igitur sagaci consilio, ut velificantibus nautis quotidie aliquid *Sacchari* exhiberetur (Macbride.) Gingivarum etiam marcescenti vitio medelam adtulit (de Lonnes.) Seminium verminosum ab intestinis retinet (Rush;) apte igitur pro puellis *Saccharum*, vel *mel*, commiscetur cum alio quovis congruo *anthelminthico*, et palato infantili gratificaturum, et vermibus exitium, paraturum. Solutio unciæ *Sacchari* in *aquae* frigidæ libra, mane et vesperi sorbillata, cito sedavit enterodyniam pituitoso-nervosam (Niemann.) Externa *Sacchari* admotio variis in morbis eximiæ est efficaciæ. In aphthosis ulceribus dulcia quævis penicillo adfricta, vel *linctus*, sive *collutionis* instar adhibita, prosunt ad eadem mundanda et consolidanda. Crystalli *Sacchari* subtiles inspersæ corrodunt carnem ulcerum luxuriantem, et antiseptica vi eadem emendant; abstergit etiam *aqua saccharata*, syringa auribus injecta, fœtidum earum profluvium mucosum et subpurulentum. Fissuræ papillarum in mammis *Saccharo cando*, tantum eis insperso,

haud raro concrescunt, expedit etiam eas *saccharo* humectare, quod *Alcohole diluto* est solutum (Fielitz.) Tentabatur etiam in cicatriculis, vel maculis corneæ delendis cum successu *Saccharum candum* per calamum scriptorium exiguis portiunculis inflatum. Disparuit ejus ope macula post variolas superstes (Hoffmann.) Corrigit odorem aëris corruptum candentibus *carbonibus* inspersum, hinc et *pulveres fumales* ruditer conquassatum, ingredi solet. In organismis inferioris ordinis, ut in ranis aliisque animalibus, haud sine ulla noxa fertur. Nocet etiam hominibus, vel copia, vel mala opportunitate. Fidem rei faciunt, inter alia documenta Starkii Anglicani experimenta, in illo ipso facta. Est cumprimis infestum virginibus chloroticis, infantibus rachiticis, hypochondriacis, hystericis, in quibus acor, jam antea productus, *Saccharo* novum adipiscitur pabulum. Cariosi etiam inde fiunt dentes, nigrique præcipue, si tegmen vitreum calidis ingestis, vel *Saccharo* duro inter dentes comminuto, rimas egit. *Saccharum* etiam *Acetati Cupri* obponi posse creditur, neque tantum dolorem sopire; sed etiam cetera incommoda ab eodem orta, levare, alvum efficaciter ducere, atque periculum avertere (Orfila.)

D. Vel simpliciter *in pulverem* tenuatum, vel aliis efficacioribus unitum medicinis datur, nec nisi plerumque, ut constituens, vel corrigens ingreditur formulas. *Mel*, et *syrupus Melassus* (pars *succi spissati Sacchari officinalis* incrystallisabilis, сахарная патока) persæpe, ut succedanea, merito eidem subrogantur, præsertim in praxi militari.

V. *Elaeosacchara*, *syrupos*, etc., ingreditur.

## SALIX ALBA.

S. amygdalina, — fragilis, — laurea, — pentandra, — vitellina.

Верьба; Ветла; Ива бѣлая, желтая, ломкая и пр.

Rutheniæ incola, ubivis crescens. *Cl.* Diœcia. *O.* Diandria. *O. N.* Amentaceæ *L.* et J. Arbórea. *Usualis* est:

Cortex ramulorum (Вербная корка) tenuis, lævis, ni-

ſens, externe fuscus, interne pallide-flavens. Decipiens quóque et bigemmis Salix (Hoffmann,) usui medico apta. Detrahitur *cortex ramorum* triennium cum *libro*, vel ante anthesin, vel dum florent, et in locis umbrosis, ne odore balsamico privetur, siccandus est. Crassus vero usui ineptus. (Folia.)

Q. Analysis chemica docuit unciam *corticis* dare *extracti resinosi* drachmas duas et grana quadraginta, *extracti gummosi* drachmam et grana viginti (Gleditsch;) *principii* vero *scytodepsici* præsentiam probat usus *corticum* ad depsenda conficiendaque pretiosa coria; corium enim bubulum ruthenicum (юхmа) et danicum pro chirothecis, bonæ notæ, *corticibus Salicis albae* et *pentandrae* paratur. *Saporem* cortex habet valde austerum, amaro-stypticum, admisto balsamici pauxillo, *odore* perceptibili, quo alias species *cortex Salicis pentandrae* antecellit.

V. Roborans; adstringens; lexipyreta; antiseptica; anthelminthica.

U. Succedaneus functionibus *Cinchonae officinalis*, non est tamen adeo, ut illa contra intermittentes febres valens, nec *Cinchoninum* proprium continet; in vulgaribus tamen probatur, ubi cum *Muriate Ammoniae*, *aromaticis*, aut quarta fere *corticis Cinchonae officinalis* parte, addita, enixius agit. *Quassiae* etiam *Simarubae* ab aliquibus subrogatur; majori tamen exhibita dosi. *Decoctura corticis* pronitati in putredinem resistit, *Acido sulphurico* eadem *acidulata*, luem bovillam, teste Campero, propulsavit. Ubi magna adstringentium præbia e re sunt, in curandis ulceribus gangrænosis flaccidis proficit. *Extractum*, coctione parandum, ad drachmam, aut alteram solutum, in *aqua aromatica* febribus continuis obponitur, jactura virium, humorumque corruptela, malignis. *Foliorum succus* recenter expressus, si cum *adipis suillae* sufficienti quantitate leni calore misceatur, fit *unguentum Salicis*, impuris, scorbuticis, et gangrænosis ulceribus, peridoneum (Hufeland *Armen-Pharmakopöe* 1813.)

D. *Ramulorum cortex*, externe et interne in *pulvere* et *decoctus* exhibetur; utilius tamen, si fuerit viridis. *Pulveris* scru-

‚ulum, drachma, nisi offecerit ventriculo. *Decocturae* semuncia, ;ncia, in sesquilibra *aquae* ad libram decoquendo.

V. *Decoctura Cinchonae succedanea*; — *Salicis composita*; *Extractum Salicis*; *Pulvis Salicis compositus.*

## SALVIA OFFICINALIS.

Шалфей обыкновенный, садовый.

Suffrutex, cor. inæquali, filamentis transverse pedicello affixis, in Ruthenia australi spontaneus; in hortis vero, sub dio hospitans commode. *Cl.* Diandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Verticillatæ *L.* Labiatæ J. Perennis. *Usualia sunt:*

FOLIA (lanceolato-ovata, integra, crenulata,) caulis. Ultra centum dantur *Salviae* species, quæ omnes, vel simili gaudent virtute, vel validiori. Ante florescentiam colligendæ.

Q. In *volatili oleo*, et *adstringenti extractivo* residens. *Odoris* fortis, fragrantis; *saporis* subamari, subadstringentis, maxime, dum nondum effloruit.

V. Leniter incitans; adstringens; menagoga; extus: resolvens.

U. In variis ventriculi incommodis, ut inflatione, enterodynia flatulenta, siti febrili, per modum *Infusi theaeformis* addito *succi Citri medicae*, vel *baccarum Vaccinii Oxycocci* tantillo, ad jucundum acorem. Ill. VAN SWIETEN commendavit illa adversus nocturnos sudores profusos, qui febres superatas et phthisin comitari solent, in *infuso aqueo*, vel cum *Alcohole*, quem in finem *Aether* quoque *sulphuricus* non inepte adjicitur. *Infusum vinosum* adcommodatius efficaciusque censetur, (*Infuso* contra metrorrhagias frigide propinato, juvat.) quod etiam tumori mammarum ex *lacte* post ablactationem utile esse SWIETEN testatur. Uti nec leucorrhœæ alienum fertur. *Infusum aquosum*, forma *gargarismi*: in angina serosa, relaxatione gingivarum, laxitate uvulæ, veli palatini, ulceribus oris, aphthis etc., utile se præstitit. *Folia* quoque ad roborandas gingivas adhibentur.

D. Grana quindecim, (ad scrupulos duos) in pulvere dantur.

V. *Infusum Salviae officinalis.*

## SAMBUCUS NIGRA.

### Бузина черная; Самвикъ.

Frutex in Russia australi spontaneus, et Petropoli subsistens, foliis pinnatis, foliolis sub-ovatis, serratis, caule arboreo. *Cl.* Pentandria *O.* Trigynia *O. N.* Dumosæ *L.* Caprifolia *J.* *Usuales sunt:*

Flores calyce 5-partito, corolla 5-fida, cymis quinquepartitis; recentes albescentes; siccati vero flavescentes. Baccæ, recentes ovales, nigræ, umbilico stellato, succosæ, trispermæ, succo rubicundo acidulo-dulci. *Flores* in cribris atque super suspensum linteum siccandi sunt, ne, aut nigredine nauseosi fiant, aut mucore corrupti videantur. Substituuntur illis et admiscentur quandoque *flores Sambuci Ebuli,* (Бузникъ, Селеникъ,) quæ est cymis tripartitis, stipulis foliaceis, ovatis, caule herbaceo, et *Sambuci racemosae,* quæ racemis suis, compositis, ovatis, et caule arboreo, distinguitur. Cortex.

Q. *Odor* fortis, non ingratus; sapor amaricans; *baccae malicum acidum* habent.

V. *Florum* diaphoretica; extus: resolvens. *Succi baccarum expressi:* purgans.

U. *Flores aqua* fervida *infusi*, vulgatissimum laudeque dignissimum exhibent remedium, quo diaphoresis blande promovetur, vires æquabiliter dispensantur, noxæ a perfrictione perfacile concipiendæ, avertuntur, morbilli, scarlatina, erysipelas, aliaque exanthemata, in eruptione torpescentia, vel retrograda incitantur, vel reducuntur. Præterea ob resolvendi vim in repletione pectoris pituitosa, tussi, item sputis peripneumoniacorum hæsitantibus, proficiunt. Externe adhibentur siccati ad tumores discutiendos atque ad molliendam faucium inflammationem. *Cortex interior* efficax est in hydrope, variis chronicis obstructionibus in pulvere a granis decem ad scrupulum, ex *Vino*, vel decoctus. *Baccae* ad tingendas lanas et sericum a Törökiensibus adhibentur.

D. Drachmæ duæ, semuncia, ad libram *aquae* pro *infuso.*

V. *Infusum Sambuci nigrae.*

# SAPO OLEOSUS.

APO ALBUS, HISPANICUS, ALICANTINUS, MASSILIENSIS.

Мыло масляно-содное бѣлое, Гишпанское и пр.

Est massa *Olei olivi* coctura, deterioris plerumque, utpo-e spissi et turbidi in fundo vasorum oleariorum remanentis, ̣um *lixivio Sodae caustico* (quod ex binis *Sodae*, una *Calcariae* ̣arte conficitur,) parata; eaque, si bene confecta, solida est, ̣ec digitorum adtactui sebosa, albicera, vel aëris accessui ex-̣osita pauxillo in subflavidum vergens, superficie, nec deli-̣quescente, neque salinis particulis incrustata, in *Alcohole* et ̣*qua destillata* facile atque paulum residui *Calcarei*, si exce-̣peris, ex toto solubilis, nullo solutioni *oleo* superne inna-̣ante; *aqua* et *Alcohole diluto* agitata bene spumet, nec alca-̣inum, nec rancidulum quiddam sapiat, aut male oleat. Qui ma-̣culis variegat rubicundis ac sublividis, quarum originem auc-̣tores varie trahunt, alii ex *Indigo*, vel *Coccionella*, alii *Auri-pigmento, Oxydo Ferri, Mangano, Sapo venetus* vulgo audit, cui utpote usibus internis inepto *alicantinus* merito præfertur.

U. Interne cum *pilulis* datur, fereque semper cum aliis re-mediis, præcipue *aromaticis*, aut *tonicis*, ut sunt *amara ex-tracta, gummiresina Heraclei gummiferi* etc., conjungitur. Con-nubium *ejusdem* cum *acidis* vetatur. Ad usus externos modo in *aqua simplici* solutus, vel *lacte*, modo in aliis liquoribus et utroque modo, inservit *clysteribus, balneis, ablutionibus, fo-mentis, etc.*

D. Pro adulto est a semiscrupulo ad duos scrupulos, drach-mam. Pro infantibus a duobus granis ad quatuor et ultra pro ratione ætatis, isque, vel in *aqua*, vel in *lacte* solvitur. Dilutum quoque adhiberi expedit, ubi noxii effectus reparandi sunt, quos *acida mineralia, Oxymurias Hydrargyri*, aliaque huius in-dolis *venena*, produxerint.

V. *Alcohol saponatum; Pilulae alliatae; Sapo stibiatus.*

## SAPO SEBACEUS.

### Sapo Vologdensis *Ph. Ross.*

### M. сальное обыкновенное, или Вологодское.

Est massa coquendo *Sevum* cum *Lixivio potassino*, cui tum *M riatis Sodae* portio adjicitur, (ut consequatur firmiorem consiste tiam,) parata. Eligatur albus, firmus, recens, non fœtens, qual apud nos est *Wologdensis*, et qualis in aliis etiam urbibus paratur

V. Siccus si adplicatur, vasa irritat, et cum tempore n bedinem, imo vesiculas producit; forma liquida vero cuti mollem et laxam reddit.

U. Hic *Sapo* nonnisi pro usu externo inservit, (quum a opicificibus non satis purus paretur,) idque per modum *bal nei*, *lotionis*, *fotus*, *suppositorii*, etc., adhibetur, cutim relaxando e spasmodicam constrictionem solvendo, forma *balnei* in exan thematibus, ob id suppressis, ita etiam ad auferendas macu las rubras et cicatrices post exanthemata superstites, et non minus in fœditatibus cutis, ut scabie crustosa, herpete, etc. In surditate ex siccitate, vel ceruminis adcumulatione, vel frustulum *saponis* meatui auditorio imponitur, vel *solutio* ejusdem injicitur. In obstipatione habituali forma *clysteris*, vel etiam *suppositorii* commune et aptum est remedium. Solutus *in aqua*, vel potius in *Alcohole* discutit egregie ecchymoma ex contusione, distorsione etc., (cum partes relaxatas simul corroboret,) sic et tumores frigidos, cysticos et induratos alios, imo albos incipientes; ulcera sordida depurgat; in myodynia rheumatica et arthrodynia multum præstat, præcipue forma *embrocationis* cum *tinctura Lyttae vesicatoriae*, quæ etiam anchylosi spuriæ, imo et paralysi opitulatur, ut stimulum contrarium efficiens adhibetur quoque in angina et aliis internis inflammationibus; *Sapo* denique cum aliis congruis, ut pus maturans remedium, adhibetur in bubonibus, panaritio etc.

V. *Emplastrum Oxydi Plumbi saponatum*; *Linimentum Saponis ammoniatum*; — — *rubefaciens fortius*; *Sapo pineo-oleosus*; *Solutio Saponis*.

## SAPONARIA OFFICINALIS.

Мыльнянька; мыльная трава.

Planta per prata et dumeta Europæ mediæ crescens, in Rus-si etiam perfrequens, cal. monophyllo, nudo; pet. quinque uguiculatis; caps. ablonga, uniloculari, fol. ovato lanceolatis. C. Decandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Caryophyllaceæ. *L.* Caryo-phylleæ. *J.* Perennis. *Usualis* est:

Radix, cylindrica, alte terram subiens, bi vel tripedalis, assitie calami cygnei, sæpe digiti minimi, geniculata, super-e ramosa; ramusculis ad genicula brachiatim oppositis, fibris liformibus prope ramos. Extus rubens; flavescens intrinsecus. *radice Lychnidis dioicae*, ramosa, fibrata, alba, lignosa intus, iodora, saporis subamari, uti etiam a *radicibus Cucubali Be-en*, quæ a rhyzotomis *Saponariae officinalis* loco leguntur, at-ue interdum pro ea venumdantur, characteribus suis probe istinguenda.

Q. Tertia fere ponderis parte *extracti saponacei*, organa gu-tus lacessentis, tum *gummosa* et pauxillo peculiaris *resinae* ni-itur. Spumescit contrita, atque saponaceam indolem præ se ert. *Infusum* videlicet, vel *decoctura radicis* saturatior ex *aqua* acta, quassatione crebra, agitata, *solutionis saponaceae* instar, n spumas abit. Ceterum autem, *odoris* est expers, *sapore* au-em protinus subdulci farinaceo, dein amaricante, palatum vel-licante, *radicem Polygalae Senegae*, æmulante.

V. Saponacea, blande stimulans plexus nerveos abdominis, atque hinc organa contigua; in cutaneam quoque perspiratio-nem et vegetationem nevrasthenia abnormem, agens.

U. In nevroblacia organorum abdominalium laudatur, sic in splanchemphraxi, ut in hepatemphraxi et ictero Boerhaa-vii olim præconia tulit, haud secus ac incipiente hydro-pisi, quæ e jecinoris labe nascitur, expedit; nec spernenda ejus vis in pneumonitide lenta, pituitosa, adhibito simul *Hy-drargyro* et *Opio*, (Sprengel;) in hypochondriasi et atrophia ob vim blande resolventem, datur cum successu. In pulmo-

nes agendo, efficacem se præstitit, teste cl. Tomm adversus pituitosam et catarrhalem tussim. *Radix* tempestive collecta, nec ultra annum, ne vermiculetur, nec aëris injuria lædatur, in apotheca utilis, seu sola, sive in consociatione aliorum, ut *Caricis arenariae* ad præparandam *decocturam* in syphilide inter usum *Hydrargyri* hauriendam; in morbis articularibus ex eodem inquinamento ortis, laudante impensius Bergio, innotuit. Proficit quoque in cutaneis, syphiliticis (morbis,) ubi soluta compage cutis, diaphoresin producit. Ventriculum, si diutius in usum trahatur, debilitare Hornius adseverat. Pro succedaneo *Smylacis Sarsaparillae* habetur a priscis.

D. *Radix* recens, a semuncia, ad duas uncias; sicca vero a drachma ad semunciam, addito grati saporis ergo, *Glycyrrhizae glabrae* tantillo in sufficienti quantitate *aquae* decoquitur. Interdum, pro re nata, *radix Arctii Lappae*, aut *Triciti repentis* conjungitur in adfectibus diuturnis; in levibus autem inflammationibus radix *Polygalae Senegae*. Commode etiam alvus ea eluitur in hypochondriasi, aut infarctibus pituitosis.

## SCILLA MARITIMA.

### Сквилла; морской Лукъ.

Planta Rutheniæ australis, ad littora marium arenosa, copiose etiam crescens in insulis Archipelagi. *Cl.* Hexandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Coronariæ *L.* Asphodeleæ J. Perennis. *Usualis est:*

Radix, (squamæ bulbi siccatæ,) bulbus pyriformis, ponderosus, basi fibrillis distinctus, epidermide ex fusco rubescente tunicatus, squamis extus tenuioribus aridis, intus carnosis latis, consistens. Interiores calore leni siccatæ in officinis asservandæ, speciem cornu aliquantum perlucidi præ se ferunt; oblongæ, longitudine binas uncias æquante, sint tenaces, duræ, ponderosæ, in *pulverem* difficulter redigendæ. Squamæ leves, exsuccæ, insipidæ, fuscæ, ut corruptæ, rejiciantur.

Q. Eximia: *Scilla siccata* principium tenet *acre*, exsiccatione aud parum imminutum, paullum *albuminis succo mucoso* atue *resinoso* juncti; præterea *Subcarbonatem Ammoniae*, *Oxalaem Calcariae*, *Amylum* et principium *amarum*, hinc patet, ualia menstrua sunt, hoc est: *aqua*, *acetum*, *vinum*, *Alcohol*; *aporis* amaricantis, nauseosi, acris; *odoris* est expers.

V. Stimulans, inter persistentes numeranda; in primis vero systema lymphaticum, interspirationis et organa urinifera excitans. Majori dosi vomitum, minori alvum; minima vero lotium movens. Extrinsecus, *radix* recens, rubefaciens, vesicans.

U. Ut stimulans universale in nevrastheniis, paralysibus, apoplexia serosa (clystere cum *aceto* injecto,) ut plexus nerveos abdominis excitans, ictero, chlorosi etc., obponitur. Transpirationem pulmonum intendendo cum *oxymelle* tussi pituitosæ, catarrho asthenico, asthmati spasmodico occurrit. Pulmonibus æquo irritabilioribus, tuberculis pulmonalibus, inflammationi, aut vomicæ aliena est ob stimulum. In renes agendo, nephritidi sabulosæ opem fert, calculosque urocysticos prolicuisse perhibetur. Magni æstimatur in unoquoque hydrope apyreto; præsertim vero ascite, anasarca, et hydrothorace, (non vitio tamen glandularum membranulæ cujusdam, vel auctiori arteriarum actione procreato;) sed neutiquam in saccato, quum colluviem aquosam evacuare inclusam non sit potis. Cum causas hydropiseos tollere nequeat, jungitur *Scilla* congruis remediorum adminiculis, vel causis simul removendis, paribus, vel, quæ singularis hydropicorum conditio exigit, si spasmata culpanda sunt copula C. *Ipecacuanhae*, et *Valerianae off.*, idonea, additis *Aethere*, aut ipsa *Opii tinctura*, si a hyperpractica vasorum energia impetuque sanguinis metuendum est, additur apte: *Supertartras Potassae*, *Submurias Hydrargyri* cum *Opio*, ipsaque interdum *Digitalis purpurea*, si ratio stasium abdominalium infarctuumque habenda: *sapo stibiatus*, *gummiresina Heraclei*, *extracta*: *Tritici repentis*, *Saponariae off.*, *Leontodontos Taraxaci*, *Fumariae off.*, et similium *plantarum* juvant. Cum vehementer agat, ratio dosis et incolumitatis vi-

acerum habenda, si enim largius sumitur, ventriculum, alvumque intemperate movet et subinde tormina, inflammationes intestinorum, ac cruentum lotium parit.

D. *Radicis* (siccatæ) pulveratæ grana duo, sæpius de die ad quinque ad noctem, addito pro re nata, *elaeosaccharo Foeniculi*, *radice Acori Calami*, *Opio*. Non male *Submurias Hydrargyri Opium*que, minoribus cum *Scilla* portionibus, nubuntur. *Camphora* nonnullis, ubi diaphoreseos ratio habenda, arridet, sed ne copula hac nimis exæstuet, mitigatur *Nitrate Potassae*, aut *Supertartrate* ejusdem. In forma *pilularum* aptissime datur in hydrope cum *Submuriate Hydrargyri* et interdum cum pulvere *radicis C. Jalappae* ad noctem. In *infuso* drachmæ duae ad libram *Vini* exhibentur.

V. *Acetum scillites; Mistura scillina; Oxymel scillinum; Pilulae cathartico-diureticae*; — *Scillae*; — — *compositae* I, — — — II; *Syrupus Scillae*; *Tinctura* —; *Vinum scillites*; — — *juniperinum*.

## SECALE CEREALE.

### Рожъ обыкновенная; Жито.

Gramen annuum, glumarum ciliis scabris, in Creta, teste Linnæo spontaneum, in capite bonæ spei, ad Roggeveld (Thunberg) ad circulum arcticum, licet sæpe sterilitate caritateque annonæ colatur, ut in Islandia; at supra; 68° ut in parœcia Sodankyla Lapponiæ Kemensis a sato usque 18 semina maturescit; inprimis vero in Europa temperata ejusdemque montibus australibus bene colitur. *Cl.* Triandr. *O.* Digyn. *O. N.* Gramina *L.* Gramineæ J. *Usualia sunt*:

Semina subcylindrica, uno extremo obtusa, altero, cui corculum oblique insidet, acuta, sulco uno longitudinali cinerascentia, semipellucida. Rubiginem sentientia, aut *Secali corniculato* intermista, quibus spasmodica epidemici morbi, quin sphacelosa labes artuum a quibusdam adscribitur, damnantur.

Q. Farinacea, glutinosa tamen, et perfacile acescens, hinc robustioribus tantum *panis secalinus* convenit.

V. Nutriens panis, fermenti leniter irritans; antiseptica.

U. Puls e *farina secalina*, *aqua* et *insulso butyro* cocta, vel sola, vel cum *lacte caprino* comesta mane per plures septimanas, vel menses in phthiseos initio juvit, in inveterata vero malum mitigavit (Lange,) non minus *secalinum jusculum* profuit, e *farinae Secalis* subtilioris semuncia cum libra *aquae* cocta, omni mane bibitum, subinde conduxit, mane pulte ex *Cetraria islandica* uti vesperique *jusculo secalino* (Bang.) *Farina* sicca calefacta, inflammationes in superficie corporis obvias resolvere, in *cataplasmate* emollire et maturare potest. *Fermentum panis* pro *cataplasmate sinapino* idoneum. *Secale cornutum*, seu *corniculatum*, aut *clavus secalinus* vulgo dictum, est vitium *Secalis cerealis*, quo grana ejusdem ad duplam, vel triplam magnitudinem excrescentia, ungulam avium repræsentant. Ab initio fetente viscidoque obducta sunt muco, qui dum exsiccatur ab aëris adflatu, in *pulverem* fatiscit inodorum, violaceum, aut nigrescentem. *Saporem* hæc grana, quorum nunquam omnia; sed nonnisi duo, tria, quinque, rarius septem, vel ad summum duodecim, in eadem degenerare observantur, spica, produnt ab initio dulcem, serius vero in acrem urentemque, transeuntem. Farina e degeneribus *frumenti* granis parata, cærulescentis, aut subcinerei est coloris, ingratum spargens *foetorem*, et si *aqua* lavetur, intolerabilem. Genesi *Secalis corniculati* favere existimatur æstas humida, eademque frigida in regionibus præcipue frigidioribus; a quibusdam vero Medicis, ut Lentino, Schrœdero, Langio pro producto insectorum habetur. In provincia Italiæ Sologniensi creberrime observatur. *Semina* hæc vitiosa testibus le Sage, Nebel, Lange, Tissot, Stephanowitz Dontzow (Описаніе о черныхъ рожкахъ, причиняющихъ корчи, и помертвеніе членовъ С. Петерб. 1797 года,) si sunt recentia, magnaque copia *farri* admista, præsentaneum sistunt venenum, raphaniam (convulsionem cerealem) producens, re-

fragantibus aliis, puta: Schlegero, Leidenfrostio, Modelo, Eschenbachio, Titio etc., qui noxiferas eorumdem vires in dubium vocare connisi sunt, imo Lonicerus) (*Vollstaend. Kräuterbuch Frankfurt*, 1573 a. th.) eadem, qua remedium adversus hystericas adfectiones egregium, a vetulis fuisse adhibitum cum successu, refert. Alii efficaciam eorundem pulveratorum experti sunt, in menstruis mulierum largius æquo profluentibus, aut in metrorrhagia puerperali, propinato tertia quaque hora, scrupulo. Medentis est remedium hocce adeo ambiguum, caute et prudenter administrare; tempore graviditatis vix ac ne vix quidem concedendum.

V. *Alcohol dilutum*; *Cataplasma acetatum*; — *maturans* III; — *Secalis muriatum* I. — — — II.

## SESAMUM ORIENTALE.

### Кунжутъ восточный.

Planta in Ægypto, Zeylona, Malabaria etc., sponte proveniens. In australibus Ruthenіæ oris cultura viget. *Cl.* Didynam. *O.* Angiosperm. *O. N.* Luridæ *L.* Bignoniæ J. Annua. *Usualia sunt:*

Semina, subovata, flava, dulcia, quæ cœli intemperie carbunculantur, fiuntque cassa et inania, rejiciuntur. Folia.

Q. Oleoso-mucilaginosa.

V. Nutritoria; resolvens.

U. Antiquitus apud Ægyptios *cibi* genus fuit (Alpin;) in Jamaica vero adhucdum *juscula* et *placentas* ingrediuntur (Browne.) *Folia* ab ægyptiis resolvendi scopo adhibentur, decocta fotu ophthalmias dissipare feruntur, imo etiam in pectoris morbis, amenorrhœa, pro *clystere emolliente*, atque ad varia cutis vitia detergenda, adhibentur, *emplastrum* etiam paratur, ex *herba*, *seminibus* et *melle* ad scirrhos resolvendos, et suppurationem accelerandam (Alpin.)

V. *Oleum sesaminum*; *Haustus saponatus*.

## SINAPIS NIGRA.

### Горчица черная.

In australi Russia sponte crescens, et copiose in hortis colitur, siliquis glabris tetragonis racemo adpressis. *Cl.* Tetradyn. *O.* Siliquosa. *O. N.* Siliquosæ *L.* Cruciferæ J. Annua. *Usualia sunt*:

Semina, (Горчичное сѣмя) parva, rotunda, subcompressa, striis concentricis notata, fusca, vel nigrescentia, eorumque *farina*, cum *Sinapi alba*, debiliori, permutantur.

Q. *Principio acri*, *oleo*que *volatili* (*aethereo*,) quod in *cortice seminum* residet, nititur.

V. Stimulans, salivam proritans, peptica, majori dosi emetica; minori vero diuretica; extrinsecus: rubefaciens, cutim phlogosi perfundens.

U. Suetissimum est eduliorum; in primis vero *carnium piscium*que, ad intinctus *condimentum*, e *farina oleo* orbata præparatum, quod acredine sua nares, ori inditum, titillat, lacrymasque excit; hoc tamen *embammate* crebro uti alienum est. Nevroblaciis cumprimis idoneum stimulans, sic scorbuto (semina trita et *vino* mista,) hydropisi, asthmati pituitoso, dialeipyris, paralysi profuisse magnæ existimationis Clinici testantur. Apoplecticis, *farinam* addito *aquae* tantillo, majori in dosi propinatam, vomitiones (irritis aliis *vomificiis*) provocando, auxilio fuisse, certum est. Extrinsecus: myodynia asthenica, variæque aliæ nevroblaciæ, ut paralysis, in primis linguæ etc., præcipue, sub *epispastici cataplasmatis*, *lotionisque* forma, tuto curantur. *Balnea* etiam e *seminibus* confecta cephalalgiam, odontalgiam, a causa rheumatica arthriticaque ortam, juvant; intus vero ingesta, jejuno stomacho, vertigines removent, senili debilitate, productas. *Pediluviis* stimulum addunt.

D. *Seminum* integrorum drachmæ duæ, ad semunciam, subinde in *pulvere*; sæpius in *infusione* in *aqua*, vel *sero*, idque a semuncia ad unciam, præscribuntur.

V. *Cataplasma sinapinum*; — — *acerrimum*; — — *acre*; *Oleum sinapinum*; *Serum lactis* —.

## SISYMBRIUM NASTURTIUM.

**Гулявникъ; Жеруха водяная; Рыжуха.**

Planta ad rivos et scaturigines spontanea, per hyemem totam virens. *Cl.* Tetradyn. *O.* Siliquos. *O. N.* Siliquosæ *L.* Cruciferæ *J.* Perennis. *Usuales sunt:*

Herba *recens,* (*Nasturtii aquatici Ph. Ross.*) siliquis dehiscentibus, valvulis rectiusculis, declinatis, cal. et cor. patentibus, fol. pinnatis, foliol. subcordatis. succus expressus. Permiscetur cum Cardamine pratensi, cujus siliqua est valvulis revolutis, cal. subhians, glandula utrinque solitaria, inter stamina breviora et calycem, folior. pinnatorum foliol. radicalibus subrotundis, caulinis lineari-lanceolatis.

Q. A *principio acri* derivanda. *Saporem* habet acrem, subamarum; trita pungentem spargit *odorem.*

V. Leniter stimulans; diuretica; antiscorbutica.

U. *Succus expressus,* qui *Saccharo* in *conservam* apte mutatur, ventriculum visceraque abdominis incitat, *stases* resolvit, quapropter in splanchemphraxi et scorbuto efficax. Fœditates etiam cutis profligat.

D. *Succi* unciæ duæ, (diutius in usum trahendo,) dantur.

V. *Succus Cochleariae compositus.*

## SOLANUM DULCAMARA.

**Пасленъ сладкогорькій; Псинки;**

Suffrutex scandens, in sylvaticis paludosis Rutheniæ obvius. Ubi deest, per stolones diffusos, radices, dum solum adtingunt, agentes, nullo negotio, propagatur. *Cl.* Pentandr. *O.* Monogyn. *O. N* Solanaceæ *L.* Solaneæ *J.* Perennis. *Usuales sunt:*

Stipites, seu stolones repentes, ramuli biennes, vel triennes, cortice tecti ex cinereo subfusco, primo vere ante productionem foliorum colligendi, siccandi, atque servandi. A *stipitibus Solani nigri,* quos loco illorum Schaub substitutos vidit, probe distinguendi. Folia.

Q. Principio *extractivo, saponaceo,* adscribenda. *Odoris,* dum recentes sunt, singularis, nauseosi, tetri, siccatione aufugi; *saporis* ex dulci amari.

V. In nerveos plexus abdominalis canalis agens, et largiori in primis dosi, nauseam, vomitum, tormina, anxietates, vertiginem producens; in cutem agendo, sudorem, pruritum movens; in membra genitalia, lotium ciens, dolores excitans, imo aphrodisiaca esse fertur. Interdum narcosi sua musculorum actionem deprimendo, spasmos, artuum tremorem, et paralyses concitat.

U. In nevroblacia organorum abdominalium, ut in hepatemphraxi, et hinc proveniente ictero, in amenorrhœa et chlorosi, laudatur. In metu phthiseos Werlhofio haud displicuit, vi screatus movente roboranteque (Haller.) Præsentaneam ei contra hanc vim esse, Saparius adseverat. Morbidæ reproductioni efficaciter obstat, hinc in fœditatibus cutis insignis, ut herpetibus, psora, tinea, ulceribus scorbuticis, imo etiam in leucorrhœa, sub herpetica diathesi, profuere. In scrofula, si præsertim tumores glandularum ulcerari coeperunt, valent, in syphilide salubrem *Hydrargyri* actionem, qua diaphoresis movetur, adjuvant. Myodyniæ rheumaticæ et arthrodyniæ obponitur, præsertim si malum non est vetus. Vitiis externis cl. Razovx *folia* adplicuit.

D. *Stipitum* recentium contusorum semuncia, uncia, ad libras tres *aquae, decoctorum* ad bilibram, sumatur libra quotidie, cum, vel sine *lacte,* vel uncia eorundem libra *bullientis aquae* superfundatur, addito, pro re nata, congruo volatili stimulo. Adduntur commode ei *radices Polygalae Senegae,* vel *Tritici repentis,* vel *Saponariae officinalis,* ne ventriculum offendant, *lignum Quassiae excelsae, cortices Citri Aurantii,* vel *semina Anethi Foeniculi.*

V. *Extractum Solani Dulcamarae.*

## SPONGIA OFFICINALIS.

——————— Marina *Ph. Ross.*

### Губка морская, или Грецкая.

Zoophyton maris mediterranei et rubri incola. *Cl.* Vermes. *O.* Zoophytæ.

Q. Habitaculum *vermium* ex genere *Coralliorum* in frustis varie magnis, difformibus, communiter latere uno convexis, altero planis, flexilibus, tenacibus, tomentosis, bibulis, dense foraminulatis, lapillis nonnullis quandoque intermixtis, *coloris* flavicantis, *odoris saporisque* expertibus. Quo mollior est, quo minoribus poris, quo dilutiori colore gaudet, eo reputatur melior; majoribus foraminibus pertusa, minus sequax improbatur.

V. Humidum absorbens; puris absorptionem impediens; hæmostatica.

U. *Spongia*, si humefit, intumescens, obturando et dilatando agit; quamobrem vulnerum ulcerumque orificiis dilatandis, et *Aceto*, vel *aqua frigida*, rite madefacta, sæpiusque adplicata, sistendis sanguinis profluviis, apta (Dioscorides,) ipso plerumque Boleto igniario efficacior; ad prolapsum vero uteri forma *pessarii*. Porro, quælibet immundities abstergi ea solet, adhibetur vero ad lavanda vulnera post operationes chirurgicas, et ad ulcera impura, pureque abundantia, mundanda, admota quippe sordes eorum adtrahit, atque papillarum carnearum progerminationi favet. Eodem consilio usurpatur ad abscessus, profuse suppurantes, illam superponendo *linteo carpto*. Valet etiam in paralysi urocystidis, vel sphincteris ani, ad lotium excipiendum, vel effluxum fecum impediendum. Adhibetur ad *fomenta calida*, vel *frigida*, aut *collyria* oculis adfectis admovenda. Illam in genere *lintei carpti* loco posse adhiberi cl. Zeller Vindobonensis asserit.

V. *Carbo Spongiae officinalis*; *Spongia cerata*; *Trochisci Spongiae compositi.*

## STALAGMITIS CAMBOGIOIDES.

### Guttifera vera (Kœnigii.)

### Дерево Гуттовое.

Arbor Indiæ incola, in Regno Siamensi prope locum Cambodiæ vicinum, item in Zeylona, crescens. *Cl.* Polygamia. *O.* Monœc. *O. N.* Tricoccæ *L.* Guttiferæ J. *Usualis est*:

Gummiresina, seu *succus gummeo-resinosus*, ramulorum incisione, vel *cortice* trunci vulnerato, exsudans, inspissatus (G*ummi guttae Ph. Ross.* желтая камедь, dictus,) extus opacus, interne pallidulus, in fractura splendens, ad margines diaphanus, friabilis, salivam *colore* flavo tingens. Adfertur e Zeylona, et India transgangetica, ubi etiam e Garcinia cambogia willd. effluere fertur. Substituunt quandoque *eidem* frusta impuritatum et sabuli plena, uti etiam *Gummi guttae* americanum vulgo dictum, quod ex Hyperico baccifero et cayennensi *L.*, tum et diversis Euphorbiæ speciebus colligi fertur, estque *coloris* multo pallidioris, *saporis* minus acris et siccantis, ceterum, utcunque simile *vero.*

Q. Lutea, in *principio gummeo-resinoso* residens, fere insipida, nec non inodora.

V. Drastico-cathartica; sub-emetica; diuretica.

U. Pro scita dosis administratione et opportunitatis dijudicatione, diversi sunt remedii hujus effectus. Parvis præbiis stimuli vices gerit in neuroblacia abdominali, viscida humorum indole et aquosa colluvie, stipata, quo fine etiam vis ejusdem in asthmate pituitoso, ictero, myodynia rheumatica chronica, dialeipyris etc., elucet. In asthmate et ictero, ut resolvantur educanturque humores viscidi, expedit exhibere grana tria *gummiresinae* cum *Oxymelle scillino,* aut cum *extracto Gentianae luteae, Menyanthidis trifoliatae.* Majoribus aliquantum præbiis, ita, ut præter stimulum, alvum etiam liquet, atque diuresin moveat, vel etiam talibus, ut alvum nimis purget, in hydropisi efficacem se præstitit, præcipue

sub torpido viscerum statu, citra virium tamen notabilem fatiscentiam, et abdominales inveteratas stases. Minores tum doses præferuntur; majores vero ad educendum cito *serum* aptæ, præmissis, certo tempore, *amaris extractis*. In hydrope id perfacile educit, si ad grana quatuor, vel octo, cum *Sub-Muriate Hydrargyri*, aut cum *radice Scillae maritimae*, et *Elaeosaccharo* quodam, aut *syrupo*, exhibetur. Commendant etiam connubium *cum Supertartrate Potassae*. Magni æstimatur a quibusdam usus ejusdem contra tæniam. Werlhofius magnæ, in salutari nobis professione, auctoritatis vir, pauxillo *Sacchari* remistam ad grana usque viginti in *aqua* utrique sexui præcipit, sumique citra ullum incommodum, adseverat. Casu obstinatiore eandem subsequenti die dosin, repeti jussit, imo tertiam aliquando, tertio die, donec exilius tæniæ extremum cum nodulo suo eliminaret. Hac ratione numerosis ægris, tænia lata vel solio L., (vel, ut Pallasius eandem vocari mavult,) cucurbitina, conflictatis, opem tulit. Herrenschwandius, ante curationem ipsam quovis vespere, cochlearia aliquot *unguinosi olei*, præcipue *sesamini*, vel *Ricini communis*, administravit; dein vero insecuto mane grana decem *gummiresinae*, si vermis post id præbium non exiit, iterata est portio, tertiaque vice exhibita cum jusculo *carnis*; e *lacte* vero et *radice Allii sativi clyster* injectus. Alii præmissis aliquot *Sulphatis Ferri* dosibus, dant semiscrupulum *gummiresinae* cum quindecim granis *Subcarbonatis Potassae*, aut *radicem Aspidii Filicis maris* ad semidrachmam cum duobus, vel tribus granis *gummiresinae* miscent. Secundum Clossii et Wagleri methodum: vesperi *Submurias Hydrargyri* cum *Magnesia* aut *Conchis* subactus præmittitur; paulo post vero *Oleum amygdalinum*. Sequenti mane semiscrupulus *gummiresinae* cum *herba Centaureae benedictae* et *radice Angelicae Archangelicae;* libere autem potui datur infusum *Centaureae benedictae*.

D. Si stimulo citra alvi solutionem, opus est, ab ¼ gr. ad semigranum datur, et tum conjungitur cum *Potassa*, apte, agitque in uriniferas vias; si vero alviductio necessaria est,

ut in hydrope, tum a duobus ad tria porrigitur grana aliquoties de die scopo drastico, velut in tænia, exhibetur semiscrupulus, grana quindecim, ad scrupulum. *Saccharum*, *Elaeosaccharum*, quocum conteritur, addere juvat. *Emulsio* tamen, meo arbitratu, præferri posset, facto cum *gummi Acaciae verae*, *vitello ovi*, *aqua Menthae*, connubio. *Subcarbonas Potassae* pro *antidoto* ejus habetur (SWEDIAUR.)

V. *Emulsio resinosa composita.*

## STRYCHNOS NUX VOMICA.

### Чилибуха; Кучеляба.

Arbor in arenosis Indiæ, nominatim Zeylonæ, Malabariæ et Cochinchinæ crescens, foliis ovatis, caule inermi. *Cl.* Pentandr. *O* Monogyn. *O. N.* Luridæ *L.* Apocineæ *J. Usualis est:*

FRUCTUS, nuclei subrotundi, compressi, tenaces, villis ex cinereo-argenteis splendentibus obsiti; vulgo *nuces vomicae.*

Q. Admodum narcotica. Narcoseos adeo violentæ, ut citra inflammationem perimat (MURRAY.) Largitur *extracti aquosi* dimidiam ponderis partem, *spirituosi* partes tres. *Sapor* ejus summe amarus, *odor* peculiaris, subbalsamicus, virosus.

V. Lexipyreta, zooctona, præcipue anthelmintica.

U. In dialeipyris valere, multi notant, præferentibus aliis *radicem Gentianae luteae* tantillo *nucis* mistam, ipsi *Cinchonae officinalis cortici.* Inclaruit quoque in dysenteria ill. HUFELANDII, aliorumque auctoritate insignium, commendatione. Præmisso vomificio pulvere *radicis C. Ipecacuanhae*, *nux* cum *gummi Acaciae verae* propinata. Alii cum *Cetraria Islandica*, *radice Colombae*, *Orchidis* etc., optato cum successu, dedere; sed aliquando incitatione oborta, desidendi cupiditas, tormina ventris, turbidaque lotii indoles, increvere. De variis curationibus *nuce* et *Sulphate Zinci*, factis, in inveteratis scorbuticis, herpeticis aliisque ulceribus, refert cl. WIEL. Alii contra helminthiasin tentarunt. In atrophia mesaraica AUTENRIETHIUS *extracto* usus est ad sedandos spasmos,

exiguis dosibus cum *gummiresina Assae foetidae* cum fructu datis. Animalia bruta, majori ingesta dosi, anhelose respirant, torpescunt, subsequa insensibilitate, seu stupore, tandem spasmo, vel tetano totius corporis correpta, extinguuntur. Magna proinde cura cavendum est, ne armigeris quoque remedio insubide dato, id mali accidat.

D. *Pulveris* semigranum, duo, ad quinque gradatim caute adscendendo; in tænia scrupulum, sed incaute dedere quidam. *Extractum aquae* fervidæ maceratione, tum vero *coctione* et *expressione* parandum, itidem ad semigranum, vel integrum datur, auctiori paulatim dosi ad grana quinque.

V. *Extractum Strychni Nucis Vomicae.*

## SUBBORAS SODÆ.

### NATRUM BORAXATUM; BORAX *Ph. Ross.*

### Бурокислая сода.

*Subboras Sodae* promercalis e *sale* in India orientali, Perside, Thibetoque nativo, Tincal dicto, elicitur, qui, vel e terris sevosis effossus, vel e lacubus ibidem exemtus præparatusque *extractione* et *evaporatione*, tandem in Europa, præcipue vero in Anglia et apud Batavos Amstelodami peculiari processu a suis inquinamentis depuratur.

Q. E *Soda* et *Acido boracico* (secundum KIRWAN: *Sodae* 17, *Acidi* 34, *aquae* 49 partibus,) constans, sistit crystallos hexaëdras, columniformes, tetraëdris piramidibus terminatas, etc., quæ sunt pellucidæ, decolores, vel albescentes, *saporem*que præ se ferunt initio dulcescentem, dein ex acri lixiviosum, nauseosum, in *aquae* copia duodevicies pondus ipsarum superante, solvuntur; in aëre paululum fatiscunt et discidium patiuntur ex omnium *acidorum*, *aquae Calcariae*, *Sulphatis Sodae*, *Supersulphatis Aluminae* et *Potassae*, *Muriatis Ammoniae* etc., additione, in igne funduntur atque crystallisationis *aqua* orbatæ, redduntur friabiles (*Borax usta* seu *calcinata;*) intensiori vero in pellucidum vitrum liquantur.

V. Ejusdem alcalescens; antacida; sedans; resolvens; reproductioni; favens. Partus dolores stimulare quidam volunt (Stark.) Antiquitas ei menagogam virtutem tribuit.

U. Usu præcipue externo commendabilis ad promovendam variorum ulcerum regenerationem; ita magnam ejus in aphthis, præsertim infantum aliisque oris interni et linguæ ipsis adeo syphiliticis et scorbuticis malis sanandis efficaciam experti sunt Medentes. In ulceribus etiam herpeticis, impuris, cutaneis, valet. Sedecim *aquae Rosae* partibus soluto, cutim lævigari, nævos et maculas deleri; cum *unguento* autem *Althaeae* et *Oxycarbonatis Plumbi*, subactum, refrigerare Starkius adserit. Eundem solutionem partibus adfectis illitam et ano simul injectam, hæmorrhoidis cæcæ dolores mirifice lenire; denique *Subboratem Sodae* cum *adipis suillae depuratae* pari portione subactum, psoram et lichenes, citra noxam pellere, Lœfflerus adseverat. Sensibilitatem nervorum minuendo coitus humorum tollit, quapropter tuberculis hæmorrhoidalibus, varicibus duris, dolorificis tumoribus, obponitur, nec minus *collyrium* ex eodem adversus varia oculorum valetudinis genera, idoneum esse perhibetur. Maculis corneæ (Theden, Richter, Arnemann,) haud secus ac leviori visus obscurationi et cataractæ recenti, utilis esse existimatur. Ad mitigandam inflammationem et dolorem in primo blennorrhœæ stadio, in leucorrhœa quoque injectiones ex *eo* in usu erant, soluto in *aqua destillata* scrupulo ejusdem, quæ forma et pro *collyriis* oculorum et gargarismatibus, non inepta. Ob actionem in renes anasarcæ medetur et ob *Sodam*, quam tenet, liberam, virulentiam *Oxydi Arsenici albi*, mitigare fertur.

D. Pro usu interno præsertim in acore ventriculi semiscrupulus (ad duos scrupulos) in *aqua* solvitur, verbi gratia: drachma *Subboratis Sodae* in tribus *aquae* unciis addita *mellis rosati* uncia, ejusque solutionis cochlear ter quaterve de die sumitur. Pro usu externo, e. gr. in aphthis miscetur cum quatuor, vel pluribus *aquae destillatae* et totidem *mellis rosati* partibus, atque eæ penicillo illinuntur, vel drachma ejusdem cum *mellis*

*rosati* uncia admovetur. Pro *collyriis* et *gargarismatibus* sumuntur plerumque quindecim grana *Subboratis Sodae* et quatuor unciæ *aquae destillatae*; ast si siallorrhœa a *Hydrargyro*, orta est, aptissimum tunc est *gargarisma* e *Subboratis Sodae* solutione saturatissima, quod dolores faucium aliaque incommoda, et cito, et tuto, tollit.

V. *Gargarisma boracicum.*

## SUBCARBONAS POTASSÆ VENALIS.

### Cineres clavellati *Ph. Ross.*

### Поташъ углекислый нечистый.

Est *salina massa* e *cineribus* præsertim duriorum *lignorum*, ustis ac dein elixatis conflata, *Subcarbonate Potassae* dives, *Muriatem* etiam *Potassae*, *Sulphatem ejusdem* et *Calcariae*, nec non *siliceam terram* aliasque impuritates continens, quæ pro usu medico depuranda est; pro depuratione autem eligenda est fragilis, cavernulosa, grysei coloris, atque e gryseo-cærulescentis, perfacile ad aërem liquescens, majorique ex parte *aqua* solubilis. *Silicea terra*, qua subinde adulteratur, adfuso ad solutionem *acido*, quo copiosum hujus *terrae* præcipitatum, dejicitur, detegi potest. *Subcarbonatis hujus* virtus a Pharmacopœo exploretur solutione *Supersulphatis Aluminae* et *Potassae*, in quam immissum *Subcarbonatis Potassae venalis lixivium*, eo uberius dat præcipitatum, quó majori copia *Potassa pura* adfuerit. *Cineres* puriores emptitii, qui ex America sub nomine *Pearl-ashes* adportantur, præ aliis, qui veneunt, sunt commendandi.

V. *Aqua Supercarbonatis Potassae*; *Haustus carbonicus*; *Hydrosulphuretum Potassae*; *Hyperoxymurias* —; *Mistura Acetatis Potassae juniperina*; — *Citratis Potassae stibiata*; *Potassa liquida*; *Subcarbonas Potassae depuratus*; — — *liquidus*; *Sulphas Potassae.*

## SUBCARBONAS SODÆ VENALIS.

### NATRUM IMPURUM; SODA IMPURA.

### Сода углекислая нечистая.

*Subcarbonas Sodae venalis*, præcipue in Astrachanensis provinciæ desertis et Setensi districtu et prope Ischimum urbem Sieveriæ in variis lacubus æstate exsiccatis, invenitur sat purus, vix ac ne vix quidem exotico postponendus, estque concrementum terreo-salinum, e combustis calcinatisque plantis, ad marina præsertim littora crescentibus, e. g. in Hispania e CHENOPODIO MARITIMO, in Ægypto et Arabia e REAUMURIA VERMICULATA, MESEMBRYANTHEMO NODIFLORO — COPTICO, in Italia e SALICORNIA EUROPÆA, — HERBACEA — FRUTICOSA, in Anglia et Francogallia e SALSOLA KALI, — SODA, — SATIVA et e FUCO VESICULOSO paratum, atque solutione crystallisationeque depuratum.

Q. Est cinereum, duritiei lapideæ, *saporis* salsi, lixiviosi. *Soda hispanica* merito præfertur; *Smyrnensis* vero, longe majorem *Salis alcalini* copiam præbet. *Hungarica*, quæ nativa est, in nonnullis lacubus, sponte exsiccatis, copiose efflorescit e qua $\frac{2}{3}$ *Subcarbonatis Sodae puri* extrahi solent, *Subcarbonas Sodae venalis* pro usu medico depuratur. Videsis SUBCARBONATEM SODÆ DEPURATUM; de SUPERCARBONATE autem SODÆ (*Natro supercarbonico*, legi meretur egregia observatio cl. Prof. REUSS in *Comment. Societ. physico-medic. Vol II. p.* 1. *Mosquae* 1817 *pag.* 75.)

V. *Aqua Supercarbonatis Sodae; Pilulae —; Subcarbonas Sodae depuratus; Subphosphas —; Sulphas —.*

## SUCCINUM.

### Янтарь.

Substantia bituminosa, in Russia ad littora maris borealis trans fluvium Meseny prope promontorium Kanin (Канинскій носъ,) haud secus ac infra fluvium Obim et Jeniseum ab arctois sub-

inde gentibus; ad catadupa (cataractas) vero Nenasitensia in Æcatherinoslawiensi Gubernio; sed rarius a Borysthenitis legitur; copiosior autem invenitur in Sicilia; ad littora vero maris baltici, præsertim ubi Curoniam, Porussiam, Pomorjaniam alluit, uberrimus *ejusdem* proventus, atque, vel *Succinum fossile*, (terra excussum,) vel *haustile* (e mari baltico, verriculis lectum,) audit.

Q. Est substantia solida, arida, fragilis in fractura æquabilis, tantæque duritiei, ut tornari, cædi, polirique sese sinat, ut plurimum flavi coloris (*Carabe*, vel *Succinum citrinum*,) nunc magis in fuscum, modo magis in rubrum (*Succinum rubrum*) *nunc magis in* album (*Succinum album*) vergentis, rarius pellucida, plerumque semipellucida, vel subopaca, vel etiam opaca, interdum nubeculosa. Odoraria, et sola jam frictione electrica, gratissimum spirat *odorem*; prunis inspersa fumum ejusdem odoris; ast longe fortioris, eructat, vasisque clausis igne torta, per destillationem largitur *oleum*, *Petroleo* simillimum, (quod *Acido nitrico-nitroso* quadrupla portione instillato, in *resinam*, *Moschum* redolentem mutatur,) *Acidum* peculiare *succinicum* et pauxillum *acetici*. *Aqua Succinum* neutiquam solvitur, *Alcohol* exiguam duntaxat portionem ($1\frac{1}{8}$ *resinae* secundum Heyer) extrahit. In *volatilibus* et *fixis oleis* prius (ad 550 F. fusum) facile solvitur (*Vernix*;) ita etiam in debili *Subcarbonatis Potassae solutione* citra calorem. (Thomson.)

U. Utut olim delicatioribus matronis, hystericis et dysmenorrhœa laborantibus, commendaretur enixius, sed quoniam cum nullo corporis nostri humore solvitur, neque in ullam excretionem manifesto agat, e censu internorum *medicaminum* jure meritoque exulat. Aptius in *suffitus* adsumitur. *Fumus*, *Succino* prunis injecto, adsurgens, princeps *suffimigiorum* materia, quibus, et nares titillantur et gravis corruptæ conclavium athmosphæræ odor (minime maligna indoles) corrigitur. Idem *fumus*, pannis laneis exceptus, quibus partes ægrotantes leviter fricantur, discutiendo in myodynia rheumati-

ca, utilis esse putatur, quippe qui *balsamicas*, aut *oleoso-empyreumaticas* ferens particulas, salubrem potest in adfecta suffitaque parte incitationem, efficere. In leucorrhœa muliebri *fumigatio* e *Succino* et *resina Fagarae octandrae* (*Tacamahaca*) profecisse perhibetur.

V. *Acidum succinicum*; *Oleum Succini depuratum*; *Pulvis pro suffitu.*

## SULPHAS BARYTÆ NATIVUS.

Baryta sulphurica nativa *Ph. Bor.*; Spathum ponderosum *Ph. Ross.*

Сѣрнокислая тяжелая земля; Тяжелоземъ; Баритъ.

Est sal medius terrestris, nativus in metallifodinis Hercyniæ, Saxoniæ, aliisque venas implet. In Russia copiosus ejus proventus est in monte serpentino (Змiевская гора) in Kolyvan, *aurum argentumve nativum* haud raro in visceribus suis comprehendens. Purissimus in Germania Freybergæ et Marienbergæ occurrit, isque sistit frustula alba, lamellosa, heterogeneis minus inquinata, et est usui pharmaceutico aptissimus.

Q. Ex *acido sulphurico* et *Baryta* (secundum Kirwan et Klaproth continet e centenis *Acidi sulphurici* p. 33, *Barytae* 67, interdum adhuc *Strontianae* portionem fert Lowitz) constat, estque insigni pondere specifico, fragilitate, textura lamellari, *nitore* quasi *vitreo*, *aqua* insolubilis.

U. Omni, quantum quidem hactenus constat, in corpus animale, efficacia caret.

V. *Murias Barytae*; *Carbonas ejusdem depuratus.*

## SULPHAS MAGNESIÆ.

Magnesia sulphurica *Ph. Bor.*

Sal (catharticus) amarus *Ph. Ross.*

Сѣрнокислая Магнезiя; горькая соль.

Vulgo venalis prostans, in genere, vel ex *aquis mineralibus Epsomensibus* in Britannia (Grew) *Sedlicensibus* et *Seidschiü-*

*tzensibus* in Bohemia, evaporatione et crystallisatione, vel e *lixivio* matre post obtentum *Muriatem Sodae* ex *aqua marina* (Hoyle) obtinetur. Apud nos in confinibus Irkutsk (горькая сибирская соль) et Astrachaniæ in primis repertitius, *Sodam* quoque, ut *Sal Sedlicensis*, sibi adnexam habet. *Aqua Seidschützensis* naturaliter abundat *Sulphate Magnesiae* eumque sat purum largitur. Libræ 20 civiles colligunt: *gasis carbonici* cubos pollicares 14 $\frac{1}{11}$, *Magnesiae* gr. 45 $\frac{1}{13}$, *Calcariae* 16 $\frac{4}{10}$, *Sulphatis Calcariae* gr. 89 $\frac{1}{11}$, *Sulphatis Magnesiae* gr. 3120 $\frac{6}{11}$, *Muriatis Magnesiae* gr. 79 $\frac{1}{11}$, (Bergmann.) Admistus *Murias Magnesiae* (arbitratu Monro,) auget vim reliquarum partium, hanc *aquam* constituentium, laxantem. Qui sub nomine *Salis Anglicani* venit, *Sulphas Magnesiae*, omnino depuratione eget, quæ fit eum in *aquae fervidae* pari pondere, solvendo, filtrando, et in crystallos redigendo.

Q. Hic *Sal neuter*, dum purus est e *Magnesiae* 19, *Acidi sulphurici* 33, *Aquae* 48 partibus (secundum Bergmann) coalescens, sistit crystallos columnares, *saporis* acris, amari, aëri expositus deliquium, nisi *Murias Magnesiae*, acer, avideque *aquam* athmosphæræ adtrahens, eidem adhæreat, non patitur, in æqua *aquae* portione solubilis; secedens autem in partes constituentes, prout cum aliis *salibus Potassam* continentibus, miscetur. Quo siccior, eo melior est.

V. Cathartica.

U. Ab aliis *catharticis salibus*, qui præsertim e *Potassa*, vel *Soda* coalescunt, differt eo, quod cito exserat efficaciam suam, neque adeo facile, ac illi, vires ventriculi canalisque intestinalis convellat; est vero adcommodus præcipue hypochondriacis, hystericis, irritabiliori æquo fibra præditis. Effectus ejus salutaris exspectandus est, cumprimis (exhibito prius largiori manu, forma solida, *Submuriate Hydrargyri*,) in iis malis, quæ prompto auxilio egent, hinc apte datur in ileo, herniis incarceratis, præsertim ubi incarceratio fœcalis et inflammatoria urget ita etiam in obstipatione, enterodynia plumbea, quibus in casibus non male conjungitur interdum, cum

*unguinoso oleo*, vel ubi spasmi, ut causa obstipationis arguuntur, cum *Opio* (PRINGLE.) Quarta parte *Supertartratis Potassae* temperatus et ter per diem ad drachmam exhibitus, ipsam in intestinis nidulantem tæniam expulisse perhibetur. In febribus hypersthenicis, adeoque in omnibus inflammatoriis, ut laxans, cruditates auferendo, auctam solidorum energiam frangendo, prodest. Abstinendum tamen ab eo in gastritide, enteritide, dysenteria etc.; ventriculo etiam admodum irritabili vix convenit (ARNEMANN.) Pro *antidoto* adversus *Barytae* et *Plumbi praeparata* habetur (ORFILA.)

D. Scopo digestivo exhibetur plerumque in solutione a scrupulo ad drachmam. Scopo cathartico a semuncia ad unciam, rarissime sescunciam, ut plurimum ex *aquae*, vel communis, vel saporis gratia—*Menthae piperitae* partibus tribus, aut alio vehiculo, pro rei indole, congruo, ut *liquore cucumerum salito* (огуречный россолъ,) solutus nonnunquam *manna*, quo incommoda et nauseosi ejusdem effectus aliquatenus mitigarentur, remistus, aut *oleo unguinoso* temperatus, aut *Ovi vitello*, vel *gummi Acaciae verae* subactus.

V. *Clyster catharticus.*

## S U L P H U R.

### C ѣ p a.

*Sulphur nativum* occurrit apud nos variis in oris, in primis vero circa Wolgam et Samaram flumina, in monte sulphureo (sic dicto сѣрная гора,) in *gypso*; ita etiam in Ildecanensi monte sulphureo in Nertzinsk, haud secus ac in fodinis aureis Berezowiensibus prope fluvium (in Sieveria) Olutoram, imo circa Caucasum vestigia ejus adparent; sæpius tamen mineralisatum, variis cum metallis, præcipue *Ferro* (*pyrites*) et quamvis arte in elementa neutiquam diductum sit; natura tamen non solum in penetralibus terræ; sed etiam in ipsis animalibus *) et plantis producitur.

*) Probant id incendia animalium spontanea et analysis partium organicarum chemica.

Q. Est substantia solida, friabilis, coloris pallido-flavi, *odoris saporisque* debilis, præcipue sub frictione perceptibilis, calore manus crepitans, nec *aqua*, nec *Alcohole*, nec *acidis dilutis* solubilis; multis vero aliis cum corporibus (*Oxygene*, *Hydrogene*, *alcalibus*, *metallis*, *oleis unguinosis* et *volatilibus*) connubium iniens, vasis clausis (ad 170° F.) igni submissa sublimatur forma pulveris acicularis (*Sulphur sublimatum*, vulgo *Flores sulphuris*) ad 240° F. liquescit colore rubro, et frigescens acubus crystallisatur; accessu vero aëris (ad 302° F.) flammam concipit, ardetque eadem cœrulea, spargens suffocantes vapores, quo facto *oxygenes* adtractum format *acidum sulphurosum*; nuptum vero eidem ad saturitatem, *sulphuricum* sistit.

V. Videsis *Sulphur sublimatum*.

U. Intus nusquam exhibetur, nisi præviam præparationem subierit, qua particulis ipsi interdum immistis, *arsenicalibus*, expurgetur; eas autem *eidem* admistas apparet, si residuo ex detonatione partis *Sulphuris* et quatuor partium *Nitratis Potassae aqua destillata* excepto et filtrato *solutio saturata Nitratis Argenti* admiscetur et *Oxydum Arsenici album* rubicunde in eo fundum petit. *Sulphur sublimatum* venale semper fere continet portionem *Acidi sulphurici*, pars nempe *Sulphuris* tempore sublimationis oxydatur. Hoc cognoscitur, si *aqua destillata* tali cum *Sulphure* ebulliens chartam cœruleam rubro tingit colore, atque a solutione *Barytae* turbatur. Tam ab *Oxydo Arsenici*, quam *Acido sulphurico* liberatur *Sulphur* lotione iterata cum calente *aqua*. Extrinsecus tum *unguenti*, tum *balnei* sub forma adhibetur, adversus psoram. *Calcariae* æque ac *Sulphuris* libra, in *aquae fluvialis* mensuris septem, vel octo decocta, pro *balneo* adhibetur. *Vapor Sulphuris* sub ipso scabiei principio, cum debita cautela, aliquoties in die adhibitus, ulteriorem mali progressum præscindit (Frank.) Fumigatio corpus circumvolans maximi fit a cl. Galés, (*Memoire et rapports sur les fumigations sulfureuses appliquées au traitement des affections cutanées par J. C. Galés a Paris* 1816,) eaque intro-

ducto etiam in Austria Galesii *fumigatorio* adparatu, maximo cum successu? a D. Carro, ut relatum accepimus, administratur. Non sunt heic tacito prætereundi *fontes medicati* plerumque calidi (*thermae*) *Sulphur* tenentes, quibus etiam varii *sales Hydrogenes sulphuratum* et *Sulphuretum Calcariae* accedunt. *Fons Aquisgranensis* quinque leucis versus ortum, a Trajecto ad Mosam tanta *Sulphuris* copia scatet, ut *Argentum* inficiat et colligatur *Sulphur sublimatum* in ipsismet balneariis, *Badensis* uterque, *alter* in Austria tribus milliaribus Vindobona distans, *alter* in Badensi provincia, *Landeckensis*, *Warmbrunnensis*, præter *Sulphur*, *Magnesiam* etiam, *Muriatem Sodae*, *Sulphatem ejusdem*, *Sulphuretum Calcariae*, nec non *Hydrogenes sulphuratum* continent. Alii *fontes*, ut *Meinbergensis* et qui ab Alexio duce in Hercynia dicitur, *Ferro* etiam gaudent. In Helvetia *thermae Savarienses*, in Italia antiquo splendore æque ac recenti gloria fulgent *fontes Aponenses*, *Brandolini*, *Pisani*, *aquae* etiam *Allobrogicae* in Sabaudia, in Francogallia celebratissimæ *aquae Sextiae* (quinque leucis in aquilonem a Massiliis distantes,) *Bagnerenses*, *Dacenses* et *Plombierienses*; in Hispania *Archenenses* et *Monbayenses*; in Lusitania, quæ a regina nominantur (*Caldas da Reyna*,) in Anglia et Caledonia *fontes Solis Bathoniensis*, *Harrogatensis*, et *Moffatensis*. In Russia memoratu dignæ *aquae* ad Baicalem *Turcenses*, seu *Bargusinenses* et *Baldohnienses*, *Barbenenses* et *Libawienses* in Curonia, *Sergiewienses* in *Buguruslanensi* circulo Orenburgensis provinciæ, *hypocaucaseae* ad Constantinomontium (Констaнтиногорскъ.) Ceterum vide tabulam sistentem alias etiam *minerales aquas*. *Aquae* hæ et aliæ similes, vel potui datæ, vel pro *balneis* adhibitæ, omnia præstant, quæ de solutione *Sulphuris* ope *alcalinorum saliumque* exspectari possunt, hinc obponi possunt cum emolumento neuroblaciæ organicæ, atque exinde originem trahenti, inertiæ viscerum abdominalium et vasorum ad venam portæ pertinentium, commendantur igitur in primis in splanchemphraxi abdominali, hypochondriasi, hysteria, hæmorrhoidis et menstruorum cursu intercepto, et id

genus aliis. In fœditatibus cutis non minora præstant commoda, perspiratione et ipsis exanthematibus restitutis, vel novis productis. Magna earum est efficacia adversus arthrodyniam, urolithiasin, tam renalem, quam vesicalem (obponendo enim semet abundantiæ *acidorum*, calculorum genesi obicem ponunt.) Sequelas *hydrargyroseos* et *Oxydorum Plumbi* tollunt.

V. *Hydrosulphuretum Potassae*; *Oleum sulphuratum*; *Sulphur sublimatum*; *Unguentum sulphuratum*; —— *compositum*.

## SULPHURETUM STIBII NATIVUM.

### Antimonium crudum *Ph. Ross.*

### Сурьма самородная.

Minera est *Stibii*, quæ obtinetur ex Hungaria, Transylvania, Carinthia, Bohemia et Saxonia. Datur etiam circa urbem Nertsinsk in Sieweria. Hungaricum est optimum.

Q. Constat e $\frac{74}{100}$ *Stibii* et $\frac{26}{100}$ *Sulphuris*, estque substantia ponderosa (pond. specif. 4.700—5.000,) solida, splendens radiis, seu striis crystallinis, vel metallice nitentibus, e cœruleo-gryseis; friabilis, odoris saporisque expers, ante candescentiam liquefiens et auctiori igne, odorem *Sulphuris* accensi spargens ac tandem in totum avolans. Pars superior coni, vel placentæ e mineris eliquatæ, spongiosa, levis, vel scoriosa, exiguis et irregularibus striis notata et parum metallici habens, rejicienda est. Admista eidem minera *Plumbi* cognoscitur et fractura magis lamellosa, quam aciculari, et insolubilitate in *Acido nitrico-muriatico*. Si *Ferro* inquinatum est post detonationem cum $2\frac{1}{2}$ partibus *Nitratis Potassae* massam dat flavam; si vero *Mangano*, viridem. Dum purum, hæc massa alba esse solet. *Arsenicum pyritaceum*, quod Hermstædtius et alii adhærens interdum invenere, *colore* e gryseo-flavescente, *nitore* metallico perfectiori, fractura granulata, et *odore*, dum fricatur, *Allii sativi*, detegitur.

V. *Sulphuretum Stibii laevigatum*; *Suboxydum Stibii fuscum*.

## SUPERSULPHAS ALUMINÆ et POTASSÆ.

### ALUMEN CRUDUM *Ph. Bor.* et *Ross.*

### Пресыщенная Сѣрнокислая глина съ Поташемъ; квасцы.

Etsi hicce *sal* etiam nativus inveniatur; multo tamen major *ejusdem* pars obtinetur processu chemico e mineris *aluminaribus* Gottwigio in Austria, ad Solfataram prope Neapolin, Tolfam (juxta Civitam vecchiam) et in Russia e Gubernio Tambowiensi, in Kirgisorum desertis, cum *argilla* in Camtschatca, et denique in *terra* sic dicta *aluminosa*, in lacu Inderscanensi, nativus occurrit. *Romanus* idem *sal* est; sed crystalli ejus habent colorem rubicundum, ab immisto, ni fallor, *Cobalto*, dependentem, qui ex Italia advehitur et prope Tolfam, e saxo calcinato certis encheiresibus, extrahitur; datur etiam *Alumen saccharinum*, quod melius ad *praeparata* referendum est.

Q. Est sal triplex acidulus ex *Alumina*, *Potassa* et *Acido sulphurico* conflatus, (venalis secundum VAUQUELIN, continet *Supersulphatis Aluminae* 0,49, *Sulphatis Potassae* 0,07, *Aquae* 0,44,) crystallos octaëdras albas, subpellucidas, effingit; saporis dulcescentis et adstringentis; in *aqua* difficulter solvitur, quippe qui exigit ejus 34 partes, si frigida fuerit; suffervefactæ autem duplam portionem; aëri expositus pulvere subtilissimo obducitur, quin tamen fatiscat in totum; supra ignem facile liquescit in *aqua* crystallina, quo simul pelluciditate sua orbatur, spumat atque in massam levem, spongiosam mutatur. Continens *Ferrum*, flavidi est *coloris* et *tincturam gallarum* nigro; *Cupro* autem inquinatus, *Ammoniam* cæruleo tingit *colore*. Is cui *Cobalto* impertitus est color rubicundus, *Romano* et *Brunswicensi* est similis atque solutio *ejusdem* in *Acido muriatico* ad levem incalescentiam sortitur viridem colorem; vanescentem tamen sub refrigeratione.

V. Acido-adstringens; styptica; roborans; antiseptica? *)

*) Ill. Uden Professor Therapiæ et Pathologiæ, usum Supersulphatis Aluminæ et Potassæ, in diathesi septica, cum asthenia fibræ muscularis, declarata, magna humorum decompositione, alvique excretione colliquativa, urgente, multiplici experientia pernecessarium esse invenit.

Ob prævalens *Acidum sulphuricum* vis ejus huic potius similis est, quam aliis ingredientibus. Copiose ingestus nauseam movet, aut alvum pertinaciter adstringit.

U. Ob hasce virtutes exhibetur in debilitate tubi intestinalis et hinc pullulantibus quibusdam adfectionibus, ita cum *amaro-aromaticis* valet adversus spasmos ejusdem, diarrhœas chronicas, dysenteriæ ultimum stadium (ODIER,) præsertim, si ea, vel diuturna fuit, vel e sola intestinorum laxitate, exorta est, cum *extracto Clutiae Elutheriae*, *radice Arnicae montanae*, *gummi Acaciae verae*, aut cum *radice Colombae* in *infuso vinoso*. Laudatur etiam in enterodynia pituitosa, flatulenta a cl. PERCIVAL (in connubio *Castorei*, *florum Matricariae Chamomillae*) plumbea? (GRASHUIZ.) Haud desunt exempla curatarum dialeipyrarum (CULLEN) ferente subsidiariam opem *cortice Cinchonae officinalis*, quin etiam ipsarum putridarum febrium (VOGEL) humorum colliquatione stipatarum; sed nidulantibus biliosis sordibus et alvo adstricta, alienus est *ejus* usus. Profuit etiam in variolis confluentibus (WENDT,) petechiis, scorbuto. Magni æstimatur in hæmorrhœis (profluviis sanguinis passivis,) metrorrhagia, enuresi ex relaxatione colli urocystidis (SELLE,) blennorrhœa (*gleet*,) leucorrhœa et gonorrhœa (stillicidio geniture,) pollutionibus. Infantibus et tenellis subjectis aptior est ubique, quam *Acidum sulphuricum*. In criticis profluviis et violenter prorumpentibus, est damnifer. Externe forma *injectionis*, *gargarizationis*, *collutorii*, *collyrii* in ophthalmitide membranacea serosa (ubi in *aqua Rosae* solvitur, aut cum *Albumine Ovi*, ita agitatur, ut *collyrium* formet) et in chronicis, nec non in acutis sub stadio relaxationis, cynanche atonica mucosa (in prolapsu intestini recti HELVETIUS *suppositoria* e *Supersulphate Aluminae* et *Potassae* et *mucilagine gummi Astragali Tragacanthae*, longitudine et crassitie digiti, compingebat, quæ æger duas, aut tres horas retinere cogebatur,) relaxatione uvulæ, anginam serosam comitante, gingivarum laxitate, exania et vaginæ uteri prolapsu, incipiente spina ventosa (HAHNEMANN) et tumore albo post luxationes re-

positas, ad conciliandum ligamentis robur. In carcinomate fungoso Leursius et Gessnerus commendarunt eum cum *Superacetate Plumbi*, linteolis imponendum.

D. A grano gradatim ad scrupulum sæpius de die (Cullen) cum *Saccharo* et *aromaticis;* in pilulis cum *extractis*, vel in *Sero lactis* etc. Helvetius dedit pro dosi semidrachmam, imo unam initio secunda quaque hora, dein omni quadrihorio per quindecim dies.

V. Aluminà; *Cataplasma aluminatum*; *Clyster adstringens opiatus*; *Collyrium aluminatum*; *Decoctura Quercus aluminata*; *Fomentum aluminatum*; *Gargarisma* —; *Pulvis adstringens*; — *Aluminis compositus*; *Serum lactis aluminatum*; *Solutio Sulphatis Zinci aluminata*; *Supersulphas Aluminae fusus.*

## SUPERTARTRAS POTASSÆ.

### Tartarus depuratus *Ph. Bor.*

Винокислый Поташъ пресыщенный; Винный камень.

In *succo baccarum* variarum, præsertim vero *Vitis viniferae* obvius, ex quo instar crustæ crystallinæ parietibus doliorum, in quibus *vina* austera adservantur, adhæret, nomine *Tartari crudi* veniens, isque albus et ruber. In officinis Montepessulanis, Venetiarum, nec non Herbipoli, prægressa solutione in *aqua* et cum *argillis pinguibus* coctione, depuratus, sub nomine *Crystallorum Tartari*, vel, si hæ pulveratæ sint, *Cremoris Tartari*, in commercio prostat. *Crystalli Tartari* depurati venales explorandæ sunt, num ab inquinamentis *metallicis salibusque* heterogeneis, liberæ sint. Quoniam in vasis cupreis parantur, probandum est sane, an non quidpiam hujus *metalli* contineant, hoc fit, digerendo *eum* cum *Ammonia liquida*, quo *color* cœruleus indicabit *Cuprum*, quod etiam metallice adhærebit laminæ ferreæ, bene politæ, solutioni suspecti *salis* cum *aqua* fervida facta, impositæ, interdum et crystallorum viridescens *color* suspicionem de *Cupri* præsentia movet. Inquina-

ti *Sulphate Potassae* et *Supersulphate Aluminae* et *Potassae*, solutio ex *aqua* tepida, adfusa solutione *Superacetatis Plumbi*, vel *Barytae* sedimentum deponit, in *Acido nitrico* non amplius solubile. Et si ab hisce inquinamentis liber invenitur, *aqua* tamen frigida rite abluendus est, et tum siccatus in mortario ferreo mundo et modice calefacto, in *pulverem* est tenuandus.

Q. *Supertartras Potassae* purus sistit crystallos parvas, albas, semipellucidas, fere cubicas, in massas irregulares, vulgo aggregatas. Ad aërem non mutantur, in *aqua* ad 60° FAHR., tum demum solvitur, cum centies *haec* pondus *ipsius* superat; *aquae* autem bullientis triginta partes unam ejusdem absorbent. Componitur ex *Acidi tartarici* partibus 3, *Potassae* una parte et *Calcariae tartarosae* $\frac{1}{25}$.

V. Frigerans; diuretica; cathartica et, uti quibusdam placet, resolvens; actionem vascularem minuens.

U. Dum activitatem systematis arteriosi inhibet, in synocha, præsertim cum complicatione biliosa et gastrica, in pronitate *ejus* ad statum putridum, in sanguinis congestionibus sine febre: hæmoptysi, hæmorrhoide (in connubio *Sulphuris sublimati* et *Nitratis Potassae depurati*) cum fructu adhibetur. In melæna *Supertartras Potassae radice Callicoccae Ipecacuanhae* maritatus (illius semuncia; hujus vero duodecim granis,) in duodecim æquas partes divisus, atque singula, omni trihorio exhibita, profuit (ODIER.) Jecinoris activitatem cohibendo in diathesi biliosa, polycholia, cholera, diarrhœa biliosa, ictero etc., valet. Tubum intestinalem exstimulando, præsentibus sordibus gastricis, in prima periodo febrium gastricarum, in obstipatione habituali, (hic quidam cum *Cortice Cinchonae officinalis* dant.) Secretionem urinæ augendo, aptum est remedium, ubi illa ex sthenica diathesi est suppressa, et ubi in febre aliqua, per urinam exspectatur crisis; porro in hydropisi (HOME, FERRIAR,) præsertim in anasarca post synocham, vel febrem exanthematicam, e. g. scarlatinam etc., orta, vel methystica (ab ebrietate) cum *Digitali purpurea*, vel *gummiresina Stalagmitidis Cambogioidis* (MEDICUS,) vel cum opportunis aliis, ut *radice Amo-*

*mi Zingiberis* (Monro,) qui etiam in enterodynia plumbea cum fructu dedit. Externe forma *pulveris* pro dentifricio, in primis in connubio *corticis Cinchonae officinalis*, etc., vel in morbis oculorum, aliis congruis junctus et inflatus.

D. Ubi purgatione alvum sollicitare expedit, a duabus drachmis ad sescunciam datur, passim in *aqua* simplici, vel *sero*, (si ad aliud refertur,) præscribi solet a semidrachma ad integram, secunda, vel tertia quaque hora in convenienti vehiculo, repetendus. Additur interdum apte *catharticis*, *resinosis*, juvat quoque eundem, vel cum *Saccharo*, vel cum *melle* mistum, præberi, quo præter alia commoda, sumentibus redditur gratior. Tres *ejus* partes cum duabus *Subcarbonatis Magnesiae*, mistæ et ad cochlear minus cum *aqua* sumtæ, ubi *gas carbonicum* in ventriculo evolvere in votis est, conveniunt. Si *Supertartrati Potassae* quinta pars *Subboratis Sodae* adjicitur, tum solubilior in *aqua* redditur Tartarus boraxatus, Винный камень съ бурою, vel *Cremor Tartari solubilis crudus*;) *perfectus* vero obtinetur, dum, dicti *sales*, simul solvuntur et solutio ad siccitatem evaporat et a drachma ad tres, cathartico-diuretica virtute, conspicuus, a Quarino hepatemphracticæ ascitidi oppositus fuit cum successu; in hydropisi autem, a semuncia ad duas uncias, in tredecim *aquae* partibus solutus, alterno quoque mane, exhibitus, efficacissimum se præstitit. Si libera *Acidi tartarici* pars *Subcarbonate Potassae* saturatur, tum Tartras Potassæ, Винокаменно-кислый Поташъ, (vulgo *Tartarus tartarisatus*) cum *Subcarbonate Sodae* vero ad saturationem addito: Tartras Potassæ et Sodæ, Винокаменно-кислый Поташъ съ Содою, (*Sal polychrestum* Seignetti) et cum *Subcarbonate Ammoniae*, Tartras potassæ et Ammoniæ Винокаменно-кислый Поташъ съ Аммiакомъ, (*Tartarus solubilis*,) obtinetur.

P. *Acidum tartaricum*; *Potus acidus vegetabilis*; *Pulvis Convolvuli Jalappae et Supertartratis Potassae*; — *Supertartratis Potassae et Digitalis*; — *Supertartratis Potassae compositus*; *Tartras Stibii et Potassae*.

## SUS SCROFA.

### PORCUS. СВИНЬЯ.

Ubivis reperitur. *Cl.* Mammalia. *O.* Belluae. *Usualis est:*

ADEPS (*Axungia porcina*) ex omento cellulari *ejus* eliquata.

U. Pinguedo hæc consistentiæ *unguenti*, quoniam ubique recens perfacile haberi potest atque peridoneæ est densitatis, pro communissima *unguentorum* et similium, basi, inservit, meritoque omnium ab antiquis propositarum *axungiarum*, rancedine plerumque corruptarum pretiique carioris, vices supplet, imo militari in praxi, commode per se, loco multorum *ceratorum unguentorumque* compositorum, adhiberi potest. Ceterum omnia, quæ de *adipe ovillina* agens, dixi, et heic, intellecta velim.

## TANACETUM VULGARE.

### Пижма обыкновенная; Рябинка дикая.

Planta per totam Europam vulgatissima, in Russia etiam in muris, aggeribus, ad fossas crescens. *Cl.* Syngenesia. *O.* Superflua. *O. N.* Compositæ discoideæ *L.* Corymbiferæ J. Perennis. *Usualia sunt:*

HERBA, foliis bipinnatis, incisis, serratis, quandoque crispis. FLORES corymbosi, compositi, flavi. SEMEN.

Q. Præstans: in *volatili oleo* cum principio *amaro*, juncto, residens, ex *herba* recenti $\frac{1}{200}$ *olei volatilis* educitur, e sicca *extracti aquosi* $\frac{2}{5}$. *Odor* fortis, nidorosus; *sapor* amarus, aromaticus (odori congruens,) adstringens et calefaciens.

V. *Herbae*: incitans vires ventriculi, vasorum sensiferas augens, motum sanguinis, calorem et secretiones promovens, *Seminum*: anthelmintica.

U. In Caledonia adversus arthrodyniam arthriticam anomalam, præsertim, si malum cum diuturna ventriculi debilitate et pituitosa abdominis colluvie jungitur, celebrata fuit

*herba* recens, mane ingesta, vel *infusum* tenue *lacte* et *Saccharo*, mane et vesperi ad selibram potum. *Decoctura* ex *Vino albo*, calida, podagram ad ventriculum conversam, reddidit innoxiam (Bradley.) Alii in *infuso* ad prævertendam podagram suadent (Duncan.) In dialeipyris etiam, diuturnis atque pervicacibus *succus* recens expressus, efficax fuit. Porro contra interaneorum animalia, efficacia esse in primis *semina*, Hoffmanni, Rosensteinii aliorumque multorum testimonio, constat. *Odore* sane, et *herba* vermibus inimica esse videtur, quapropter minime mirum in enterodynia verminosa profuisse; *infuso* autem *herbae florum*que cum *lacte* facto et ano injecto ascarides expulisse. *Semina* adversus helminthiasin crebro sunt adhibita; perperam tamen substituta *seminibus Artemisiae santonicae*, quibus longe minus amara sunt.

D. *Herbae* uncia ad libram *aquae*, vel *Vini*. *Seminum* pulveratorum grana viginti porriguntur. Pro *infuso* drachmæ duæ ad selibram *aquae*, vel *lactis* adhibentur.

V. *Extractum Tanaceti*; *Oleum* —; *Pulvis Tanaceti compositus*.

## THYMUS SERPYLLUM.

Ѳиміанникъ ползучій; Богородская трава; Ѳиміанъ.

Suffruticulus, in collibus apricis aridis Ruthenıæ australis creberrimus. *Cl.* Didynamia. *O.* Gymnospermia. *O. N.* Verticillatæ *L.* Labiatæ J. *Usualis est*:

Herba caule repente, foliis obovatis, planis, obtusis; basi ciliatis, floribus capitatis, purpurescentibus. Horna tantum hujus *herbae* collectio ad usum medicum est adhibenda, quod de omnibus classis hujus plantis, quarum partes efficacissimæ, tam celeriter avolant, observandum est, annuatim idcirco rejectio earum, quæ a priori anno supersunt, sine fraude instituatur. A Thymo villoso discernitur, quod hujus *folia* setacea, pilosa sint, in *Thymo* autem *Serpyllo* ad basim solummodo ciliata.

Q. Præter *oleum volatile* rubrum fragrans, (libræ quindecim *herbae* dederunt *olei volatilis acris* scrupulos quatuor,) *resinam acrem* et *Camphoram* tenet; dum enim *herba* destillatur, *Camphora* mox crystallis in excipulo secedit. *Odore* fragranti, grato, *Camphorae* vicino; *sapore* calido, subamaro, aromatico, ad citrinum, inclinante.

V. Stimulans; nervina; stomachica; resolvens.

U. Ope *infusi* ejus, cephalæam a crapula nepotina tolli Linnæus contendit; pro specifico autem habetur adversus œnomaniam (запой) a D. Salvatori (videsis: *Comment. Societat. physico-med. Mosquensis.)* Extrinsecus: in *fomentis* ad discutiendos stagnantes humores, ad excitandam resorptionem, partesque roborandas, vel in *balneis nervinis*, aut ad ciendos menses adhibetur. Etsi nulla se commendet virtute præ ceteris *verticillatis*; ut indigena tamen et obvia, cum semper bona et minoris haberi possit, colligenda usuique servanda est.

D. Infunditur in *liquidi* libra ad semunciam.

V. *Oleum Thymi Serpylli; Species aromaticae.*

## TORMENTILLA ERECTA.

### Узикъ; завязникъ стоячій.

Planta in sylvis et pascuis sterilibus, imo etiam in locis arenosis obvia, caule erectiusculo, foliis sessilibus, foliolis ovato-lanceolatis, serratis. *Cl.* Icosandria. *O.* Polygynia. *O. N.* Senticosæ L. Rosaceæ J. Perennis. *Usualis est:*

Radix (завязный корень,) conica, superne crassior, nodosa, fibrillis obsessa numerosis, crassitie digiti 2 vel 3 pollicaris; extus ex rubro fusca, intus dilute rosea, superne squammata.

Q. Eximia, styptica, *scytodepsico principio* abundare liquet ex *infusi aquosi* rationibus, quo *Sulphas Ferri* præcipitatur *colore* purpureo, qui mox in nigrum mutatur. *Odoris* ea est et recens et siccata, fere expers; *saporis* styptici, subaroma-

tici. *Aquam* et *Alcohol*, quibus adstrictorias impertitur partes, *colore* rubro tingit.

V. Adstringens; tonica. *Radix* adeo adstrictoria est, ut ad depsenda densandaque coria, in insulis Feroënsibus et Orcadibus, adhiberetur.

U. In atonia fibrarum muscularium, ita in diarrhœa asthenica, dysenteria (non nisi post sollicitas evacuationes) in hæmorrhœis laudatur. Dialeipyras in copula *Gentianae luteae* sæpe propulsat (Cullen;) plerumque tamen, præpostero ab agyrtis circumforaneis adhibita, consilio, easdem intempestive suffocat, aut constringendo vasa subito, humores versus nobilia organa pellit; valet hæc admonitio de administratione etiam in dysenteria. Extrinsecus in gingivarum cruentatione, dentium vacillatione, uvulæ, ani et vaginæ prolapsu, locum habet; imo etiam in ulceribus atonicis, mucosis a cl. Sala laudatur. *Succo Euculipti concreto*, sæpe succedanea esse potest.

D. A semiscrupulo ad semidrachmam in substantia; uncia vero ejusdem in sesquilibra *aquae* decoquitur.

V. *Extractum Tormentillae*; *Infusum ejusdem compositum*.

## TRIFOLIUM MELILOTUS OFFICINALIS.

Трилистникъ донный; донникъ бѣлой и желтой; Буркунъ.

Planta ubique spontanea. *Cl.* Diadelphia. *O.* Decandria *O. N.* Papilionaceæ *L.* Leguminosæ J. *Usuales sunt*:

Flores, penduli, racemosi, flavi, rarius albi, *) vexillo emarginato recedente a carina, alis convolutis, divergentibus, capsulis subdispermis, acutis, rugosis. Herba. *Flores* præferuntur vi *foliis*.

*) Distinguunt Botanici Trifolium Melilotum officinalem floribus flavis et albis, sequenti modo: Melilotus officinalis, leguminibus racemosis nudis 2 spermis, subrugosis, ovatis, subcompressis, acutis, stipulis subulatis; hab. in pratis, ruderatis ad sepes et ripas ubique, annua. Melilotus vulgaris leguminibus racemosis nudis 1 spermis, rugosis, obovatis, acutis, stipulis setaceis; hab. cum præcedente, sed minus frequens, perennis. Corollis paulo majoribus, constanter albis.

Q. A *volatili oleo* pendens. *Odor*, fragrans; *sapor* mucilaginosus, subamarus, herbaceus.

V. Emolliens; resolvens.

U. Vix unquam usurpatur hodie interne; intrat tamen *Caseum* helveticum, quem *Schabzieger* vocitare suerunt, eodem fine, quo alias *Trifolium Melilotus coerulea*, eidem additur. Extrinsecus auxilium spondet, per modum siccorum *epithematum*, vel fluidorum. *Cataplasmata* etiam intrat. Adhibetur vero in catarrhalibus rheumaticis tumoribus et inflammationibus, vel abscessibus ad maturitatem perducendis. Veteribus planta hæc *Lotus mellitus* fuit dicta, quia apes ex nulla *herba* plus *mellis* et suavioris capiunt, quam ex *Meliloto*. (BOËRHAAVE.)

V. *Emplastrum Meliloti*.

## TRITICUM ÆSTIVUM et HYBERNUM.

### Пшеница яровая и озимая.

Planta apud Baschkiros in campis colitur una cum *hyberno* ad 62°, communissime in Russia australi. In Calabria uberrima messis. *Cl.* Triandr. *O.* Digyn. *O. N.* Gramina *L.* Gramineæ J. Annua. *Usualia sunt:*

SEMINA, inclusa calyce quadrifolio, ventricoso, glabro, imbricato, aristato in *Tritico aestivo*; in *Tritico* autem *hyberno*, submutico. Rubiginem, cariem, (quæ granis gryseis, pulvere nigro repletis, dignoscitur,) vel ustilaginem (quæ loco granorum glebas fuliginosas, cum paucis glumarum albidis reliquiis in spicis gerit,) sentientia, ut usui inepta merito damnantur. FARINA; AMYLUM; FURFURES; PANIS AZYMUS.

Q. *Seminum* farinacea, mucilaginosa, *Gluten*, *Amylum*, *Albumen* dulcemque *saccharinam mucilaginem* continent, quæ nullo negotio, a se invicem separari queunt. *Tritici hyberni aestivo* prævalentis, materiæ nutritiæ libræ decem analysi chemica exploratæ continebant *glutinis* et *cuticulae* libram et semunciam, *Amyli* uncias nonaginta, *principii saccharini* sescunciam, *gummatis* drachmas octodecim. (HERMBSTÆDTS *Archiv. der Agriculturchemie.*) E *farina* fit *pasta* cum *aqua*

*pura*, quæ inter manus probe malaxata, atque eousque lota, donec *aqua* decolor fluxerit, tandem *gluten*, quod superest, præbet; si vero id non est; pro certo tamen *fibrinae* animali substantiæ, perquam analogum. Si *aqua*, qua lavabatur *pasta* certo tempore steterit, tum *pulvis* albus, qui *amylum* est, separatur. Cum *albumen* adhuc et *mucilago* dulcis in eadem *aqua* supersint, leni evaporatione *albumen* adinstar flocculorum, separatur; *mucilago* autem dulcis facta, evaporatione ulteriori, eaque exacta, obtinetur.

V. Nutriens; emolliens, *farinae*; *panis azymi*: alvum adstringens.

U. *Farinae* (præter diæteticum) siccatæ probe pro *cataplasmatibus* emollientibus, in inflammationibus ad mitigandos dolores, adhibendis, vel ad resolvendos, ex. gr. bubones, tubercula hæmorrhoidalia inflammata, vel ad suppurationem ciendam, e. gr. in tumoribus glandularum in suppurationem gravatim transeuntibus, quo in casu *mel*, *radix Allii Cepae* etc., recte adduntur; nec minus in abscessibus, furunculis etc., utilitatem promittunt, imo etiam in spasmis abdominis. In diarrhœa et dysenteria, coctura cum *aqua* additis aliis *mucilaginosis*, *decoctura* Sydenhami alba, vulgo dicta, suetum remedium. Denique *farina* et *panis triticeus*, ut experientia docet, pro *cataplasmate sinapino* simplici cum *Aceto*, *farina seminum Sinapis nigrae*, vel *aromatico*, vel resolvente frigido cum *aceto* aliisque, apta. Decocti *furfures* tussi ab acri prosunt; extrinsecus vero in *balneis* pedum emollienti scopo adduntur, vel in *aqua* pro *clystere* coquuntur. Calide adplicati œdemata pedum dissipant. *Decoctura* Sydenhami *alba* fit, e duabus *micarum panis triticei* unciis, *gummi Acaciae verae* semuncia, in sex libris *aquae* decoctis ad libras quatuor, addita *Sacchari* semuncia, remanentes.

V. *Amylum triticinum*; *Cataplasma Tritici*; — — *caepinum*; — — *opiatum*; *Clyster Amyli*; — *nutriens*; *Decoctura Furfuris.*

# TUSSILAGO FARFARA.

**Бѣлокопытникъ; Подбѣлъ; Мать и Мачиха.**

Planta in solo argilloso ad fossas, et in campis humidis gignitur. *Cl.* Syngenesia. *O.* Superfl. *O. N.* Compos. radiatæ *L.* Corymbiferæ J. Perennis. *Usuales sunt*:

Flores, calyce simplici, squamis æqualibus, discum æquantibus, submembranaceis; cor. fœmin. ligulatis; receptaculo nudo, pappo simpl. sessili. Folia, (cordata, angulata, dentata, subtus pubescentia.) Radix.

Q. Totius plantæ recentis: *Sapor* mucilaginosus, subamarus, acris et aliquantum aromaticus; *odor* gravis. Verisimile est *extractivo - amaro* et *scytodepsico* pauco, multaque *mucilagine* niti. *Infusum Tussilaginis Sulphate Ferri* obscure fucatur.

V. Expectorans; demulcens; ab acri defendens, vel idem involvens.

U. *Succi foliorum*, vel e tota *planta* verno tempore expressi: in scrofulosis glandularum stasibus (Cullen, Percival, Meyer,) efficacia celebratur, haud secus ac in ulceribus ejusdem indolis. Tussientibus ab omni ævo commendata fuit, potioremque inter pectorales locum tenuit: pro phthisicis, febri lenta tabescentibus, pneumonicis, raucis a morbillis. Permagni pendenda, arbitratu Fulleri, *decoctura foliorum* ad scrofularem phthisin curandam, adeo, ut vel graviori sufficere, contendat. *Fumum foliorum* arundine, vel infundibulo exceptum tussi et orthopnœæ esse utilem, Dioscorides, Galenus, Plinius, adseverant; per fumisugam fistulam, suctum odontalgiæ esse adcommodum, alii referunt. *Radix* siccata conquassataque, fomitis instar, ad captandas scintillas idonea. *Melle* mistam in exulcerationibus pulmonum prodesse, refert Hippocrates; recentem vero in catarrhalibus adfectionibus, (Detharding.) Folia siccata instar theæ hausta, Boyle contra tussim catarrhalem et asthmaticis suadet. Dioscorides in hisce morbis *vaporem foliorum* in *aqua* coctorum laudat. Extus *folia* recentia contusa inflammationibus et ulceribus im-

posita conducunt; succus per aliquot dies potatus, quartanam curasse dicitur dialeipyram (Boërhaave.)

## ULMUS CAMPESTRIS.

Илинъ полевый; — длинночеремный; Вязъ.

Arbor procera, tam in australiori, quam frigidiori Europa crescens, Gades et Gestriciam terminos ponente ill. Linnæo. *Cl.* Petandria. *O.* Digyn. *O. N.* Scabridæ *L.* Amentaceæ J. *Usualis est*:

Cortex ramulorum interior et arboris junioris (fuscus, tenuis, tenax.) Majo mense colligendus.

Q. *Mucilagine* abundant tenelli rami; sed coctus et in *extractum* densatus *succus* manifesto adstrictorius est et *Sulphatem Ferri* e fusco nigrescenti colore præcipitat. *Sapor* corticis subamarus, adstringens, ceterum inodorus.

V. Adstringens; roborans; diuretica.

U. *Decocturae* in fœditatibus cutis, uti psora, tinea, herpetibus, lepra, ubi et intus et externe præscribitur. Scilicet coquitur *cortex* leni igne ad unciam in libra *aquae*, data, ut alvus laxa sit, opera, in connubio *radicis Tritici repentis*, *Leontodontos Taraxaci* et *decoctura* hæc perseveranter quotidie propinatur. Cessuri exanthematis indicium est haud æquivocum, eruptionem versus superficiem niti; sed eadem *decoctura* extrinsecus oppugnandum est. Cl. Lettsom efficaciam *corticis* in illa etiam *leprae* specie, quæ a Sauvagesio ichthyosis dicta est, deprædicat. Laudatur etiam ab aliis in ulceribus, arthrodynia, in primis podagra, diarrhœa, dysenteria, hydrope, dialeipyris; sed non temere ob adstrictoriam vim adhibendus.

V. *Decoctura Ulmi.*

## VACCINIUM OXYCOCCOS.

### Oxycoccus Europæus Pers.

Брусничникъ журавлиной; Клюква; Журавлина.

Suffrutex in locis udosis septentrionalis Russiæ crescens; foliis sempervirentibus integerrimis revolutis, ovatis, caulibus repentibus, filiformibus nudis. *Cl.* Octandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Bicornes *L.* Ericeae J. *Usuales sunt:*

Baccæ recentes, (*Клюква*) frigore tactæ rubro-purpureæ, magnitudine *pisi* majoris, globosæ, undique glabræ. Succus earundem.

Q. *Sapor* acido-stypticus; adustarum gelu *baccarum*, acido-gratus; *odor* vix ullus.

V. Refrigerans; analeptica; subadstringens; antiscorbutica; antiseptica.

U. *Roob* earum in febrientium usum, *aqua* dilutum, pro potu exhiberi potest et in primis in biliosis, putridis, sic dictis febribus, in ipso scorbuto, quibus *succus* quoque idoneus est. *Succo Citri medicae* ubique fere succedaneus, ubi *potio ordinaria acidula* opus est. *Baccae Saccharo* conditæ in culinis Ruthenorum et Suecorum notissimæ. *Succus baccarum melle* etiam maritatur. Videsis: Hydromel.

D. *Succi* unciæ duæ, cum libra *aquae*, addito *Sacchari* tantillo, propinantur.

V. *Mel Oxycocci*; *Roob* ——; *Succus ejusdem nitratus*.

## VALERIANA OFFICINALIS.

Булдырянъ аптечный; Маунъ; Земляный ладанъ.

Planta cal. nullo, cor: monopetala, basi hinc gibba supera, semen unum, floribus triandris, foliis omnibus pinnatis, in pratis plerumque depressis et humidis crescens, efficacior in montosis, siccis, fol. angustioribus, fere laciniatis, caule humiliori, odore gravior. Cultura immutata. *Cl.* Triandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Aggregatæ *L.* Dipsaceæ J. Perennis. *Usualis est:*

Radix fibrillata, fibrillis subfuscis, tenuibus, hirtis tenacibus, rhyzomate cilindrico; extus fusca, intus alba, ante anthesin, ineunte vere, evellenda, atque a squalore liberata siccanda probe, clausoque vitreo vase, quoniam volatile et fugax, quod efficax est, in loco sicco et frigido servanda. In *pulverem* ubi usus inciderit, recenter quoad fieri potest tenuanda. Loco ejus *Rusci aculeati radicem* adhiberi monuit Sylvius, sciteque innuit maleficium perfacile detegi eo, quod hæc dura sit, frangique contumax, atque sine ulla *odoris* gratia. Porro etiam *Eupatorii Cannabini radicem* in vicem ejus submoveri, atque venundari aliorum est monitum. Neque cum *radice Valerianae Phu*, longiori, majori, fibrosiori, ingrati debiliorisque *saporis*, aut *Dioicae*, inerti, fibris tenuioribus præditæ, albiori *odoris*que debilioris, confundenda. *Radix Valerianae off.* crassior, minus fibrillata, magis lignea, fragilis, et cinereo castanei *coloris*, jure meritoque rejicitur. *Ranunculorum* quædam species, ut *Ranunculus bulbosus*, — *repens*, — *polyanthemos*, *radicibus Valerianae* a *Rhizotomis*, mercibus adulterandis, magna copia admiscentur, ægre distinguendæ etiamsi acerrimæ; odorem tamen *Valerianae*, nequiter simulantes.

Q. Præstans. Nuperrima Trommsdorfii analysis evicit, *oleo volatili*, et haud parca quidem copia niti; nonagesimam enim sextam partem totius ponderis, seu quatuor scrupulos e sexdecim unciis hanc esse particulam *oleoso aethercam* docuit. Præterea octavam ponderis partem elicuit idem vir principium peculiare, quod *Muriatem Ferri* viridi colore tingit, plures etiam solutiones metallicas præcipitat, hinc *acidi* ingenium ostendit. Tandem insunt decima sexta pars ponderis *resinae odorae*, quæ cum *Potassa liquida* neutiquam jungitur, et vicesima quarta pars *extracti gummosi*. Odor *radicis* recentis graveolens, hircinus, subnauseosus, felibus gratus; *sapor*, ingratus, amaricans, subacris. Siccatæ *odor* et *sapor* fere intensiores.

V. Præstans, nerveum systema excitans, ejusque actionem intendens, estque in usu quotiescunque promta efficaciaque stimulantia et roborantia e re sunt. Nimiam incitationem tol-

lens, insalubriter intensam, extensive auctam, incitabilitatem minuens, eamque vicissim instaurans, si intensive ita tenuis fuerit, ut aucto incitamento resistere non valeat. Pulsus arteriæ intendens, calorem augens, omnes excretiones promovens, cutemque in primis adficiens. Antispasmodica, menagoga, anthelminthica. Majoribus dosibus, ægris mobiliori nervorum systemate præditis, anxietatem, vomitus, alvi profluvium, causans.

U. Ex his, quæ de *Valerianae off.*, virtute obiter dicta sunt, per inductionem facile est collectu, quibusnam in morbis illius commendandus sit usus, quum vero et heic optima sit dux experientia, præcipuas specialium morborum formas, ex veterum recentiorumque testimonio, succincte retulisse ducimus. Præcipui, contra quos celebritatem nacta est, morbi sunt in genere convulsivi et spasmodici, sic epilepsia (Haller, Tissot, Whytt;) psychica, pathetica, (Gruner;) menischetica (Riverius;) verminosa (Marchant,) (conjunctim cum *foliis Citri Aurantii*, aut *oleo*, si præsto est, *Melaleucae Leucadendri*;) scelotyrbe (Brisbane;) catalepsis, trismus, enterodynia spasmodica. Ita sub diathesi hypochondriaca, aut hysterica, paroxysmis algore extremitatum et congestionibus ad caput incipientibus, nec minus in dolorificis asthenicis adfectionibus systematis nervei utilis, sic in hæmicrania palmarium largiori dosi, et repetita sumtum, habet Fordyce, qui ipse se ab eadem quadrienni liberavit. Vertigo, quæ ex ærumnis et sollicitudine, post magnam humorum cladem nascitur cum pallore et frigore cutis juncta *radicis Valerianae* cum *herba Menthae piperitae* et *Chenopodii Ambrosioidis*, aut *radice Amomi Zingiberis* mixtæ, sæpenumero cedit (Sprengel.) In paralyticis malis, unanimi consensu impenseque laudatur, vel sola, vel in connubio fortiorum *stimulantium*, nec minus in apoplexia. In amaurosi cel. Richter ejus usum laudat, eaque vel interne, vel extus in pulvere, sternutamenta proritando, vel in infuso cum *Alcohole diluto camphorato*, admoto adhibetur. Cum in morbis exanthematicis, arthrodynia, myodynia rheumatica etc.; auctorum commendationem habeat, ita tantum-

modo valet, ut hi morbi ab imminuta orti sunt incitatione, tum scilicet pro gradu incitabilitatis adhibita, haud spernendam adfert utilitatem. In omnibus formis asthenicarum febrium, sic in typho, seu is, pure pute, nervosus est, seu in secessum humorum nitatur (additis *acidis mineralibus*,) aut biliosa, pituitosa complicatione stipetur, aut exanthematibus, variolis, morbilis, petechiis, etc., vel ubi is statum paralyticum, vel spasticum prodit, parvo, spasmodico, inæquali pulsu, parva spiratione, siccitate, algore et pallore cutis, ariditate et tremore linguæ, tacito delirio, comitatus, magnæ est efficaciæ. In dialeipyris sub spastico statu a quibusdam laudatur. Verminantibus cel. Störk, omni cum successu porrexit; in chronicis tamen hujus indolis morbis per modum additamenti ad *anthelminthica* aptior, vel etiam ad amara, si asthenia majoris gradus urgeat (Gajewsky) *Dissert. vermium intestinalium corporis humani historiam sistens. Petropoli* 1806. *Radix* masticata et extrinsecus applicata, visum confortare dicitur, maculasque oculorum adstergere. Boërhaave.)

D *Pulveratae radicis* in chronicis morbis est commodissima, et maxime vulgaris forma, quæ tamen haud, citra incommodum sumitur. Interne a granis decem ad scrupulum et drachmam usque propinatur, vel sola, vel cum *aromate* quopiam sub debilitate ventriculi, vel sub diathesi pituitosa cum *Supertartrate Potassae*, *Muriate Ammoniae*; sub musculari debilitate cum *Cinchona*, *Ferro* etc; in neurasthenia majori, cum *Moscho*, *Castoreo* etc.; vel etiam per modum *electuarii* cum *melle*, vel *syrupo*. *Infusum aquosum* non adeo efficax; *vinosum* autem præstans. *Decoctura* vix alicujus efficaciæ. Summa cum utilitate in modum *tincturae* exhibetur, præsertim ubi *alcoholisata* non sunt aliena, fractasque vires cito resuscitari expedit, ut in morbis typhodibus.

V. *Extractum Valerianae officinalis*; *Infusum* — — *Oleum* — —; *Species sopientes*; *Tinctura Valerianae aetherea*; — — *ammoniata*; — — *camphorata*.

# VERATRUM ALBUM.

## HELLEABRUS ALBUM.

## Чемерица бѣлая.

Planta Græciœ, Italiæ, Austriæ et Rutheniæ australis ac Severiæ incola sponte crescens, *Cl.* Polygamia. *O.* Monœcia. *O. N.* Liliaceæ *L.* Junci J. Perennis. *Usualis est:*

RADIX fibrosa, conico-cylindrica, extus fusca, intus *coloris* albidi. *Radix Veratri Lobeliani* non fraude, sed ignorantia sæpe surrogatur eidem.

Q. A *principio acri extractivo-resinoso* petenda. *Odor* præsertim sub trituratione nauseosus, sternutatorius. *Sapore* est acri, fauces urente, linguam vellicante, intense amaro.

V. Venenata; irritans; sternutatoria; drastico-cathartica: anthelminthica, phthiroctona.

U. Morbi chronici nervosi; mania, epilepsia, rabies hydrophoba, enterodynia habitualis (HAHNEMANN,) asthma, hydrops, podagra novissimis experimentis? *Extrinsecus*: Tinea capitis, psora, herpes exulceratus et crustaceus, phthiriasis. Ad pediculos necandos et curandum rebellem herpetem suadetur *unguentum* ex uncia *radicis*, *adipis suillae* unciis quatuor et *tincturae Citri* semidrachma. Dignum est memoratu *aquam* HUSSONII medicatam, (*Eau médicinale* D'HUSSON) quæ nuper in podagra celebritatem consecuta est, e *tincturae vinosae Veratri albi* patribus tribus et *tincturae Opii crocatae* (*Laudani liquidi*) parte coalescere, (MOORE.) Loco *Veratri*, *Gratiolam*, vel *Colchicum autumnale* adhibendum esse alii contendunt, (JONES.)

D. A granis duobus ad sex cautissime augendo. Scrupulum pro *infuso* cum sex unciis *aquae* dimidiaque pars per diem sumenda est. Liberalius ingesta puta ad scrupulum, ardorem faucium, gastritidem, vomitus vehementes cardialgiam, doloresque lancinantes intestinorum, gangrænam, in mortem, ni antidotus obstiterit, desituram, adfert. Antidotus ejus est *Coffea arabica*, forsitan et *acida lac.* HIPPOCRATES, sub usu *Ve-*

*ratri*, ægrotis suadebat *hydromel* per aliquot dies potandum, hacque ratione medicamentum mitius agere, sibi persuadebat.

## VERATRUM SABADILLA. (Retzii.)

### Чемеричникъ вшеморный.

Planta Mexicana. *Cl.* et *O.* præcedentis. *Usualia sunt:*

Semina, capsulis oblongo-acutis, nigris membranaceis, tecta.

Q. Venenifera. Gustatu *semina* amara, acria, urentia; *odor* vix ullus.

V. Drastico-cathartica; anthelminthica, phthiroctona.

U. Fere in iisdem morbis, ubi *Veratrum album* laudatur, prodest, ita in morbis animi nervosisque: mania, melancholia, epilepsia, catalepsi, scelotyrbe etc. præcipue autem efficax est adversus vermes et insecta. Ascarides *clystere* injecta necant; imo etiam *taeniae solio* obponitur.

D. Infanti bimulo, quadrimo, granum, duo; octenni grana quinque; duodecenni grana decem, cum *syrupi*, vel *mellis* quantitate sufficienti, post quinos dies *catharticon* interpolando. Provectioris ætatis hominibus a duodecim granis ad scrupulum *extracto* quopiam amaro excepta. Pro *infuso* semiscrupulus in *aquae* suffervefactæ, aut lactis uncia, suadente Herzio, sufficit. Pro *clystere* drachmæ duæ, vel semuncia in *aquae* bullientis, vel *lactis* libra. *Pulverem*, ut phthiroctonum extrinsecus in valetudinariis militaribus adhiberi juvat; cavendum tamen est, ne *pulvis*, aut *Piperis*, aut *Veratri albi*, malesuada fraude, subrogetur eidem.

V. *Clyster Sabadillae.*

## VERONICA BECCABUNGA.

### Вероника ручейная.

In fossis et locis humidis copiosa, in locis scaturiginosis, ad fontium latera, in rivulis, qui per hyemem raro congelant. *Cl.* Diandr. *O.* Monogyn. *O. N.* Personatæ *L.* Pediculareæ J. *Usualis est:*

Herba recens, spithamea, vel ultra, glabra, succulenta, caule repente, tereti, simplici, vel subramoso. Foliis ovatis; planis, subcarnosis, obtusis, serratis, dilute virentibus; floribus racemosis lateralibus, racemis obpositis, bracteis lateralibus.

Q. *Odor* contusorum *foliorum* debilis; *sapor* amaricans, stypticus, acriculus. Masticata *folia* tenera *sapore Sysymbrii Nasturtii*, obscure imbuta, adstrictionem stypticam, in ore relinquentia, satis diu inhærentem. *Caules* masticati *foliis* congruunt.

V. Antiscorbutica.

U. *Succum* e *Veronica Beccabunga* expressum, contra scorbutum valere, Hoffmann adseverat, cujus uncias duas ad quatuor epotari etiam in connubio *seri lactis* Chomel suadet; nec inepte cum *succo Cochleariae officinalis*, vel alterius *antiscorbutici* efficacioris commiscetur. Extrinsecus ulceribus scorbuticis cum successu admovebatur Pauli teste. Hæc *planta* jure meritoque adtentionem vindicat, quippe quæ *sapore* amaro, et analogia cum virtutibus *plantarum* proxime adfinium, præsumendi causam præbet, fore eam, præter antiscorbuticam, tonicam etiam vim exserturam, legi etiam illa potest, iis anni tempestatibus, quibus aliæ *antiscorbuticae* desiderantur, nisi siccæ, aut conditæ.

## VITIS VINIFERA.

### Виноградина.

*Frutex* in regionibus australibus omnium mundi plagarum sponte crescens; cultura vero viget in aliis sub mitiori cœlo sitis; sed non ultra quinquagesimum primum gradum septentrionem versus, et tricesimum versus æquatorem; apud nos vero in provincia Bessarabica ad Istrum, Pruthum et alibi item ad Hypanim, in Chersoneso taurica circa rivum Katsa; in transalpina vero circa Balaclavam, Alupcam, Ursuf, in hortis Niceticis (Никитскіе сады) Aluschtam, et in primis in amœna valle Sudac, passim spontaneus et altissimas arbores

scandens, denuoque ad terram demissus, sic etiam ad Tanaim, et fluvium Cimlam et vallium totius caucasi temperatiorum, et ad Elborum, haud secus ac circa mare Hircanum Astrachaniæ, atque in Iberia Persidi cumprimis contermina copiose, et altitudine, supra arbores maximas adscendens, enititur. In Europa minime cum successu supra 50° exceptis Dresda, Naumburgo, et Thoruno? colitur. *Cl.* Pentandr. *O.* Monogyn. *O. N*-Hederaceæ *L.* Vites J. *Usualia sunt*:

Baccæ (uvæ) recentes maturæ, — — immaturæ; — siccatæ (*Passulae*, *Uvae passae*); изюмъ; Mustum, seu succus ex *baccis maturis* expressus; Sapa, slavoserbice Маджумъ, seu *Mustum* avolantibus coctione *aquosis* partibus ad dimidiam partem absumtum spissatumque; Defrutum, idem ad quartam partem densatum; Vinacea виноградные выжимки seu pars post pressionem *uvarum* remanens; Vinum (*Temetum*) e *Musto* ope fermentationis surgens, quod etiam, licet longe debilius, ex aliis *fructibus acido-dulcibus*, paratur, quale est Pomaceum, *liquor pomaceus fermentatus*, seu *Cidre*, slavice яблонникъ, Videsis: Vinum Lusitanicum artefactum; Omphacium (*Agresta*), succus immaturarum *baccarum*.

Q. *Baccarum* species, æque haud ignobiles sunt diversæ, variaque a Ruthenis nomina sortiuntur, puta *apyrena* (*Kyschmysch*), *praecox*, *hungarica*, *crassipellis*, *cylindracea* (козьи пипьки), *casbinica*, *pinguis*, *Constantinopolitana*, *autumnalis* (осенчакъ) et aliæ, præsertim in Tauride varietates, (Habliz *Descript. Cherson. p.* 72;) *laciniosa* vero et *syriaca* e Britannia, huc translatæ, in tepidariis plerumque Petropoli et Mosquæ maturabantur; quod vero spectat figuram, aliis est oblonga, aliis globosa, aliis, præ brevitate pedunculorum, angulata, nec magnitudo *uvis* eadem; color autem mox viridis, mox rubellus, cœruleus, brunus, flavidus, pendetque a cuticulis *baccarum*, nisi arte, ut fieri solet, vel productus, vel auctus fuerit. Epidermis earundem, mox tenuis, mox crassior. Continent *baccae* plerumque *Saccharum*, *Albumen*, *gelatinam gluten*, *mucilaginem*, *Supertartratem Potassae*, *Acidum tartaricum*,

*citricum*, et *malicum*; et quo propiores sunt maturitati, et minus *Acidi malici*, et plus *materiae saccharinae* tenent; siccatis etiam plus inest ejusdem, quam recentibus, hinc minime mirum *vinum malacense* (*Malaga*,) Frontinianum (Фронтиньякъ) *Tokayense* dulce (vulgo *effluvium* vel *essentia*) hac in primis scatent. Fermentatio vinosa pendet a *glutine*, quod Fabronio docente, inest membranis separantibus cellulas *baccarum*, nec prius, quam peracta *succi* expressione, cum parte *saccharina* commiscetur. *Vina* vel alba vel rubra sunt, quæ coloris varietas, diversis gradibus discrepans, non a *succo baccarum*, ast epidermidis *pigmento* pendet. Porro, vel dulcia sunt, vel acida, vel austera, quædam plus *Alcoholis* tenent, alia magis *aquosa*. Vetustate insuper crescit eorum virtus. Essentiales omnium *vinorum* proprietates sunt, quod teneant unum, vel duo *Acida*, præcipue *Acidum malicum*, quod in debilioribus *vinis* prædominio petitur; in aliis vero prædominatur *Acidum carbonicum*, ut in *Campanaceo*, (Шампанское вино,) *Cimlensi* (Цимлянское вино,) *vinis Acsaicis*, et *materia extractiva*, quæ in vetustis *vinis* præcipitatur, et deponitur cum *tartaro*, *oleum* etiam *volatile* iis inhæret, a quo sapor pendet, dein *materia colorans*, et *Alcohol*, quo præcipue medica *Vini* virtus nititur. *Vinum rhenanum* (Рейнвейнъ, Рейнское виноградное вино), *acido malico* ætate cum *Alcohole* arctius juncto, separata majori *Supertartratis Potassae* copia, *aetheris* naturam induit. Inter *vina taurica* optimum est *Sudacense*, præsertim illud, quod transplantata *Vite* Tokayino, conficitur. Tanaitarum (Донцовъ или Донскихъ козаковъ) *vina* sunt: *Cimlense* a fluvio Cimla dictum, *Rasdorense*, *Melechowiense*, et *Vedernikowiense*. Primum est dulcedine et rubeo colore conspicuum, et *albo* facilius conservatur. *Cimlense* album cedit, bonitate ceteris. Hoc et *vina*, quæ in Acsaicis montibus conficiuntur, æmulantur *vinum campanaceum*. Sunt autem hæc *vina* loco calido vix conservabilia; cito enim acescunt; in caveis autem, lagenis sabulo immersis, optime conservantur, sed caveæ illæ non de-

bent esse frigidæ hyemali tempore. *Vina hypocaucasea*, utpote *Kizluriensia*, *Soanensia*, seu *Törökiensia*, *anticetica*, sub nomine чихирь nota, sunt debilia, vel vappida; Iberica quoque ejusdem indolis. Quam sit Hungaria *vinorum* (variarum specierum) ferax, legi meretur NOVOTNYI *Sciagraphia*, seu *compendiaria Hungariæ notitia*, *Viennae* MDCCXCVIII edita, p. 265. Plerisque europæis *vinis*, nisi omnibus, palmam præripit *vinum* dulce *Tokayense*, et in civitatibus maxime submontanis Comitatus Semplinensis: Benye, Keresztur, Liszka, Mada, Patak, Sátorallya, Tolsva, Tállya, Tartzal, et Tokay provenit., In his tres *Tokayensis vini* ordines a Carpato-Russis, et Hungaris adparantur. 1° *Essentia*, guttatim e *baccis* collecta, est maximi pretii, mensis regalibus et Summatum inservit, 2° E *baccis* siccatis et pressura exactis, vulgo *Ausbruch*, seu *effluvium*, 3° Ex affusione alterius *vini*, in reliquias priorum, vulgo *Maslas*. Principe loco promontorium Tokayense, proxime Tallyense, pro diuturniore conservatione Tolsvense commendatur. Inter eugenia etiam Hungariæ *vina* referuntur: in Comitatu Posoniensi *Retsense* et *S. Georgiense;* in Nitriensi *Zomboriense* fortitudine, *Madiense* sapore eminens, *Vaag-Ujhelyense* Burgundico non cedit; in Nagyhontensi *Baka-Banyense* maxime diureticum; in comitatu Castri ferrei *Eisenbergense* *Tokayensi* proxime accedit; in Baranyensi *Vilanense* *Burgundicum* sapore vincit; in Schimeghiensi promontorium Szelitzense, et Kereszturiense, optima *vina* proferunt; in Pestinensi *Kostorense*, *Rhenano* proxime accedit; in Pilisiensi *Budense* rubrum excellit; in Abaujvariensi *Baldagyense*, *Hetzense*, mensas magnatum ornant; in Aradiensi *Ménessense* excellit. Melioris notæ Germanica *vina* sunt: *Herbipolitanum*, *Marcobrunense*, *Hochheimense*, *Joannisbergense*, *Rüdesheimense* et *Asmanshusense*; Italicorum *vinorum* generosissimum est ad radicem Vesuvii crescens, *Lacryma Christi* dictum, cui adjungi potest *Moschatellinum*. Ex gallicis rubris *vina*, quæ *Cahors*, et *Medoc* cognominantur, in primis experiuntur, item *Campanacum*; inter Hispanica eminent, quæ in Granada, Andalusia, Valentia, quorum *vinum Illicitanum* (*Ali-*

*sante;*) *vinum Tinto* dictum; *Xeres*; in Lusitania *Portugallicum* præsertim a boreis gentibus expetitur. Ad exotica *vina* pertinent *Capense* (quod FOURCROY aliis præfert,) *vina canarensia*, ut *Maderaicum*. Ex Candia transfertur *Malvaticum*.

Tabula Cl. Neumanni exponens relativas quantitates (portiones) Alcoholis in variis vini generibus e Systemate Chemiæ clarissimi Thomson depromta.

| Tres libræ circiter. (Quart angl.) | continent: Alcohol. puriss. rectificatiss. | | Spissioris, oleosæ, unctuosæ, et resinosæ materiei. | | | Gummosæ et tartarosæ materiei. | | | Aquæ. | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | uncia. | drachm. | unc. | dr. | gr. | unc. | dr. | gr. | lib. | unc. | dr. | gr. |
| Aland . . . . | 1 | 6 | 3 | 2 | 0 | 1 | 5 | 0 | 2 | 5 | 3 | 0 |
| Illicitani . . . | 3 | 6 | 6 | 0 | 20 | 0 | 1 | 40 | 2 | 2 | 6 | 0 |
| Burgundici . . | 2 | 2 | 0 | 4 | 0 | 0 | 1 | 40 | 2 | 9 | 0 | 20 |
| Carcassonensis. | 2 | 6 | 0 | 4 | 10 | 0 | 1 | 20 | 2 | 8 | 4 | 30 |
| Campanacei . | 2 | 5 | 0 | 6 | 40 | 0 | 1 | 0 | 2 | 8 | 3 | 0 |
| Gallici vulgaris | 3 | 0 | 0 | 6 | 40 | 0 | 1 | 0 | 2 | 8 | 0 | 20 |
| Frontiniani . . | 3 | 0 | 3 | 4 | 0 | 0 | 5 | 20 | 2 | 4 | 6 | 30 |
| Vini Graviensis | 2 | 0 | 0 | 6 | 0 | 0 | 2 | 0 | 2 | 9 | 0 | 0 |
| Eremitani . . | 2 | 7 | 1 | 2 | 0 | 0 | 1 | 40 | 2 | 7 | 5 | 20 |
| Maderaici . . | 2 | 3 | 3 | 2 | 0 | 2 | 0 | 0 | 2 | 4 | 3 | 0 |
| Malvatici . . | 4 | 0 | 4 | 3 | 0 | 2 | 3 | 0 | 2 | 1 | 2 | 0 |
| Vini montis Pulciani | 2 | 6 | 0 | 3 | 0 | 0 | 2 | 40 | 2 | 8 | 0 | 20 |
| Mosellani . . | 2 | 2 | 0 | 4 | 20 | 0 | 1 | 30 | 2 | 9 | 0 | 10 |
| Moschatellini | 3 | 0 | 2 | 4 | 0 | 1 | 0 | 0 | 2 | 5 | 4 | 0 |
| Novocastrensis (Neuſchatel) | 3 | 2 | 4 | 0 | 0 | 1 | 7 | 0 | 2 | 2 | 7 | 0 |
| Palmsect . . . | 2 | 3 | 2 | 4 | 0 | 4 | 4 | 0 | 2 | 2 | 5 | 0 |
| Pontac . . . . | 2 | 0 | 0 | 5 | 20 | 0 | 2 | 0 | 2 | 9 | 0 | 40 |
| Rhenani vetusti | 2 | 0 | 1 | 0 | 0 | 0 | 2 | 20 | 2 | 8 | 5 | 40 |
| ——— vilioris | 2 | 2 | 0 | 3 | 20 | 0 | 1 | 34 | 2 | 9 | 1 | 6 |
| Salamancensis | 3 | 0 | 3 | 4 | 0 | 2 | 0 | 0 | 2 | 3 | 4 | 0 |
| Xeres . . . . | 3 | 0 | 6 | 0 | 0 | 2 | 2 | 0 | 2 | 0 | 6 | 0 |
| Hispanici . . | 1 | 2 | 2 | 4 | 0 | 9 | 4 | 0 | 1 | 10 | 6 | 0 |
| Vino Tinto . | 3 | 0 | 6 | 4 | 0 | 1 | 6 | 0 | 2 | 0 | 6 | 0 |
| Tokayensis . | 2 | 2 | 4 | 3 | 0 | 5 | 0 | 0 | 2 | 0 | 3 | 0 |
| Tyroliensis rubri | 1 | 4 | 1 | 2 | 0 | 0 | 4 | 0 | 2 | 8 | 6 | 0 |
| Vini rubri . | 1 | 6 | 0 | 4 | 40 | 0 | 2 | 20 | 2 | 9 | 3 | 20 |
| — albi . . | 2 | 0 | 0 | 7 | 0 | 0 | 3 | 0 | 2 | 7 | 0 | 0 |

V. *Baccarum* nutriens; refrigerans; antiseptica; majoribus in præbiis eccoprotica; diuretica. *Uvæ* siccatæ sunt plus catharticæ, quam recentes; sed citius inflationem causant. *Mustum* est eccoproticum; sed ob fermentationem, quam facile in primis viis subit, non facile fertur. *Vinum* stimulat, ejusque hæc

proprietas est minus diffusibilis et permanentior, quam *Alcoholis*; prudenter vero usurpatum languentem ventriculum roborat, orexin auget, *ciborum* digestionem adjuvat, vires restaurat, diaphoresin cit, et si acidæ naturæ est, sæpe diuresin. *Vinum* majorem exserit actionem in sanis, quam ægrotis. *Recens* citius producit temulentiam et catharsin, quam *vetustum*.

U. *Baccae* maturæ crudæ eduntur in morbis febrilibus, biliosis, putridis, adfectionibus inflammatoriis. *Dulces* in primis phthisiscentibus eximie conducunt, quin est inter exempla, *hisce* solis quotidie comestis, accedente in vineis cœlo sudo serenoque, auræ liberæ, aut itineris beneficio, plures convaluisse, haud secus ac quemdam a dysenteria rheumatico-biliosa mitiori, *succo baccarum* expresso, educta bile, dysenteriaque in salubrem diarrhœam conversa. *Baccae cylindraceae* (козьи титьки) tantum plerumque esui offeruntur, aut in vicem *Cucumerum*, *Muriate Sodae depurato*, (his deficientibus) a Tanaitis consperguntur. *Succus baccarum* expressus optimum sane nobis præstat remedium in omnibus iis morbis, qui ex imminuta reactione oriuntur, in febribus asthenicis, in morbis spasmodicis a debilitate, neurosibus chronicis, dyspepsia, arthrodynia atonica, hydropibus etc. In excretionibus chronicis mucosis, hæmorrhœis infantilibus chronicis et denique in stadio reconvalescentiæ. *Succus* e *dulcibus* et maturissimis *baccis* expressus, atque in densitatem *syrupi* spissatus, loco *Sacchari* pro condiendis *fructibus* adhiberi potest, exemplo Ruthenorum prope fluvium Soanam (Töröк) degentium. *Uvae siccatae majores*, vulgo *Damascenae* dictæ, subfulvi coloris et dulciores, *bellarii* instar, eduntur *ferculis*que addi solent. Minores, vulgo *corinthiacae* etiam edulia ingrediuntur, atque hæ et illæ usurpantur in tussi languentibus pleuriticorum sputis, stranguria; *exacinatae* vero *decocturis* et *infusis* ingeruntur. Copiosius sumtæ alvum laxant, quod etiam apud infantes præstant, si una, *oleo* intincta, in modum suppositorii admoveatur (Rosenstein.) Grata

potio fermentatione *iis*, *malis Citri medicae* et *Saccharo* emergit (Warg). Et *Sapa* et *Defrutum*, *cibis* olim condimento servivere; sed nunc *mel* et *Saccharum eis* substituitur. *Vinacea*, dum adhuc calorem servat e fermentatione prævia, paralysi, myodyniæ rheumaticæ, instar *balnei* parti adfectæ admovetur (LIEUTAUD,) cujus effectum a calore vaporeque penetranti, feriente nares vasaque leniter stimulante derivat TISSOTIUS. Eadem, adfusa *aqua*, præbet *vinum operarium*, vulgo *Löre* hungarice dictum. *Vina* in omnibus morbis, astheniæ notas ferentibus, commendantur, hinc in dialeipyris typhodibus, in exulceratione notabili, gangræna, optime cum *cortice Cinchonae officinalis* et *Opio* administrantur, ita etiam in quibusdam convulsionibus, scelotyrbe, tetano symptomatico et in plerisque nervosis morbis, vacuo præcipue ventriculo (WHYTT.) Si cutis non est arida, nec compressa, nec fatiscentibus viribus calet et micatus arteriarum sunt parvi, tremuli, *vinum* omnino indicatur; si vero est celer, fortis pulsus, et cum augmento caloris, sitis urget, et deliramenta etc., *vinum* est alienum. Extrinsecus ante nares retentum, temporibus carpisque adfusum, labefactas vires, integrat, atque, vel debilitate, vel animi deliquio detentos, reficit; fotus sane, vel *balnei* instar infantibus subvenit, e partu difficili enervatis et infesta eclampsia infantes linteo *vino* humectato, obvolvere ROSENSTEINUS suadet. Discutit præterea id resolvitque ecchymomata, tumoresque extus admotum, et rubrum ob adstrictoriam vim, qua pollet, roborandis præsertim partibus aptatur. *Acida vina*, ut *rhenanum*, *mosellanum* etc., aliena sunt iis, qui acore primarum viarum laborant, ut hypochondriaci, hystericæ, etc: nec conveniunt ea febrientibus, aut plethora, aut impetu ruentis sanguinis, æstuantibus. Parcior *vini* usus in senibus esto, nec infantili ætatulæ porrigitor. Ut *vinum* moderate sumtum auget actionem cordis et arteriarum, animales functiones vigorat, exhilarat, viribus intellectualibus energiam impertiendo, ingenium acuit, ita abutentes eo non ferunt *id* impune, excessus quippe temeti, temulentiam, deliria, soporem, apoplexiam

gignit. Continuato abusu, tremores artuum, splanchemphraxin, hepatitidem, adfectiones cutaneas, tabem, hydropem causat, mala brevi in mortem desitura. Calculi urocystici stamina suggerere vetus querela fuerat. Veneficium *Vini*, quod *Plumbo* fit, adparet ex sedimento nigriusculo, adstillata *aqua hydrosulphurata acidula* (Hahnemann.) *Omphacium*, *cibis* condimentum dat et *syrupo* inservire potest. Prisci *Roob* et *syrupum* ex *eo* parata, admiscuerant *gargarismatibus* adversus anginam.

D. Ejus est pro ratione ætatis, morbi indolis, vitæ generis, consuetudinis, et *vini* diversitatis, diversa. In typho præbetur ad pulsus augmentum et delirii cessationem; repetitur autem fatiscentibus arteriarum micatibus.

V. *Acetum Vini*; *Infusum Tabaci vinosum*; *Serum Lactis vinosum*; *Vinum scillites*; — *stibiatum*.

## ZINCUM.

### Цинкъ; Шпiаутеръ.

*Metallum* hoc vix alicubi nativum invenitur; sed in statu *oxydato* et *mineralisatum* in *Pseudogalena*, *Oxycarbonate Zinci impuro*. *Indicum* et *Sinense* ob puritatem laudatius eo, quod officinæ metallurgicæ Goslarienses, diversis heterogeneis *metallis* in primis *Ferro* et *Cupro* inquinatum, dant. In Russia in Nertczynsk *Zincum Acido carbonico* mineralisatum in Zmieinogorsk in Kolywan in insula ursina (медвѣжiй островъ) aliisque in locis occurrit. Est vero cæsio-albidum, vel sublividum, *splendoris* coerulescentis fere argentei, lamellosum, seu tessulare, tenax, inter fragilia ductiliaque *metalla* medium tenens, *Bismutho* ponderosius, *pondus* specif. 6,862, aëris contactu mutatur, ut splendorem amittat; *acidis* vero omnibus adficitur solviturque, igne priusquam candescit, funditur in calore 680° Fahr. et si in occlusis vasis ad candescentiam cogatur, præsertim cum *pulvere carbonum*, totum quantum sublimatur; sub aëris vero accessu ignitum, in *oxydum* candidissimum, leve, flocculentum; quod sub nomine *florum Zinci* notum est, mutatur. Ut a suis liberetur inquinamentis, in crucibulo igne

tam moderato, ut maneat fluidum, liquefiat, agitando virgula ferrea *Sulphuris* frustula injiciantur per intervalla. Si injecto *Sulphure* formantur scoriæ, impurum est *Zincum*, quod scorias removendo depuratur denuo *Sulphur* injiciendo, idque eousque, donec tandem *Sulphur* immissum comburatur, *nullis* omnino scoriis productis; in statu enim metallico cum *Sulphure* neutiquam coit.

U. Forma *metalli* non est usitatum Medicis. Fiunt ex illo varia *praeparata pharmaceutica*: MURIAS ZINCI; OXYDUM —; SULPHAS —.

TABULA AQUÂRUM MINERALIUM, EXHIBENS PARTES CONSTITUTIVAS, IN DATA AQUÆ QUANTITATE.

| | Nomina fontium. | Quantitas aquae. | *Gasis* | | | | *Carbonatis* | | | | *Sulphatis* | | | | *Muriatis* | | | | *Ter. siliceae.* | *Aluminae.* | *Resinae.* | Temperatura. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | *Oxygenii* | *Carbonici.* | *Hydrosulphur.* | *Nitrogen.* | *Sodae.* | *Calcariae* | *Magnes.* | *Ferri.* | *Sodae.* | *Calcar.* | *Magnes.* | *Ferri.* | *Sodae.* | *Calcar.* | *Magnes.* | *Potassae.* | | | | |
| | | Grana. | Cub. pollic | Cubic. pollic. | Cubic. pollic. | Cub. pollic. | Grana. | Grana. | Grana. | Grana. | Grana. | Grana. | Grana. | Grana. | Grana | Grana | Grana | Grana. | Grana. | Grana. | Grana. | |
| *Acidulae.* | *Selteranae.* [1] | 8949. | 4.35 | 13.068 | . . | . | 5.22 | 78.3 | 6.32 | . . | . . | . . | . . | . . | 13.74 | . | . | . | . | . | . | frig. |
| | *Pyrmontanae.* [1] | 8950. | . . | 19.6 | . . | . | . . | 4.3 | 98. | 0.70 | . . | 8.38 | 5.44 | . . | 1.7 | . | . | . | . | . | . | — |
| | *Spadanae.* [1] | 8933. | . . | 9.8 | . . | . | 1.85 | 1.85 | 4 35 | 0.70 | . . | . . | . . | . . | 0.21 | . | . | . | . | . | . | — |
| | *Carolinae.* [2] | 25320. | . . | 50. | . . | . | 38.5 | 12.5 | . . | 0.1¼ | 66.75 | . . | . . | . . | 32.5 | . | . | . | 2.25 | . | . | 165.° |
| | *Kilburnens.* [10] | 188240. | . . | 84. | 36. | . | . . | 2.4 | 1.25 | .3¼. | 18.2 | 13.0 | 91.0 | . . | 6.0 | 0.6 | 2.8 | . | . | . | 6. | frig. |
| *Sulphuratae.* | *Harrowgatens.* [14] | 103643. | . . | 8. | 19. | 7. | . . | 18.5 | 5.5 | . . | . . | . . | 0.5 | . . | 615.5 | 3. | 9.1 | . | . | . | . | frig. |
| | *Moffettae.* [14] | 103643. | . . | 1. | 10. | 4. | . . | . . | . . | . . | . . | . . | . . | . . | 3.6 | . | . | . | . | . | . | — |
| | *Aquisgranens.* [1] | 8940 | . . | . . . | 13.06 | . | . . | 15.25 | 5.89 | . . | . . | . . | . . | . . | 6.21 | . | . | . | . | . | . | 143.° |
| | *Enghienens.* [6] | 92160 | . . | 18.5 | 70. | . | . . | 21.4 | 1.35 | . . | . . | 33.3 | 5.8 | . . | 2.4 | . | 8.0 | . | . | . | . | frig. |
| *Salinae.* | *Sedlitzenses.* | 58309 | . . | 8. | . . | . | . . | 6.7 | 21. | . . | . . | 41.1 | 14.44 | . . | . . | . | 36.5 | . | . | . | . | frig. |
| | *Cheltenhamens.* [6] | 103643. | . . | 30.3 | 3. | 12. | . . | . . | 12.5 | 5. | 48.0 | 40. | . . | . . | 5. | . | 12.5 | . | . | . | . | — |
| | *Plombierens.* | . . . | . . | . . . | . . | . | 4.4 | 1. | . . | . . | 4.7 | . . | . . | . . | 0.5 | . | . | . | 2.6 | . | . | — |
| *Ferratae.* | *Tunbridgens.* [3] | 103643. | 1.4 | 10.6 | . . | 4. | . . | . . | . . | 1. | . . | 1.25 | . . | . . | 0.5 | . | 2.25 | . | . | . | . | frig. |
| | *Brighton.* [4] | 58309. | . . | 18. | . . | . | . . | . . | . . | . . | . . | 31.7 | . . | 11.2 | 12.2 | . | 6. | . | 1.12 | . | . | — |
| | *Teplitzens.* [7] | 22540. | . . | . . . | . . | . | 13.5 | 16.5 | . . | 32.5 | . . | . . | . . | . . | 61.3 | 28.5 | . | . | . | 15.1 | . | thermæ |
| *Calcareae.* | *Bathens.* [8] | 15360. | . . | 2.4 | . . | . | . . | 1.6 | . . | .004 | 3. | 18. | . . | . . | 6.6 | . | . | . | 0.4 | . | . | 114.° |
| | *Buxtonens.* [9] | 58309. | . . | . . . | . . | 2. | . . | 10.5 | . . | . . | . . | 2.5 | . . | . . | 1.5 | . | . | . | . | . | . | 82.° |
| | *Bristolens.* [11] | 58309. | . . | 30. | . . | . | . . | 13.5 | . . | . . | 11.2 | 11 7 | . . | . . | 4. | . | 7.25 | . | . | . | . | 74.° |
| | *Matlockens.* | 58309. | . . | . . . | . . | . | . . | . . | . . | . . | . . | parva portio. | . . | . . | . . | . | . | . | . | . | . | 66.° |
| | *Malvernens.* | 58309. | . . | . . . | . . | . | . . | . . | . . | . . | . . | . . | . . | . . | . . | . | . | . | . | . | . | frig. |

1. Bergmann. 2. Klaproth. 3. Babington. 4. Marcet. 5. Fourcroy. 6. Fothergill. 7. Jahn. 8. Phillips.
9. Pearson. 10. Schmesser. 11. Carrick. 14. Garnet.

# PARS SECUNDA

## FORMULAS PRÆPARATORUM et COMPOSITORUM

## COMPLECTENS.

# PRAEPARATA et COMPOSITA.

## ACETAS AMMONIAE LIQUIDUS.

Liquor Ammonii acetici *Ph. Bor.*; Spiritus Mindereri *Ph. Ross.*

Уксусокислый Амміакъ; Росолъ уксусонашатырный.

R. *Subcarbonatis Ammoniae triti*, quantum vis,
adfunde:
*Acidi acetici diluti*, vel deficiente hoc:
----- ----- ----- *impuri*, quantum sufficit.

Acido in vitrea cucurbita, in arenæ balneo, calenti sensim admisce *Subcarbonatem Ammoniae* ad saturationem usque. Mista per aliquod tempus seponantur, interdum agitanda, et dein explorandum est, num *liquor* sit saturatus, nec ne? sin minus, aliquid, vel *Acidi acetici diluti*, vel *Subcarbonatis Ammoniae* admiscendum, vaseque vitreo probe clauso, servandus *liquor*. Methodus Porussorum conficiendi *Acetatem Ammoniae liquidum* coalescentem ex *Acidi acetici* sufficienti quantitate et *Subcarbonatis Ammoniae* unciis tribus, adfusa *aquae* tanta quantitate, ut totius pondus sit bilibræ, ob virtutem remedii semper consonam, præferri meretur. Hic *liquor*, cum pari portione *aquae* dilutus, constituit extemporaneum *Acetatem Ammoniae liquidum*, vel

R. *Subcarbonatis Potassae* uncias quatuor,
satura:
*Acidi acetici diluti impuri*, sufficienti quantitate,
Dein solutioni, ubi ad uncias triginta sex evaporarit, admisce:
*Muriatis Ammoniae* uncias duas.
Destillatio fiat e retorta vitrea.

Q. Constat ex *Acetici acidi* partibus 240 et *Ammoniae* partibus 144.

V. Leniter stimulans; exhalantium summæ cutis vasorum constrictionem reserans; halitum expeditiorem reddens. Aegro imprimis calidius cooperto diaphoreticam; dum vero frigori exponitur, diureticam vim exserit, quin tamen circulum sanguinis acceleret, caloremque corporis augeat. Vis ejusdem diaphoretica mire intenditur, *Aethere acetico alcoholisato*, eidem adstillato.

U. In febribus sthenicis, et asthenicis, præsertim a perfrictione; catarrhalibus, vel aliis, ubi sudor quidem movendus; sed stimulus major est alienus, magnæ est efficaciæ. Usurpatur etiam a quibusdam initio typhi, et adversus myodyniam rheumaticam. *Extus*, *fomenti* instar, stagnationes resolvit, testiculis etiam inflammatis, induratis, *vaporum* forma, haud ineptus. Laudat eum Boërhaavius in opacitate corneæ, in variis oculorum morbis haud immerito; præterea et *collyria* et *fotus* ingreditur.

D. a semuncia ad sescunciam per se, aut in connubio *auxiliariorum*, eandem facultatem, habentium.

V. *Collyrium Acetatis Ammoniae*; *Haustus sudorifer*.

## ACETAS CUPRI.

Cuprum aceticum *Ph. Bor.*; Aerugo crystallisata *Ph. Ross.*

Уксусокислая мѣдь; ярь Венеціанская.

Venalis prostat; præparatur autem sequenti modo:

R. *Cupri limati*, quantum vis,
*Acidi acetici diluti impuri*, quantum satis.

Digerito, donec solutum fuerit *Cuprum*, solutionem evapora denique, ut *crystalli* surgant et seponito. Præparatus in Montepessulanis officinis præstat.

Q. *Crystallis* laetissime viridibus, tetraëdris, ad aërem ætate opacis, in quintupla *aquae* ferventis portione solubilibus, coalescit. *Alcohol dilutum* (*Spiritum Vini*) calefactum recipit 0,075.

V. Emetica; styptica; corrodens; (carnem supercrescentem exedens;) antizymica.

U. *Internus* vix ac ne vix quidem commendandus. Schefferus grana sex ad decem, mensura *lactis* soluta, ad *narcoticum* promptissime e ventriculo ejiciendum recentissime commendavit. Tutior, et efficacior est *externus* usus. Aptissima est forma, ubi is cum *Acido acetico diluto impuro*, coctus, filtratus, addito *melle*, admovetur, vel solvitur ad grana aliquot in *destillatae aquae* uncia, et tum eximia pollet efficacia adversus ulcera cacoëthea fungosa, verrucas, scorbutica oris, aphthosa, imo syphilitica, præcipue, si callosis illa marginibus, carneque luxuriante obsidentur. Eadem *aquosa* ejusdem *solutio*, in blennorrhœa (gleet) pertinaci, in urinæ iter injecta, est efficacissima. Penicilli ope bis quotidie oculorum pannis *dilutam solutionem* illinendam suadet cel. Bell. Haud defuerunt, qui adversus syphilidem hydrargyri usum eludentem, carcinomata, rabiem hydrophobam, et epilepsiam proponerent.

V. *Collyrium Cupri compositum*; — — *opiatum*; *Linimentum Acetatis Cupri*; *Massa Acetatis Cupri composita*; *Solutio Acetatis Cupri et Muriatis Ammoniae*; *Solutio Subacetatis Cupri*; *Unguentum Acetatis Cupri*; — — — *compositum I*, — — — — *II*; *Vapores Acidi acetici.*

## ACETAS POTASSÆ LIQUIDUS.

Liquor Kali acetici *Ph. Bor.*; Liquor Terræ foliatæ Tartari *Ph. Ross.*

Уксусокислый поташъ.

R. *Subcarbonatis Potassae depurati*, quantum placet.
*Acidi acetici diluti*, quantum sufficit,
ut fiat perfecta saturatio.

Liquor exinde ortus filtretur per chartam emporeticam, dein in patina evaporatoria leni calore ad quartam partem evaporet, serveturque in vitro probe clauso.

V. Deobstruens; diuretica; majori dosi alvum liquans.

U. Commendatur in primis in obstructionibus et infarcti-

bus viscerum, tumore glandularum mesaraicarum, scirrhi (BOERHAAVE,) struma, atrophia, rhachitide, adfectibus hæmorrhoidalibus, leucophlegmaticis, hydropicis; in febribus intermittentibus; alvi et urinæ impedimentis, a pituita tenaci, vel materia sabulosa ortis, imo in ipsa mania et melancholia.

D. Porrigitur a drachma ad quatuor; ut plurimum vero aliis *misturis* additur, vel in eo *extracta* varia, in primis *resolventia*, solvuntur, quæ actuosiora reddit. *Acetas Potassae*, (repetita evaporatione ad siccitatem, perductus,) iisdem virtutibus, quibus, *liquidus*, gaudens, a scrupulo ad drachmam porrigitur. Mala pertinacia continuatum alterutrius usum per plures menses exigunt.

V. *Mistura Taraxaci composita.*

## ACETUM CAMPHORATUM.

## Уксусъ камфорный.

℞. *Camphorae* drachmam,
tere in mortario lapideo cum
*Alcohol.* guttis viginti et
*Sacchari albi* unciis duabus,
probe tritis adfunde:
*Acidi acetici diluti*, vel
----- ----- ----- *impuri* uncias decem
In vicem unciarum duarum *Sacchari* addere etiam licet:
*Gummi Acaciae verae*,
*Sacchari*, utriusque semunciam,

V. Incitans; diaphoretica; antiseptica.

U. In variis morbis, astheniæ notas ferentibus; præsertim vero in angore, et spasmis in typho (SWIETEN.)

D. Vel *aquae florum Sambuci*, vel aliis congruis *misturis* admiscetur, a semuncia ad unciam integram propinatur; in typho autem omni hora cochlear sumitur, vitrum fortiter, ante singula præbia, conquassando.

## ACETUM SCILLITES.

### уксусъ морсколуковый.

R. *Radicis Scillae maritimae siccatae*, et *contusae*, uncias duas,

*Acidi acetici diluti impuri* bilibram,

*Alcoholis diluti* uncias tres.

Macera *radicem Scillae* lenissimo calore in vase vitreo cum *Acido acetico diluto impuro* per quatriduum, dein expresso *Acido* adde *Alcohol* (conservationis causa) et quum subsederint fæces, liquorem effundito.

V. Stimulans, inprimis pituitam, et lotium; majori vero dosi, nauseam, et vomitum movens.

U. Morbi pulmonum, astheniæ notas ferentes, pituitosi; asthma; hydrops. *Externe:* gargarisationis causa *aqua dilutum* in tonsillitide a perfrictione laudatur, imo et in graviori auditu, ex eadem causa, usurpatur.

D. A drachma, ad semunciam si vomitiones provocare lubet, cum qualibet *aromatica aqua*. *Oxymel scillinum* ad omnia idem, quod *Acetum scillites* potest; sed hoc valentius est.

V. *Syrupus Scillae*.

## ACIDUM ACETICUM.

### Уксусная кислота (крѣпкая.)

R. *Sulphatis Ferri exsiccati* libram,

*Superacetatis Plumbi crystallisati* uncias decem,

*Aquae depuratae* uncias quinque.

Contrita et indita retortæ, ex arena, igne modico, destilla, quamdiu *Acidum* prodit, in vase bene clauso, servandum.

V. Admodum stimulans; rubefaciens; antiseptica.

U. Præcipue in syncope; asphyxia; adfectionibus hystericis; cephalæa, per modum *odoramenti* naribus admovetur; cuti vero adplicatum, rubefacit eam, haud secus ac clavos emollit, et eradicat. Ceterum videsis: *Acidum aceticum dilutum impurum.*

## ACIDUM ACETICUM DILUTUM.

ACETUM DESTILLATUM *Ph. Bor.*; ACETUM VINI DESTIL-LATUM. *Ph. Ross.*

Уксусная кислота слабая; винный перегнанный уксусъ.

R. *Acidi acetici diluti impuri*, quantum placet.

Vitreae retortae cum parte pulveratorum *carbonum* circiter decima committito, atque arenæ balneo pars sexta calore gradatim auctiori eliciatur, *phlegmate aethereo* primum prodeunte rejecto, quo seorsim servato, labor protrahatur quousque clarus, nec *empyreumaticus liquor* prodierit, qui ante *empyreumatis* notam obtentus, usui servetur.

U. Pro laboribus pharmaceuticis et chemicis. *Phlegma aethereum* superstes parando *Aceto dulcificato Ph. Ross.*, aptum.

V. *Acetas Potassae liquidus; Fomentum acidum; — discutiens; Mistura Camphorae acetata.*

## ACIDUM CITRICUM CONCRETUM.

Лимонная кислотая охрусталованная.

*Succus Citri medicae* 24 horis, ut separetur mucus, reponitur, dein filtretur et *Carbonate Calcariae* saturetur. *Citras Calcariae*, qui hinc surget, est insolubilis et præcipitatur. *Fluido* supernatanti effuso, præcipitatum eousque lavetur *tepida aqua*, donec nullius *aqua saporis* fuerit, massaque albescat. Dein haec, dimidio ponderis illius *Acidi sulphurici*, sex partibus *aquae diluti*, decomponitur, vel potius *Acidi sulphurici* plus adhibeatur, ut *mucus* perfecte destruatur, quem *Acidum* cum *Calcaria* conjunctum, retinet, atque crystallisationi obicem ponit. *Acidum sulphuricum Calcariae* unitur, et ut *Sulphas Calcariae* præcipitatur; *Acidum* vero *citricum* liberatum, fluida forma comparet. Tum ad crassitudinem *syrupi* evaporat, et refrigeratum *crystallos* effingit. Ut prorsus depuretur, iterum solvatur, et in *crystallos* cogatur, *quae* rhomboidalia prismata re-

ferunt, quorum latera fere se in 60 ad 120 gradus inclinant; extremitates vero habent quatuor superficies, angulos laterum, complectentes.

V. Antiseptica eximia; videsis: *succum Citri medicae.* Apud Britannos sub nomine: *Coxwell's concrete salt of Lemons*, venit.

D. Scrupulum (ad duo, et amplius) ex quovis congruo vehiculo datur. *Superoxalas Potassae*, e *succo foliorum Oxalidis Acetosellae*, in magna quantitate extractus, venditur sub nomine: *Essential salt of Lemons*, perperam dicto. Virtutis pene ejusdem, cujus præcedens.

V. *Pulvis Carbonis acidulus.*

## ACIDUM MURIATICUM.

### Соляная кислота.

R. *Muriatis Sodae depurati* bilibram,
*Acidi sulphurici* uncias sedecim,
*Aquae fontinalis* libram.

*Murias Sodae* in olla primum igne rubescat paulum, tum frigefactus retortæ committatur, dein *Acidum* cum *aqua* permistum et refrigeratum *Muriati Sodae* adfundatur. Tandem ex arena, leniori calore, quamdiu prodit *Acidum* destillet.

V. Eadem fere, quæ *Acidi oxymuriatici* est.

U. Fere omnibus calculis, citra prædominium *Acidi urici*, idque a guttis decem sensim sensimque ad drachmam adscendendo, quovis congruo vehiculo *dilutum*, convenit.

V. *Linimentum acidum.*

## ACIDUM NITRICO-MURIATICUM.

### AQUA REGIA.

### Кислота селитросоляная; Царская водка.

R. *Acidi nitrico-nitrosi* gravitatis specificæ 1, 4.
*Acidi muriatici* gravitatis specificæ 1, 134.
pares portiones. Misce.

Solutiones, liquoresque, corrigendo aëri, destinatos, ingreditur.

V. *Vapores oxymuriatici acidi.*

## ACIDUM NITRICO-NITROSUM.

### ACIDUM NITRICUM *Ph. Ross.*

### Селитряная кислота (крѣпкая.)

R. *Nitratis Potassae depurati* et *contusi* bilibram,
*Acidi sulphurici* uncias sedecim.

*Nitrate Potassae* immisso vitreæ retortæ *acidum* affundatur, fiatque ex arena destillatio, calore gradatim auctiori, quoadusque ferreus catinus obscure cœperit rubere. Hujus pondus specificum est ad *destillatae aquae* pondus, ut 1550 ad 1000.

U. Videsis: *Acidum nitricum dilutum.*

D. Pro ratione dilutionis administrandum.

V. *Acid. nitrico-muriat.*; *Acidum nitricum dilut.*; *Aether nitricus*; — — *alcoholisatus*; *Unguentum nitricatum fortius*; — — *mitius.*

## ACIDUM NITRICUM DILUTUM.

### AQUA FORTIS *Ph. Ross.*

### Селитроватая, или слабая селитряная кислота; крѣпкая водка.

R. *Acidi nitrico-nitrosi,*
*Aquae destillatae,* utriusque pares portiones.

Caute, gradatimque, *vapores* vitando, commisce.

V. Antiseptica; corrodens.

U. *Potiones Acido nitrico-acidulatae* febribus sthenicis conveniunt, vi in primis antiphlogistica, conspicuæ, in asthenicis, ut in typho, (REICH, HOFFMANN, EBERHARD,) non contemnendum præbent *eaedem* antisepticum, uti nec hepatitidi, et in primis indurationi jecinoris, (SCOTT) alienæ. Psoræ, herpetibus, aliisque cutaneis morbis, et glossocarcinomati diutius exhibitum, obponitur *Acidum*; syphilidi vero, (PEARSON,) ubi *Hydrargyrum* ob debilitatem ægri alienum est, convenit

quidem; verum morbo radicitus tollendo impar est. Verrucas, aliasque excrescentias exest. Admoto ejusdem *vapore*, contagiosa putridaque effluvia valetudinariorum etc., (Carmichel Smyth) delentur.

D. A decem ad sexaginta *guttas*, *aquae* congrua quantitate *dilutas*, tubuli vitrei ope, (dentium conservandorum ergo,) sumendas, suadent.

V. *Aqua Acidi nitrici.*

## ACIDUM OXYMURIATICUM.

Кислота соляная пресыщенная, или перекисленная кислотворомъ.

R. *Muriatis Sodae depurati* et *pulverati* partes tres,
*Oxydi Mangani* partem,
*Acidi sulphurici* partes duas,
*Aquae simplicis* partem.

Retortam vitream tubulatam, tam amplam, ut tota massa dimidiam tantum capacitatis illius partem occuparet, balneo arenæ committito atque cum destillatorio apparatu Woulfiano, lege artis junge, cujus lagenæ excipientes ad $\frac{3}{4}$ partem *aqua frigida* implendæ sunt. Hoc facto, *Oxydum Mangani* et *Muriatem Sodae* per aperturam tubulatæ retortæ impone, et *Acidum sulphuricum aqua dilutum*, iis adfunde; tandem ex arena, calore gradatim aucto, eousque destillent, donec oriundi *muriatico-oxygenati vapores* *aquam* in lagenis recipientibus præsentem perfecte saturent.

V. Tonica; refrigerans; antiseptica; miasmata valetudinariorum, aliaque *narcotica venena* enervans, tollens.

U. In febribus asthenicis, malignis, typho, imo, et in scorbuto, atque in plerisque morbis, in quibus *Acidum nitricum*, et *sulphuricum* utilitatem promittit, interne porrigi potest. Psoram, herpetes (ferente *unguento Suboxydi Hydrargyri* per *frictiones* subsidiariam opem) profligat, quo in casu, stomachum roborare fertur, morbificam potentiam ad renes determinare,

effectusque *metalli* in faucibus molestos, continere, aut impedire. Haud desunt, qui idem rabiei hydrophobæ obponant, et *interno*, et *externo usu*, efficax. Primis a morsura canis rabidi diebus, atrox malum præcavisse nuperrime Brugnatellius experiundo didicit. *Forma vaporis* celebratissima antidotus est, qua adversus contagionis pericula corpus redditur tutum, ad corrigendum proinde äera, effluviis coinquinatum, in valetudinariis, navibus, aliisque arctis habitaculis, urgente pestilentia, aut febri Americana flava, utilitas ejusdem in primis emicat, item ad *praeparata* quædam *pharmaceutica*, e. g. *Hyperoxymuriatem Potassae* adhibetur.

V. *Gargarisma acidum*.

## ACIDUM PHOSPHORICUM.

### Фосфорная кислота (крѣпкая.)

R. *Acidi phosphorici concreti* partem,
*Aquae fervidae* partes tres.

Misce, fiatque *solutio*, si opus, colanda. Si huic parem *aquae simplicis* portionem addideris, habebis: Acidum phosphoricum dilutum. Кислота фосфорная разведенная.

Q. *Acidum phosphoricum* hac ratione pronatum ex *oxygenii* partibus sexaginta, *phosphorique* partibus quadraginta constat. Pondus ejus specificum ad pondus *aquae* est, ut 15,575,10,000 Pellucidum est, *aqueum*, *inodorum*, et *saporis* aciduli grati, nonnihil *Acidum sulphuricum* æmulantis.

V. Analeptica; excitans; anodyna.

U. In typho praesertim nervoso, (minus vero putrido), fractis viribus, sub spastica diathesi, conspicuo, auxilium spondet; si vero notæ secessus humorum, et propensionis in putredinem, præsto sunt, cum *infuso Cinchonae officinalis* datur. Adcommodum eſt medicamen delicatulis, sequiori sexui, et infantibus. In chronicis spasticis morbis laudes tulit, haud

secus ac in hypochondriasi et hysteria, præcipue spasmis et congestione sanguinis, cessantibus, annosarum fæminarum menstruis, supervenientibus. In hæmorrhœis etiam valet, irritabilitate auctiori, aut sub spasmodico statu, urgentibus, seu sanguis e naribus, seu ventriculo, seu demum ex uriniferis viis profluxerit. Interdum pro re nata conjungitur cum illo aut *Cinnamomi*, aut *Valerianae tinctura*. In hæmorrhoea uteri, (*passiva, vulgo dicta*,) commendatur a D. Burdach, mistura e *tincturae Cinnamomi* drachmis duabus, *Acidi phosphorici* drachma, cujus omni hora guttæ 25–30 exhibitæ perutiles exstitere, probante dein idem remedium, ex casu inveterato, Niemanno. Scorbuticis etiam hæmorrhoeis opponitur; imo in dysuria commendatur. In podagra Ketterlingii commendatione invaluit. In morbis ossium efficacior ejus usus est. Lentinius in carie eorundem optato cum succesu exhibuit extrinsecus, Rustus idem expertus in carie cum putrido ulcere externo, sanie ex eodem ubertim fluente, inprimis si scorbuticæ indolis esset, plaga *Acido* septupla portione *aquae diluto*, deligata; *interne* vero datis quinque *Acidi* guttis, adscendendo gradatim ad quindecim. Alii *infusi M. Chamomillae* uncias octo, *Acidi phosphorici* unciam in eodem malo, pro usu externo, proponunt, (Hufeland.) Dentibus cariosis dolorosisque Hirschius misturam ex semuncia *tincturae Myrrhae* et *Acidi phosphorici* guttis triginta admovit; Klettenius vero in iisdem efficacem censet pulverem dentifricium: ex *Acidi, corticis Cinchonae officinalis, gummiresinae Myrrhae* et *pulveris lignarii* paribus portionibus, in subtilissimum pulverem redactis, confectum.

D. *Acidi phosphorici* guttæ decem ad sexaginta; *Acidi phosphorici diluti* guttæ viginti ad octaginta-centum cum *mucilaginosis*. Scilicet incipiendum est a minima dosi, nam et decem interdum guttæ, (mobili nervorum systemate) cardialgiam, gastrodyniam, enterodyniam, atque protracto usu, siallorrhœam produxere.

V. *Subphosphas Sodae*; *Unguentum phosphoricatum*.

## ACIDUM PHOSPHORICUM CONCRETUM.

### Фосфорная кислота сгущенная.

R. *Subphosphatis Calcariae* in subtilissimum pulverem redacti, (id est *ossium animalium mammalium* ad albedinem calcinatorum,) partes quatuor,

*Acidi sulphurici* partes tres.

*Acidum sulphuricum*, *aqua dilutum*, et simul cum *pulvere Subphosphatis Calcariae* in phiala spathula lignea bene mistum, in balneo arenæ per biduum, aut triduum, sæpius agitando, tene, postea massæ dimidiam ejus partem *aquae purissimae tepidae* adde, et per manicam HIPPOCRATIS tepide madefactam filtra; dumque manica concussa nil amplius fluit; residuum iterum simili modo *aqua* lavandum et filtrandum est, atque iterum tertia vice iterandum. *Liquorem* sic obtentum evapora, donec gustatu, dentes stupore, afficiat, postea filtrato illo et refrigerato paulatim adde: *Subcarbonatem Ammoniae*, quousque præcipitatio evenit; finita vero præcipitatione *liquorem Phosphatis Ammoniae* iterum filtra, tum ad consistentiam *syrupi* in vase vitreo redactum, in crucibulo semirepleto gradatim, ignem cautissime augendo, ulterius condensa, ut incandescat massa, quam *Acidum phosphoricum* repræsentantem, igne per aliquot minuta remisso, supra laminam cupream citissime effunde, et *Acidum* adhuc tepidum indurescit, in vas vitreum operculo vitreo lævigato probe obturatum immitte, et ad usum serva.

V. *Acidum phosphoricum liquidum; Phosphorus; Solutio Phosphori aetherea.*

## ACIDUM SUCCINICUM.

### Кислота янтарная.

R. *Succini pulverati* bilibram,

*Arenae siccatae, depuratae que* tertiam adhibiti *Succini* partem.

E vitrea retorta, cui capacius collum, admoto ampliori excipu-

lo, commissuris, sic clausis, ut exitus elastico *fluido* concilietur ex arenæ balneo distilla, leniori ab initio igne; dein vero gradatim auctiori, quoad fundus retortæ candefactus fuerit. Collecto cautim *destillato*, *ferventem aquam* addito, ut totum quidquid inest *salsi* solvatur. *Oleum* separa, idque *aqua subfervefacta* lavato, huncque *liquorem* priori adjicito. *Oleum* ad rectificationem serva, ast *acidulum humorem* per collum, *aqua* madefactum, transmissum, calore lenissimo evapora, atque ad crystallisandum seponito. Collectas crystallos iterum solvito *aqua fervente*; ignem instrue, ut per parvum temporis spatium *liquor* ebulliat, dein cola et evaporatione levi, crystallos refrigerio augendas collige, tandem in charta bibula siccatas, vase vitreo, rite obturando, serva.

Q. E *carbonio*, *hydrogene*, *oxygeneque* peculiari coitione componitur, sistitque aciculares trilaterales, prismaticas, e flavo albescentes, splendentes crystallos, quæ *sapore* gaudent *acido*; *odore* vero ingrato, empyreumatico (vix *succineo*) ad *aërem* non mutantur; *ignis* vero vi avolant.

V. Antispasmodica; diaphoretica.

U. Adhibetur in variis nerveæ debilitatis formis, et quidem in typho, prostratione virium pulsuque parvo et debili stipato; in variis convulsionibus, et spasmis; hysteria; epilepsia, præsertim vero spasmodica stranguria; in paralysi; apoplexia serosa; amavrosi etc., in arthrodynia; myodynia rheumatica; gangræna; sphacelo etc.

D. Guttæ quinque ad viginti exhibentur.

## ACIDUM SULPHURICUM.

### Acidum vitriolicum *Ph. Ross.*

### Кислота сѣрная (крѣпкая.)

R. *Acidi sulphurici impuri*, (quod in commercio est,) quantum placet.

Retortæ vitreæ immittatur, atque igne successive auctiori destilletur eousque, donec non amplius in *vaporum* forma, sed in

striis cohærentibus in recipiens vas defluere coeperit. Tum recipiente mutato, continuetur destillatio, ac denique is gradus ignis; caute tamen augeatur, ut reliquum *acidi* adscendere queat, quod in vitro sicco aëris accessu probe intercluso ope epistomii vitrei, usui reservetur; chemicis *praeparatis* ob summam, qua pollet acrimoniam, idoneum.

V. Corrodens.

Quandoque Plumbo, damnosissimo additamento, infectum est, ut id D. Meyr et Günther, evicerunt, quod detegitur: si conjuncto hoc *acido* partibus *aquae*, vel æqualibus vel majoribus, album præcipitatum conspiciatur emitti, quo non adparente, indicium est Plumbum in *Sulphurico Acido* neutiquam contineri. Interdum illud præcipitatum esse, etiam *Sulphatis Calcariae* cum portione *siliceae terrae* aliqua, Witheringius, testatur. Hujus *acidi* pondus specificum in calore 26½ *Reaum.* esse debet ad pondus *aquae destillatae* ut 18,50 ad 1,000.

*V. Acidum sulphuricum dilutum; Aether sulphuricus; — — alcoholisatus; Tinctura aromatica acidulata; Unguentum Acidi sulphurici; Vapores acidi sulphurici.*

## ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM.

Spiritus vitrioli *Ph. Ross.*

Кислота сѣрная разведенная.

R. *Acidi sulphurici* unciam,
*Aquae destillatae* uncias septem.

Cautim commisceto *Acido* sensim sensimque instillando *aquam.*

V. Stimulans; frigerans; adstringens; roborans; potenter antiseptica; antizymica; (fermentationem inhibens.)

U. Synochus; febres petechiales; hæmorrhagiæ; exanthemata atonica; scorbutus; psora; herpes aliique cuticulares morbi; imo pestis; scarlatina anginosa, et alii contagiosi morbi; tabes purulenta; ulcera; aphthæ; dyspepsia; pyrosis; gastrody-

nia etc, idque pro ratione morbi, modo *interne* propinatur, modo *extrinsecus*, per modum *unguenti*, *gargarismatis* etc.

D. Guttæ decem, viginti, triginta in *aqua*, vel quolibet alio congruo *vehiculo*.

V. *Aqua acidi sulphurici*; *Fomentum acidum*; *Potus acidus mineralis*.

## ACIDUM TARTARICUM.

Acidum Tartari crystallisatum *Ph. Ross.*

Кислота Винокаменная; винокислая охрусталованная соль.

R. *Supertartratis Potassae* libras septem,
*Aquae fervidae* libras viginti quatuor,
solutis adde: *Carbonatis Calcariae pulverati* bilibram.

Filtra *liquorem* et *Tartratem Calcariae* in vitro remanentem, *aqua frigida* ablue, eique adde:

*Acidi sulphurici*, (*aquae* libris viginti diluti,) bilibram.

Digere per viginti quatuor horas sæpius agitando, *Calcariaeque Sulphatem* residuum *aqua* ablue, donec insipidus fuerit. Commistos *liquores acidos* coquito cum *carbonum pulvere*, dein filtrato, et evapora ad siccitatem, adsiduo movens, tandem leni calore in crystallos redigito, siccandas, usuique servandas.

V. Acida; antiseptica; diuretica; frigerans.

U. Febres sthenicæ; (in quibus gratissimum præbet antiphlogisticum, temperans, siti restinguendæ aptissimum;) biliosæ; scorbutus.

D. Semidrachma, drachma ad bilibram *aquae*, pro potu ordinario.

## ADEPS SUILLA DEPURATA.

Сало свиное очищенное.

R. *Adipis suillae*, quantum lubet,

Membranis, venulis, fibrisque demtis, tamdiu calida abluatur *aqua*, donec nil amplius cruenti effluxerit, demum concisa in frusta liquefiat et coletur per linteum.

U. Præcipuus: pro parandis variis *unguentis*, *linimentis*, *emplastris* etc. Eodem modo purificantur: *Sevum ovillum*, vel hujus defectu, *bovillum*. In curatione militum, utrumque ad omnes pene usus loco *olei expressi Theobrom. Cacao concreti*, et similium utiliter adcommodatur.

V. *Cerata*; *Emplastra*; *Unguenta*. *Cataplasma emolliens* quoque et *Linimentum ammoniato-camphoratum*, ingreditur.

## ÆTHER NITRICUS.

### Эфиръ селитряный.

R. *Alcoholis* partes tres,
*Acidi nitrico-nitrosi* partem.

Alcohol capaci phialæ in vase, frigida repleto *aqua*, positæ, infundito, atque sensim *acidum* sub jugi motu adde. Phiala levius obturata, in frigidulo, per septimanam, reponatur loco. Denique *liquor*, *aquae bullientis* calore, in excipulo, *nive* vel *aqua* refrigerato, quamdiu prodibit *spiritus*, destillet.

V. et U. Sitim sedat; secretiones naturales promovet; inflationem levat; leniter ventriculum roborat; sed in connubio *Subcarbonatis Ammoniae* est lene, ast efficax *diaphoreticon*, haud raro autem *diureticon*, præsertim in quibusdam febrium formis, ubi talis evacuatio e re foret. Si fermentatis *Malti* liquoribus eundem addideris, *Spiritus vini gallici* saporem et gratiam obtinebunt.

D. Semidrachma ad drachmam.

## ÆTHER NITRICUS ALCOHOLISATUS.

### Эѳиръ селитрокислый спиртный.

R. *Alcoholis* partes sex,
*Acidi nitrici diluti* partem.

*Alcohol* capaci vitreæ retortæ ad $\frac{2}{3}$ capacitatis suæ tantum repletæ, infundito, atque *Acidum nitricum* sub jugi motu adde, retortam balneo arenæ committe, et cum excipulo am-

plo junge, commissurasque vesica madida obtunde, in qua d emittendas *gazoideas* substantias orificium acu perfora, et xcipulo *aqua frigida* circumdato destillationem sensim calore ucto circiter quintam aut sextam partem institue. Destillato paucis dosibus sæpius lagenam agitando et aperiendo *Subarbonatem Potassae siccum* adde, donec seu charta exploatoria cœrulea, *faecula Crotonis tinctorii*, imbuta, haud amplius ubescit, seu *Tinctura Guajaci* non coerulescit; tunc *aetherem* ab *aqua*, fundum vasis occupante separatum, usque ad octavam partem residui, rectifica, tandem *Aetherem nitricum alcoolisatum* obtentum, in phialis parvulis bene et stricte operculo vitreo obturatis, atque vesica duplicata circumdatis, in frigidulo loco ad usum serva.

V. *Vinum Lusitanicum artefactum.*

## ÆTHER SULPHURICUS.

NAPHTA VITRIOLI *Ph. Ross.*

Эѳиръ сѣрный; Нефть купоросная.

R. *Alcoholis* bilibram,
adfunde paulatim, et caute in cucurbita:
*Acidi sulphurici* tantundem.

Alembico cum excipulo satis capaci adaptato, et juncturis bene clausis destillatio ex cinerum balneo remissiori calore instituatur. Simulac *liquor* stillans *Acidum sulphurosum* redolet, ab ulteriori destillatione illico desistendum est. *Liquori* in cucurbita remanenti adfunde *Alcoholis* libram. Continuetur, ut antea destillatio, cum simili *Alcoholis* quantitate, pro re nata, bis iteranda. *Liquoris aetherei* destillationibus his obtenti, partibus duodecim adde:

*Aquae communis* partes tres,
*Potassae liquidae* partem.

*Aether* supernatans a reliquo separetur fluido, lenissimoque

rectificetur calore, quamdiu purissimus et fragrantissimus transit.

V. Excitans diffusilis; anodyna; sudorem, et in primis lotium movens; antispasmodica.

U. *Internus:* spasmodicæ adfectiones; asthma spasmodicum; hysteria; convulsiones; epilepsia; hyperæsthesia; cardialgia; myodynia rheumatica; phrenitis hydrocephalica; narcotismus; asthenia; podagra atonica; paralysis; vomitus; singultus; pertussis; typhus; morbi ventriculi et intestinorum ab inflatione, vel spasmodici etc. *Externus*: odontalgia; cephalalgia; et alii dolores rheumatici, ac spasmodici, admoto parti linteo *Aethere* madenti magnitudine palmæ manus, quo pars tegitur, illico fortiter premendo sic, ut evaporatio ejus impediatur, et sic paulisper sustinendo, ) et tum effectum stimulantem et rubefacientem prodit; ubi vero amota palma, evaporationi subitæ locus fit, frigerantem eximium, duos nempe discrepantes inter se effectus; unde calorico subducto herniæ etiam incarceratæ proficuus extitit, *externo* usu.

D. Guttæ quinque, decem, viginti ad drachmam cum *Saccharo*, *Vino*, aut *Alcohole impuro*, aut in haustu *misturae*, aut *Aceti camphorati.*

V. *Aether sulphuricus alcoholisatus*; — — *camphoratus.*

## ÆTHER SULPHURICUS ALCOHOLISATUS.

### Liquor anodynus mineralis *Ph. Ross.*

### Эѳиръ сѣрноспиртный.

R. *Acidi sulphurici* partem,
*Alcoholis* partes quatuor.

*Acidum Alcoholi* in retorta vitrea sensim admisce, illamque *Alcohole* madefactam cum excipulo amplo junge et ad emittendas *gazoideas* substantias orificium parvulum faciendum est, atque destillatio sensim sensimque calore cautissime aucto continuanda est, dumque *liquor* stillans *Acidum sulphurosum* redolet, ab ulteriori destillatione illico desistendum est, atque

destillatum, ab excipulo defæcatum in phiala bene obturata ad usum serva.

V. *Potus refocillans.*

## ÆTHER SULPHURICUS CAMPHORATUS.

### Эөиръ сѣрно-спиртный камфорный.

R. *Aetheris sulphurici alcoholisati* unciam,
*Camphorae* drachmam. Misce fiat solutio.

V. Eximia: stimulans; antispasmodica; antiseptica; sudorifera.

U. Febres typhodes; scelotyrbe; hysteria; singultus; cardialgia spasmodica; præcipue ex podagra atonica, et asthma ex eadem causa.

D. Guttæ duodecim (quæ sesquigranum *Camphorae* continent) ad drachmam (grana septem et semis continentem) ex *Saccharo* vel *Alcohole diluto*, aut quovis vehiculo proprio bis terve de die. *Externe* aëre excluso: calefaciens; rubefaciens; admisso autem, abstrahens caloricum; cephalæa, odontalgia; hernia incarcerata. *Alcohol* quoque, *Aetheri sulphurico alcoholisato*, utpote majoris dispendii, rite substituitur.

## A L C O H O L.

### Spiritus vini rectificatissimus *Ph. Ross.*

Алкоголь; Винный крѣпчайшій спиртъ; Извинь. Carpatorussice: паленка.

R. *Alcoholis diluti* quantum velis.
Destillationi iterum subjiciatur, atque tertia exinde pars eliciatur.

V. Excitans; fibras vasorum crispans; sangvinem coagulans; styptica.

U. Pro ratione evaporationis amovetur *caloricum*, ideo sub initium post *Oleum pineo-laricinum*, et *Aetherem sulphuricum* adcommodatissimum est adustis. Plumaceolis exceptum hæmorrhagiis externis admovetur, valet etiam in vulneribus nimis suppurantibus, fistula ani, et ligamentorum atonia. Alie-

num est vulneribus cerebri, inflammationibus, et ambustis in gangrænam, nitentibus.

V *Aether nitricus*; — — *alcoholisatus; Aether sulphuricus*; — — *alcoholisatus; Alcohol ammoniatum;* — *purissimum.*

## ALCOHOL AMMONIATUM.

LIQUOR AMMONII VINOSUS *Ph. Bor.*; SPIRITUS SALIS AMMONIACI VOLATILIS VINOSUS, *Ph. Ross.*

Спиртъ амміаковый услащенный, или щелочнолетучій винный.

R. *Ammoniae liquidae* partem,
*Alcoholis* partes duas. Misce.

Obturata probe lagena servetur.

V. Excitans; antispasmodica; sudorifera; interdum pituitam et lotium movens.

U. Morbi asthenici: febres; paralysis; lethargus; asthma pituitosum; hysteria, deficiente vis vitæ reactione. Adversus morsuram serpentum majoribus in præbiis *externe* et *interne* conducit. Item præparandis *pharmacis* variis aptum.

D. A decem guttis ad drachmam in quovis vehiculo *aquoso* vel *vinoso.*

V. *Gargarisma ammoniatum*; *Tinctura Opii ammoniata.*

## ALCOHOL DILUTUM.

SPIRITUS FRUMENTI DEPURATUS *Ph. Ross.*

Спиртъ винный разведенный; Хлѣбное очищенное вино; Пѣнная водка.

*Alcohol dilutius*, sub nomine *Spiritus Vini communis* vulgo, ut venale prostat; bonæ tamen notæ, fermentatione vinosa subsequenteque destillatione, e *vino*, *faecibus* ejusdem, *vino pomaceo*, aliorumque *fructuum*, aut e *seminibus Tritici, Secalis, Hordei, Avenae sativae, Oryzae* aliisque vegetabilibus, vel e

*succo Sacchari officinalis* expresso super *carbones* recenter ustos obtentum destillando, *vel*

R. *Alcoholis,*

*Aquae destillatae*, utriusque pares portiones.

Misce, et in vitro probe clauso serva.

Persæpe loco *Alcoholis diluti* sumitur idem; sed *impurum*, Ruthenice горѣлка, vel hoc deficiente, *dilutius* adhuc, vulgo сивуха dictum.

V. *Alcohol dilutum amarum; — — antiscorbuticum; — — camphoratum; Aqua cardiaca; Fomenta varia; Gargarisma antisepticum.*

## ALCOHOL DILUTUM AMARUM.

Спиртъ разведенный Горькій; горькая водка.

R. *Extracti amari* unciam,

*Alcoholis diluti impuri* bilibram.

Misce.

V. Incitans; roborans; imbecillo ventriculo aptum.

D. Unciæ duæ, tres bis de die, exhibentur.

Si cuivis hujus *Alcoholis* dosi *Balsamum pineo-sylvestre* additur, et quidem a guttis decem ad triginta et amplius, tum cachecticis, scorbuticis, iisque, quibus post febres intermittentes, præpostero consilio curatas, abdomen tumet, vel hydropisis, et leucophlegmatia, infausti ominis sequelæ, superveniunt; aptius fit, ut id haud æquivoca docet experientia.

## ALCOHOL DILUTUM ANTISCORBUTICUM.

Вино хлѣбное противуцынготное; Горькососновая водка.

R. *Extracti amari,*

——— *turionum Pini sylvestris* utriusque semunciam,

*Alcoholis diluti impuri* bilibram.

Misce.

D. Ut et præcedentis; scorbuticis tamen hoc adcommodatius.

## ALCOHOL DILUTUM CAMPHORATUM.

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS *Ph. Ross.*

Спиртъ камфорный.

R. *Camphorae* drachmas duas,
*Alcoholis diluti* libram.
Misce, ut in vase clauso solvatur *Camphora.* Fit quoque, cum duplici, vel triplici *Camphora,* si necessitas inciderit.

U. Externe (irritando et discutiendo) hæc solutio adversus myodyniam rheumaticam, torporem paralyticum, tumores frigidos, inflammationes asthenicas, ecchymoses, ad gangrænam præcavendam, vel progressum ejus sistendum, præsidio est.

## ALCOHOL PURISSIMUM.

SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS, *Ph. Bor.* ALCOHOL VINI ALCOHOLISATUM, *Ph. Ross.*

**Алкоголь чистѣйшій, или винный безводный спиртъ; Извинь.**

R. *Alcoholis Vini,* quantum velis,

sub adsidua succussione, tamdiu siccum *Subcarbonatem Potassae* admisce, atque hinc provenientem *aqueam salis solutionem* separatorii ope sæpius aufer, donec ultimæ *Subcarbonatis Potassae* particulæ, nec amplius deliquescent, neque inter se congrumescent. Retorta demum *Subcarbonate Potassae* probe siccato superimpletur, per cribrum trajecto, depurato, cui *Alcoholis aqua* privati, supramemorati adfunditur tantum, quam illo resorberi perfecte potest. Retorta arenæ balneo committitur, adaptato cum vesica recipiente, et post viginti quatuor horas lenissimo semper æquali continuato igne destilletur. Simulac guttulæ lentius stillarint, tum destillatum, atque perfecte *aqua* privatum *Alcohol* recipitur, usui servandum. Loco *Subcarbonatis Potassae, Murias Calcariae,* siccatus, ad parandum *Alcohol purissimum,* non male adhibetur. Quod *Alcohol,* hac ratione

elicitum, sit perfectissime *aqua* privatum, indicat specifica ejus gravitas in temperatura graduum + 15 *Reaum.* non plus quam 791 ad 1000 *aquae.* Deficiente *Aethere sulphurico alcoholisato*, pares portiones *Acidi sulphurici diluti* et *Alcoholis* simul nuptæ, non inepte eidem substituuntur, duplici quantitate pro dosi. Ceterum, quid jam de *Alcohole* dictum fuit, hic sane, locum habet.

## ALUMINA.

TERRA BOLARIS, SEU ARGILLACEA PURA. BERGMANN.

Квасцовая чистѣйшая глина.

R. *Supersulphatis Aluminae* et *Potassae*, quantum lubet, solve in
*Aquae purae*, sufficienti quantitate;
huic solutioni instilla gradatim:
*Subcarbonatis Potassae*, in *aqua pura*, soluti, quantum sufficit.

*Terra* præcipitata, probe, *aqua destillata*, lavetur, usuique servetur.

Q. Linguæ adhæret, humorem, *aqua* madefacta, vehementer adtrahit. *Odoris* est proprie *argillacei; saporis terrestris*, igne durescit, atque conjungitur cum *acidis*.

V. Leniter adstringens; exsiccans.

U. In excoriatione efficax.

## AMMONIA LIQUIDA.

LIQUOR AMMONII CAUSTICI *Ph. Bor.*; SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS *Ph. Ross.*

Амміакъ жидкій; спиртъ нашатырный ѣдкій.

R. *Muriatis Ammoniae* uncias sedecim,
*Calcariae* recens paratæ bilibram,
*Aquae fluviatilis* libras sex.

Libræ *aquae* in figulinum, vel ferreum vas infusæ, *Calcariam* contritam adjice, et vas operito per horas viginti quatuor, dum

*Calcaria* in pollen dilabitur, quod retortæ immitte. Huic *Muriatem Ammoniae*, in *aquae* libris quinque solutum, addito. Tunc, occluso retortæ ore, agitando permisce, tandem fiat *destillatio*, (calore adeo leni, ut adstantis manus admota retortæ calorem ejus facile ferre queat,) in excipulum refrigeratum, donec destillaverint unciæ viginti. In hac *destillatione* vasa sic conglutinanda sunt, ut *vapores* etiam subtilissimi prorsus cohibeantur.

Q. *Ammonia* componitur e quatuor partibus *azoti* unaque *hydrogenis* (parte) in gas, athmosphaerico, levius, cito ad gr. 130 F., mutabilis. Pond. specif. est 0,9054, constat ex *aquae* 74,63 et *Ammoniae* 25,37.

V. Admodum irritans; diaphoretica; antacida; largiori dosi ex *aqua*, emetica. *Externe*: rubefaciens; caustica; discutiens.

U. Perraro *interne* exhibebatur, nec nisi, ob acrimoniam, qua pollet, *externo usui* destinata fuit; a quibusdam tamen commendabatur in typho, ubi opus erat nervos reficere, labefactas vires resuscitare, soporem tollere, diaphoresin movere, spasmos pectoris et tussim lenire; imo etiam in universali paralysi et anæstesia stimulo fuisse corpori perhibetur. Ad guttas decem, quindecim, viginti, multa *aqua* rite diluta, potentissimum præbere existimatur excitans, et resolvens, quod in morbis, ab adcumulata tenaci pituita natis, e. g. pectoris, asthmate humido, catarrho suffocativo (Fourcroy,) cephalalgia, apoplexia nervosa, adfectibus soporosis, a stagnanti pituita ortis, aut ad eos excitandos, qui in *aqua* submersi sunt, eximii est usus. In scrofulis a Schraudio laudatur, in quibus grana duo ad sex infantibus porrecta, eximiam exseruere efficaciam, haud secus ac in mesenteremphraxi. Crystallos quoque ipsas linguae, (post leves apoplexiæ insultus,) paralyticæ, admotas, cum successu tentavit ill. Fourcroy. Tum vulneribus instillata, quum etiam in spleniis, crebro ea humefactis, admota, tum simul ad duodecim, et quadraginta usque guttas, mane, vel repetitis vicibus per diem, *aqua* vel *potione* calente, multum temperata, deglutita, homines ab animalibus rabidis, (Triguerre apud Sage,) aut serpentibus venenatis

Lepechin,) *Bero* potissimum (Enaux,) morsos, servasse fertur. In carcinomate etiam, syphiliticis ulceribus, aliisque cacoëtheis, *externo* simul ac *interno usu*, a drachmis duabus ad unciam usque de die propinata, *aqua* tamen rite diluta, commendatur a *Van* Wy. Quatuor *aquae* partibus dilutam, inhibendis sanguinis profluviis cum successu obposuit La Pira; sed aptior sanguifluxibus minorum vasorum; extrinsecus sane pro excitandis apoplecticis, epilepticis, soporosis, syncopticis, et hystericis, uti etiam pro illinendis membris, quæ paralysi tonum amisere, adcommodatior. Proficit etiam adversus tumores cysticos incipientes, frigidos, duros, e lacte coagulato, vel lympha inspissata, ortos, perniones, dissipandos, uti etiam forma *linimenti* in myodynia, imo et adustis, efficax. Excitandi scopo in plethoricis non, nisi larga sanguinis detractione præmissa, adplicetur; dum vero intrinsecus datur, evitandus est sollicite usus omnium, tam *alcalinorum*, tam *salium neutrorum*, aut *sulphuricum*, aut *vegetabile* quoddam *acidum*, continentium.

V. *Alcohol ammoniatum; Gargarisma —; Linimentum Ammoniae; — — camphoratum; — saponis rubefaciens; — — — fortius; Haustus saponatus.*

## AQUA ACIDI CARBONICI.

### Aqua aëris fixi. *Ph. Ross.*

### Вода углекислая, или напитанная углекислымъ гасомъ.

*Aqua communis*, *Acido carbonico* e *Carbonate Calcariae* duro, (vulgo *Marmore*,) ope *Acidi sulphurici* expulso, in vase idoneo saturetur. *Acidum* e *Carbonatis Calcariae* uncia, pari pondere *Acidi sulphurici* adhibito, et *aquae* circiter libra diluto, erumpens, sufficit ad *aquae* libras quatuor saturandas.

V. Lotium movet, sitim restinguit, quosdam calculos egregie infringit, (in quibus *acidum uricum* desideratur,) calorem

minuit, irritabilitatem stomachi, nauseam, vomitumque, aut sedat, aut tollit.

D. Bilibra partitis vicibus quotidie. Eodem modo paratur *Aqua Ferri aërata*, suspendendo semunciam *ferrei fili* in *aqua Acidi carbonici*, quæ ceteris *aquis ferratis* substitui potest, virtusque ejus, ut aliarum, est excitans valide nervosum systema, motum systematis arteriosi augens, vires labentes refocillans; deobstruens; in primis astheniæ musculari et nervosæ, splanchemphraxi abdominali, ictero, amenorrhoeæ, chlorosi, blennorrhœæ, myodyniæ rheumaticæ etc.; adcommodata, persæpe in iis quoque casibus commendabilis, dum vulneribus sauciis, post *sulphuratas aquas*, has etiam propinari, e re est.

V. *Aquae minerales acidulae artefactae.*

## AQUA ACIDI NITRICI.

### Вода селитрокислая.

℞. *Acidi nitrici diluti* drachmas duas,
*Aquae communis*, vel
*Decocturae Hordei*, vel
——— *Furfuris*, vel
*Infusi Calami*, vel
——— *Chamomillae* bilibram,
*Syrupi simplicis*, vel
*Mellis despumati* uncias duas.
Misce.

V. Stimulans; peptica; antiseptica; oxygenans; interdum diuretica; roborans.

U. Hepatemphraxis, hepatitis chronica, febres typhodes, exanthemata gravatim erumpentia, ulcera syphilitica, (post usum *Hydrargyri*,) herpetica, psora, scrofulæ, aliæve cachexiæ; imo glossocarcinomati, protracto usu, subvenisse fertur.

D. Libra, bilibra, in diem, per vices. Per tubum vitreum potui danda.

## AQUA ACIDI SULPHURICI.

*per se, vel in connubio aliorum.*

Вода сѣрнокислая.

R. *Acidi sulphurici diluti* drachmas sex,
*Aquae communis*, vel
*Decocturae Hordei*, vel
*Infusi Calami* bilibram,
*Syrupi simplicis*, vel
*Mellis despumati* uncias duas.

Quod attinet ad *virtutem*, et *usum*, pleraque omnia, quæ de ceteris *Acidis mineralibus* dicta sunt; præsertim vero de *Acido sulphurico*, eodemque *diluto*, hic etiam locum habent.

D. Drachmæ duæ ad semunciam in vehiculo idoneo. Si *aquae Acidum sulphuricum* in præstituta proportione nuptum administretur, tum per modum *lotionis* eodem uti licet.

## AQUA ACIDULA ARTEFACTA.

*Selteranam aemulans.*

Вода углекислая, подобная Зельцерской.

R. *Aquae depuratae* libras quinquaginta,
*Carbonatis Calcariae praeparati* drachmas duas,
*Subcarbonatis Magnesiae* unciam,
——— *Sodae* drachmas sex,
*Muriatis Sodae depurati* sescunciam.

Trajice per solutionem in adparatu proprio *gasis acidi carbonici* pollices cubicos 909 ad 1000. Lagena hermetice clausa, conservetur.

V. Diuretica; sedans; antacida; antiseptica.

U. Tabidis, splanchemphraxi, urolithiasi, dysuria, aliisque malis, ex metastasi lactea oriundis, laborantibus, prodest.

D. Per cyathos detur.

## AQUA BETULINA VINOSA.

Вода березовая, кисловато-винная.

R. *Sacchari, aqua soluti,* libras sex,
*Vini albi boni,* vel
—— *rubri* — mensuras tres,
*Succi fructuum Citri medicae,* sescunciam,
—— *betulini* mensuras duodecim,
*Foecum Cerevisiae albae* cochlearia duo.

Commista subjiciantur in cado, (lege artis,) fermentationi. Hæc *betulina aqua*, ibi, ubi *Vinum*, et *fructus Citri medicae*, non sunt caro pretio, præfectis militaribus, præscribi potest.

## AQUA CALCARIÆ.

Aqua Calcariæ ustæ *Ph. Bor.*; Aqua Calcis vivæ *Ph. Ross.*

Известковая вода.

R. *Calcariae recens paratae* libram,
*Aquae bullientis* libras quindecim.

*Calcariae* figulino vasi commissæ, sensim *aquam* adfundito, agitans continuo. Seponito dein per duodecim horas et vas sæpius concutito, postea, ut sedimentum ponatur, quiescant, et *liquor* limpidus supernatans caute effundendus, in lagenis rite repletis, obturandisque servetur.

Q. Solvit *aqua* $\frac{1}{450}$ *Calcariae* et exinde lixiviosum saporem sortitur, qui sub sensatione caloris excitatur in lingua.

V. Absorbens; leniter adstringens; lithontriptica; siccans.

U. In nevroblacia abdominali, pituitosa colluvie stipata, scopo incitandi, sumitur, ad uncias aliquot per diem, conjunctim cum *amaris aromaticis*, cum *lacte asinino*, aliisque pro re nata, haud secus, ac in malis ab acore primarum viarum, aut actione organorum, succum gastricum fundentium, morbosa

productis, locum habet. In urolithiasi, sub eadem diathesi, profuit, quotidie per aliquot septimanas, cum dimidia *lactis* parte epota. Calculos profecto, secundum experimenta SCHEELII, solvit; in organismo autem animali ad minimum, si largius diutiusque sumatur, lotium notabiliter mutari, *acidum uricum* tolli, dolorem mitescere, augmento calculi obicem poni, imo variis symptomatibus puta: mictui, et cruento, et mucoso, colluvie pituitosa producto, obviam ire, experiundo didicimus, ac proinde, si malum summovere nequiverit; pro certo tamen leniet illud. Communiter cum *jusculo carnis* exhibetur, ubi vero ventriculi, ne debilitetur, ratio habenda, additamentum *aquae Cinnamomi*, vel alius *aromaticae*, non est alienum. Ut autem vis ejus solvens intendatur, *Saponem*, *Subcarbonatem Sodae* commendant addendum alii, alii *injectiones* in urocystidem cum interno usu conjungendas svadent ex quatuor vel quinque unciis tepefactæ *aquae Calcariae*, addito *Vitello ovi*, vel *amyli triticini*, vel cujuspiam *mucilaginis* pauxillo, idque commode fit mane et vesperi ope catheteris flexibilis, cujus remora ab ægris sat bene fertur. In dysuria calculosa unciis sedecim *aquae Calcariae*, *saponis* drachmæ tres addi queunt (WHYTT,) atque mitigatur *aqua Calcariae* sapor saponaceus. Gustus minus gratus in lingua, ab adsumta *aqua Calcariae*, perceptus, illico aufertur pauxillo *Aceti* in ore detento, ac dein exsputo. In stranguria quoque, et spasmodica ischuria, imo et hæmaturia, emicante præsertim *acido urico*, commendabilis. Sunt etiam exempla curati ope ejus diabetis, tum melliti, quum aquosi; sed in hæmaturia caute administranda. Cum arthrodynia urolithiasi affinis esse censeatur; in hoc etiam malo, si anomalum fuerit, nec activis articulorum tumoribus insigne, utilitatem promittit. In podagra, et chronicis rheumaticis myodyniis, ubi acoris quoque metus subest, apte eidem junguntur *amara*, *aqua Cinnamomi* etc. Iuvat etiam in diarrhœa oxode, in dysenteria diuturna, vel ulcera intestinorum, vel intestinalium glandularum, subsecuta. In hoc malo æque ac in phthisi ulcerosa datur cum *decoctura Cetrariae islandi-*

*cae*, *gummiresina Myrrhae*, *extractis amaris* et *lacte asinino*. In hyperesthesia nervei systematis, atque subortis hinc spasticis adfectionibus laudatur a WEIKARDIO. Ubi cetera pharmaca irrita fuere, vomituritionem (post adsumtum cibum) protractiorem, sæpius *aqua Calcariae*, largioribus præbiis exhibita, compescuit. Injicitur *aqua Calcariae* in urinæ iter apud viros, cum blennorrhœa vexantur; in vaginam vero muliebrem, profluvii mucosi purulentique sistendi causa conjunctim cum *extracto Catechu*, et *gummiresina Myrrhae*. Si clystere injiciatur, valet in alvi diuturnis profluviis in connubio *Opii*, in chronicis vero muci, data, ascarides cum mucoso nido expulisse perhibetur. In ulceribus flaccidis, saniosis et ipso carcinomate (RAUMBACH) haud inepte lavantur ulceratæ partes quotidie *aqua Calcariae*, quo saniei fœtor minuitur, et margines ulcerum salubriter incitantur. In ulceribus urocystidis injicitur, in iis vero, quæ interdum obsident intestinum rectum, ope clysteris subterdatur. In excoriationibus chronicisque exanthematis, utpote tinea capitis, psora, herpetibus, crusta lactea infantum (MARX, MEAD, PRINGLE,) per modum lotionis expedit, vel per se, vel cum blando *unguinoso oleo*, in unguentum coacta, admovetur. In aphthis per modum gargarismatis juvat, in gutta rosacea lotione a BLANE commendatur. Ambusta utiliter delibuuntur *aqua Calcariae*, *Olei olivi*, vel — *Lini* paribus portionibus et *Tincturae Opii* guttis aliquot, in *linimentum* coactis. Denique utilis est in tumoribus œdematosis restituendæ absorptionis ergo.

D. Ab initio duæ, quatuor unciæ, aliquoties de die, ita, ut selibra, vel libra per diem epotetur. In morbis refractariolis augetur dosis, si non officit ventriculo, conjungiturque communiter cum *lacte frigido*, vel *tepefacto jusculo carnium*, aut pauxillo *mucilaginosi*, ubi vero ventriculi ratio habenda, cum *aqua Cinnamomi*, aut aliis *aromaticis*; minime vero, ut quidam falso opinantur, cum *Decoctura Cinchonae*, quippe quæ decomponit *aquam Calcariae*. Satius est, debilitatis medicamina, (*tonica remedia*,) per vices interponere. In ulceribus, eruptionibus cu-

ineis, carcinomate, juvat addere *decocturae radicis A. Lappae,* *ſtipitum S. Dulcamarae.* Si alvus usu ejus comprimitur, aut clyster subterdandus est, aut *radix Rhei palmati* exhibenda cathartico scopo; si vero calor et sitis urget, haud raro *Aether nitricus* juvit. *Acida alcoholisata,* in primis talia, quæ, ut *Vinum,* libera *acida* tenent, esculenta *acida vegetabilia* etc., utentibus *aqua Calcariae* aliena sunt.

V. *Linimentum calcareum.*

## AQUA CARDIACA.

Питье ободряющее.

R. *Alcoholis diluti,* vel
—— —— *impuri,* libram,
*Aquae bullientis* libras quatuor,
*Sacchari* uncias duas (ad quatuor.)
Misce.

Interdum ad gratiam additur *succus V. Oxycocci,* vel *Citri m.* vel alterius convenientis, ratione semper parsimoniæ habita.

V. Stimulans; exhilarans; tonica.

D. Pro re nata, a Medente indicanda; meminisse tamen juvat quantitatis.

## AQUA CARVI.

*Ex tempore parabilis.*

Вода тминная, (вь скоросши пригошовляемая.)

R. *Elaeosacchari Cari Carvi* semunciam,
*Aquae communis* libram.
Misce terendo. Eodem modo parantur:
*Aqua Menthae crispae,* В. просшой мяшы.
—— —— *piperitae,* В. перечной ——.
—— *Anethi Foeniculi,* В. волоско-укропная.
—— *Pimpinellae Anisi,* В. анисовая, aliæque extemporales.

Omnes hæ *aquae* aliis *pharmacis* pro vehiculo inserviunt. (videsis: *Elaeosacchara.)*

## AQUA DEPURATA.

### Вода очищенная.

*Aqua* communis filtrata simpliciter, vel prævie cocta, ac dein per saccum densum cannabinum *carbonibus pulveratis* repletum, aut per adparatum (filtratorium) trajecta, (Уставъ для военныхъ гошпиталей) filtrata, purificata, usui servetur.

U. In plerisque omnibus febribus, exceptis adfectionibus topicis, adfusio frigidæ aquæ ad superficiem corporis totam, urgente in primis calore, primis diebus denis, peraccommoda esse censetur, magnamque promittit utilitatem. Ægro *acidulis potionibus*, munditie, aëre puro, perflatumque habente, refecto, rarius incidit necessitas *stimulantium volatilium*, quibus fatiscentiæ virium succurri solet. A sexto die adspersio ejusdem aptior, somnum placidum, adinstar *narcoticorum*, accersens. Extrinsecus quoque adplicatur aptissime in adustis, contusuris, luxationibus etc., ubique pene, ubi calorici partem demi, e re est, suasu in primis cl. Currie.

V. *Fomentum discutiens*; *Aqua acidi carbonici*; — *acidula*; — *destillata*.

## AQUA DESTILLATA.

### Вода перегнанная.

R. *Aquae fluvialis*, vel *putealis*, vel *fontanae*, quantum lubet. Ex vasis *Stanno*, probe obductis, vel stanneis, vel vitreis, examussim mundatis, moderato igne fiat destillatio, quoadusque duæ tertiæ circiter partes destillaverint. *Aqua* tali modo obtenta exponatur per aliquot dies aëri, aut in proprio apparatu, probe cum aëre agitata, servetur usui. Prima portiuncula stillantis *aquae* rejiciatur.

U. Pro solvendo *Oxymuriate Hydrargyri*, *Tartrate Stibii* et *Potassae* etc., servit.

## AQUA HYDRARGYRI CAUSTICA.

AQUA PHAGEDÆNICA *Ph. Ross.*

Вода ртутно-известная.

R. *Oxymuriatis Hydrargyri* scrupulum,
*Aquae Calcariae* selibram,
Misce, et pro usu externo serva.

U. Rhagades, condylomata, verrucas, ope plumaceolæ adnota, exest; ulcera syphilitica curat.

## AQUA HYDROSULPHURATA ACIDULA.

LIQUOR VINI PROBATORIUS HAHNEMANNI.

Вода водотворно-сѣрная кисловатая; Растворъ пробной Ганеманновъ.

R. *Sulphureti Calcariae* drachmas duas,
*Supertartratis Potassae* drachmas septem.

Ingredientia prius in subtilissimum pulverem redige, et vitro amplo immitte, quibus admisce:

*Aquae destillatae* uncias sedecim,

vitrum statim obtura, et liquorem quassando agita per ½ horæ, vel donec ex quiescente nullæ amplius propullularint vesiculæ aëreæ. Stet per aliquot horas, ut subsidat, tum liquor decantetur in aliud vitrum, cui *Acidi muriatici* drachmæ duæ, et semis, instillentur. Conquassa iterum, et decanta liquorem limpidum in lagenulas, unciam modo fluidi tenentes, quam statim hermetice obtura, locoque temperato serva. Sit limpidus liquor, saporis et odoris peringrati, *ova* putrida redolentis.

U. Hujus liquoris exiguam portionem, *Vino suspecto*, vel alteri *fluido* adfunde. Si limpidum restat, nullum (præter forsitan *Ferrum* innocens) continet metallum, si vero eo turbatur, continet *Plumbum*, vel aliud *metallum* noxium. *Plumbum* nigro, *Cuprum* fusco, *Oxydum Arsenici* citrino, *Stibium* aurantiaco præcipitatur colore. *Ferrum* sub ipsa præcipitatione iterum *acido* superstite solvitur, inde nullam turbationem causat.

## AQUA MARINA ARTEFACTA.

### Вода морская искуственная.

R. *Aquae* libras quinquaginta,
*Muriatis Sodae depurati* uncias decem,
——— *Magnesiae* drachmas decem,
——— *Calcariae* uncias duas,
*Sulphatis Sodae*,
——— *Magnesiae*, utriusque drachmas sex.
Misce.

U. Pro *balneis frigidis*, vel *calidis*. Scrofulæ, rhachitis, aliive morbi systematis lymphatici, debilitas systematis nervosi, musculorum, ligamentorum. Interne libra, pro re nata, propinata, alvum egregie ducit.

## AQUA MENTHÆ PIPERITÆ.

### Вода мяты перечной.

R. *Herbae Menthae piperitae florentis* bilibram, vel
——— ——— ——— *siccatae* libram,

His adfunditur *aquae* tantum, ut destillatione, cum elicitæ fuerint libræ decem, supersit quantum sufficit ad evitandum empyreuma. Post macerationem debitam, destillentur libræ decem. Hoc modo parantur *aquae stillatitiae*:

Ex *corticis Citri aurantii* bilibra,
— ——— ——— *medicae recentis* totidem libris,
— ——— *Lauri Cassiae* libra, per diem macerata,
— ——— ——— *Cinnamomi*, ——— ——— ——— ———
— *florum Rosae centifoliae rec.* libris sex,
— *fructus Myrti Pimentae* selibra, per diem macerata,
— *herbae Menthae crispae florentis* bilibra,
— ——— *Pulegii florentis* bilibra
— ——— ——— *siccae* libra,
— *seminum Anethi Foeniculi* libra,
— ——— *Cari Carvi*, selibra,
— ——— *Pimpinellae Anisi*, selibra

singulis harum *aquarum* libris adde: *Alcoholis diluti* semunciam, conservationis causa.

U. Omnes hæ *aquae* ob virtutes parvas stimulantes et carminativas (*plantarum*, ex quibus extractæ sunt) quas habent, per se dantur, vel aliis Pharmacis fortioribus majorisque momenti, sæpius inserviunt.

## AQUA SULPHURATA ARTEFACTA.

### Вода минерально-сѣрная искуственная.

R. *Aquae purae* libras quadraginta,
*Carbonatis Calcariae* drachmas quinque,
*Subcarbonatis Sodae* drachmas decem,
*Muriatis ejusdem* drachmas septem,
*Gasis Acidi carbonici*
——— *hydrogenii sulphurati*, utriusque pollices cubicos 900 ad 1000.

*Aquae* in stanneo vase calefactæ, ingredientia addantur, dein refrigerata, *gase acido carbonico*, haud secus ac *gase hydrogenio sulphurato*, apto adparatu, saturetur.

V. Sudorifica; antacida; anthelmintica, ob *hydrogenium*, quod habet, *sulphuratum*.

U. Morbi cutanei, myodynia rheumatica, paralysis, rigiditas musculorum, tendinum, juncturarum, a vulneribus sclopetariis.

*Gaz hydrogenïum sulphuratum* decompositione *Hydrosulphureti Potassae* vel *Calcariae* per *Acidum sulphuricum* obtinetur.

## AQUA SUPERCARBONATIS POTASSÆ.

AQUÆ CAROLINÆ, BORSETANÆ, ET ALIIS ALCALESCENTIBUS AQUIS æquiparabilis.

### Вода поташная углекислая; или щелочная пресыщенная углекислымъ гасомъ.

R. *Aquae depuratae* libras decem
*Subcarbonatis Potassae depurati* unciam,

Solve et subjice rivo *gasis acidi carbonici*, qui oriatur ex pulvere *Carbonatis Calcariae*, *Acidi sulphurici*, utriusque unciis tribus, *aquae* libris totidem gradatim, et caute commistis. Huic præparationi conveniunt adparatus chemici a *D.* Nooth et Woulfe inventi.

V. Antacida; diuretica; solvens; lithontriptica in quibusdam casibus.

U. Internus: urolithiasis, arthrodynia, scrofula, icterus, splanchemphraxis, obesitas etc.

D. A selibra ad libram, spatio viginti quatuor horarum.

## AQUA SUPERCARBONATIS SODÆ.

### AQUA MEPHITICA ALCALINA.

### Вода содная пресыщенная углекислымъ гасомъ.

R. *Subcarbonatis Sodae* depurati uncias duas,
*Aquae depuratae* libras decem

Solve et misce cum *gase acidi* eodem modo, ut sub *aqua Supercarbonatis Potassae* præceptum est. Lagena hermetice claudenda servetur. Ejus loco statim solvi potest *Subcarbonatis Potassae* drachma (duæ) in *aquae Selteranae*, *Wildungensis*, *Fachingensis*, vel similis pure *acidulae*, libra.

U. In urolithiasi cum prædominio *acidi urici*. Usum præcedat examen urinæ cum charta *lacca caerulea* tincta, rubescere enim debet, si spe aliqua curam incipere velimus. Præterea adhiberi potest in podagra et morbis e metastasi lactea, aut acore primarum viarum ortis, leucophlegmatia, hydrothorace.

## BARYTA.

### Terra ponderosa pura. (Bergmann.)

### Тяжелоземъ, или Баритъ очищенный.

R. *Carbonatis Barytae*, quantum lubet,

In crucibulo ferreo, forti igni exponito, ut per semihoram

ubeat; massa dein frigefacta et pulverata, in vase rite clauso usui servetur. *Vel*

R. *Corbonatis Barytae* partes novem,

*Carbonis lignarii* partem,

Tere invicem in subtilissimum pulverem, qui crucibulo immittatur operculoque adaptato, summo caloris gradui per horam subjiciatur. Materia probe trita, decoquatur in vase vitreo cum viginti partibus *aquae communis*, solutio adhuc fervida statim filtretur per chartam emporeticam, et vitro beneclauso infundatur locoque frigido ad crystallisationem seponatur. Crystalli formatæ inter chartam bibulam cito siccentur, et in vitro idoneo ab aditu aëris serventur.

U. Ad varia *praeparata.*

V. *Carbonas Barytae*; *Murias* —.

## BILIS TAURINA SPISSATA.

## Желчь бычачья сгущенная.

R. *Bilis taurinae recentis*, quantum lubet,

evaporet in patina vitrea, in *balneo arenae*, vel *aquae*, in solidioris *extracti* consistentiam. Sic confectum, putredini, in quam pronissima est, longius resistit; nihilo tamen minus, quum facile in putredinem nitatur, non est diu tenenda; in *cupreis* item vasis parata, quo *Cupri* partem continet, despicatui ducenda.

V. Saponacea; resolvens; leniter roborans; prædominantem ventriculi acorem infringens.

U. Encomia tulit in acholia, (defectu *bilis*,) ejusque inertia, splanchemphraxi, ictero, infirmitate ventriculi, ructibus acidis, stipata, soda, a perversa liquorum menstruorum secretione (forma *pilularum* cum *gummiresina Assae foetidae*,) helminthiasi, ad vermes videlicet exterminandos, quo in casu cum *C. Jalappa* conjungitur. *Extrinsecus* addi solet *linimentis anthelminticis*, in adfectibus verminosis abdomini illinenda, aut aliis congruis, ad reserandos tumores scrofulosos (Hufeland.)

*Aqua dilutam* PLENCKIUS ad maculas corneæ delendas cum successu admovit. *Injectio fellea* meatum auditorium purgare fertur (LENTIN;) plerumque *pilulis amaris* admiscetur.

D. Semidrachma aliquoties de die porrigitur. Absente febri adcommoda. Videsis: BOS TAURUS.

V. *Pilulae amarae ferratae.*

## BOLETUS IGNIARIUS PRÆPARATUS.

### Пріуготовленная древесная губка.

BOLETUS IGNIARIUS e *caudicibus Fagi* et *Tiliae*, collectus, duricorius, a cortice externo, fistulosaque substantia, sollicite, cultri ope, separatus, et discissus, mallei ictibus submittatur, donec adeo mollescat, ut instar pellis *Rupicaprae*, inter digitos diduci et in minores discerpi partes queat.

V. Ischæma; sanguinem mechanice sistens.

U. In hæmorrhagiis externis, violenta vulneratione, vel dissectione arteriarum, nominatim sub amputatione membrorum, enatis, omni festinatione sedandis, jam dudum in existimatione est apud Chiriatros.

D. Adplicatio ea est, quod frustum vulneri paulo amplius imponatur, atque aliud huic majus superdetur; utrumque vero adparatu consueto, arteriam læsam comprimente, in situ contineatur, haud neglecta (sangvine urgentius manante,) sub initium, torcularis, adplicatione. LYCOPERDON BOVISTA (*Bovista Chirurgorum*, Дожжевикъ, *fungus*, in pascuis et pratis siccioribus crescens,) eandem promittit utilitatem, plurimumque celebritatis nactus est, vi, qua ad hæmorrhagias sistendas, pollet.

## CALCARIA.

### CALX VIVA. *Ph. Ross.*

### Известь.

*Calcaria pura*, nulli videlicet *acido* nupta, vix invenitur in rerum natura, utut celeber. KIRWAN referat talem nativam flavi coloris in Ouernie, et induratam grisei prope Butam se

observasse; ast quoniam constet *Acidum* ab ea *carbonicum* avidissime adtrahi, hinc liquet talem diu puram neutiquam manere posse; præparatur autem sequenti modo:

R. *Carbonatis Calcariae praeparati*, quantum lubet, expone in crucibulo fortiori igni per horam, vel donec non effervescet adfusis *acidis*, ut rubescat et confestim in vase serva. Si purissima opus est *Calcaria*, *Carbonatem Calcariae* pulveratum in *aqua destillata* fervefacta lavato, dein solve in *Acido acetico*; solutioni *Subcarbonatis Ammoniae liquidi* quantum satis instillato. Pulverem præcipitatum *aqua destillata* lavato, et igni forti, ut *acidum carbonicum* abigatur, exponito. Massa residua est *Calcaria purissima*.

Q. Est *terra Alcalinis* proxima, secundum experimenta Davyana e metallo proprio (*Calcium*) et *Oxygene* constans, alba, levis, dura, in pulverem tamen conteritur facile; odorem vix ullum; saporem vero causticum habet, in *aqua* cum caloris augmento effervescit et dilabitur (*Calx exstincta*) et in ejus copia quingenties *Calcariae* volumen superante, penitus solvitur, avidissime adtrahit *carbonicum acidum* et tum quoque in pulverem fatiscit, atque causticitate etiam solubilitateque sua orbatur, quamobrem in vitreis vasis, aditum aëris perfecte negantibus, probe usui servanda. *Calcaria*, quæ multum *Acidi carbonici* adtraxit, utpote usui medicinali inepta, perfacile cognoscitur eo, quod adfusis *acidis*, effervescentia suboriatur.

V. Corrodens; decarbonisans.

U. *Calcariam* cum *melle*, *sapone*, *Sulphureto Arsenici flavo*, (*Auripigmento*) commistam, et pro re nata, *Aceto* acerrimo humectatam, inter usitatissima escharotica retulerunt antiquiores. *Misturam* e *Calcaria* et *sapone* in verrucis, tuberculis, excrescentiis, sarcomatibus, tumoribus cysticis, scirrhis exedendis, insignem habere vim Heisterus auctor est. Plenckius e paribus *Calcariae*, *saponisque oleosi* portionibus, condepsuit pastam delendis maternis nævis haud ineptam, scilicet partibus, quæ nævum ambeunt, vicinis, *emplastro Oxydi Plumbi resinoso* (*adhaesivo*,) pro hujus circuitu perforato,

rite munitis, pacta, deformi cuti, admovetur. Interjectis potissimum 12 horis nævus tuberculosus in escharam mutatur, accedente suppuratione, protrudendam. Eandem cum *unguentis* mistam in coxario malo deprehendit efficacissimam de Haen. Idem *Calcariam melle* commistam, densi adinstar cataplasmatis in myodynia rheumatica chronica maximis celebrat laudibus. Sic post Cœlium Aurelianum, membra resoluta, (præter alia,) *Calcaria* etiam adspersa, fricari jussit Tissotius.

V. *Aqua Calcariae*; *Murias —*; *Sulphuretum —*.

## CARBO LIGNARIUS.

### Уголь древесный.

*Carbonis lignarii* vulgaris frustula magna, friabilia, compacta, sed lævia, quæ paululum resonant et renitent, de novo, donec nullum amplius ediderint fumum exurantur, et supra laminam ferream ab adhærente iis cinere, follis ope, liberentur, pulverataque prius, quam ex toto refriguerint, lagenæ, ostio arcto, instructæ, statim immittantur. Orificio probe obturato, ne aëris athmosphærici vel minima pars introire queat, in loco sicco et modice tepido pulvis hic adservandus. Parum refert ex quanam *arboris* specie *carbo* sit paratus; omnis enim æque utilis. Alii ex *Tiliae ligno* obtentum præferunt. Rite paratus pulvis, dum ex novo in crucibulo ignitur, nec flammam capit, nec fumum edit.

V. *Carbo* singularem habet vim *hydrogenes* et *oxygenes* adtrahendi, quapropter, et putredini obstat, et abundantiæ *oxygenis* in organismo, hinc virtus ejus desoxygenans elucet.

U. Novissimis temporibus medicamentosa sua vi cum primis inclaruit, cœpitque adhiberi in morbis plerumque cum prædominio *oxygenis*, e. g. in phthisi pulmonali (Beddoes) cum inflammatoria stasi juncta (florida,) dum videlicet in ea, *azotici* penuria, *oxygenes* abundat, ligari hoc ac iners fieri *carbone* ingesto, probabile existimatur. Garnetus cum *Hydrosulphureto Potassae* (*Hepate sulphuris*) commistum ad semidrach-

mam in phthisi ulcerosa florida exhibuit. Alii im morbis cum fœtore, et in putredinem pronitate exhibuerunt, sic GAYUS in febribus putridis cum *Camphora* dedit (*Journal de Sedillot.*) In febri bilioso-putrida, et similibus, præcipue colluvie putrida primarum viarum, stipatis, efficax exstitit (MŒNCH.) Alii febribus intermittentibus, subducta prius alvo, obposuere. In dysenteria putrida, partitis vicibus, ad drachmas duas propinatus, cum crebras alvi dejectiones, tum fetorem excrementorum, nasum ferientem, cohibuit brevi (JUCH,) in diarrhœa quoque colliquativa, vomitu, enterodynia flatulenta expedit. In variis ventriculi, inflatione adfecti (LEONARDI) vitiis, ructu, dyspepsia, imo in ipsa alvi obstipatione (MITCHELL) profuisse fertur. Infantibus, prævalente ventriculi acore, inquietis, alvo viridi, vomituritione laborantibus, recte administratur, enterodyniam, vomitum et diarrhœam gravidarum submovendo, âbortum præcavet, (KAMENETZKY.) Scorbuto etiam oppositus et hæmorrhagiis, hoc ex fonte, oriundis (ODIER.) In ptysmate pertinaci juvat. Novissime pro antidoto *Oxymuriatis Hydrargyri*, et *Oxydi Arsenici albi* prædicatur (BERTRAND.) Externus ejusdem usus multo latius patet, et tutior est. In ulceribus gangrænosis et sphacelo, decubitum diuturnum, sequente, juvat *carbones* pulveratos, adspergere, vel miscere cum *pulte* e *farina secalina* facto, alii fermentum *panis* præferunt; alii pastam e *farina seminum Lini* cum *aqua* et *carbone* (ODIER.) Ulcera impura fœtida e. g. scorbutica usum *carbonis*, vel in *pulvere*, vel in *unguento* exposcunt. Laxum et spongiosum scorbuticarum gingivarum habitum purgatio *pulvere carbonum* cito profligat, hinc haud immerito is *pulveribus dentifriciis* additur. Carcinomati uteri pasta e *carbone* pulverato et *melle*, (secundum ODIER) profuit, ut palliativum. In variis fœditatibus cutis, ut psora, herpetibus, achoribus, efficaciter agit, præsertim cum *Sulphure sublimato*. Si partes malo adfectæ madent, forma sicca præponitur, si vero siccescunt, forma *unguenti* cum *Sebo*, *butyro* recenti, non *salito*, e. g. in crusta lactea cum *cremore lactis*, in tinea capitis cum *adipe suilla depurata* adhibetur. An-

te deligationem partes adfectæ *decoctura Arctii Lappae*, aut *sapone* lavandæ sunt. *Cl.* THOMANN profligavit brevi tineam per vices adspergendo *carbonem* pulveratum, et lavando *saponacea aqua*. *Carbo* pulveratus, atque cum æqua portione *furfurum triticeorum* mistus, si tibialibus aut calceis inspergatur, sudorem plantarum pedum acrem, fœtentem, cohibere perhibetur (KAMENETZKY.) *Clysteres* e *decoctura furfurum triticeorum*, vel *infuso seminum Lini* cum pulvere *carbonis*, in diarrhœis, dysenteriis, tenesmo, enterodynia flatulenta, hæmorrhoidali, verminosa, valent (KAMENETZKY.) Quosdam antiquitus *carbonibus* in vicem *salis* fuisse usos VARRO memoriæ prodidit. Præterea corporibus, quam plurimis fetorem eripit, eaque decolorat (LOWITZ,) hinc in Pharmacia adhibetur ad purificanda et decoloranda varia fluida empyreumatica colorata, utpote: *Alcohol*, *Acetum*, *Acidum tartaricum*, *Carbonatem Ammoniae*, *Supertartratem Potassae*, aliaque *salium lixivia*; etiam *aquae* in putredinem nitenti a classiariis obponitur adjecto in primis *Acidi sulphurici* pauxillo. Filtra a SMITHIO et CUCHETO inventa ac depurandæ *aquae* dicata (*Fontaines depuratoires*) omnem utilitatem *carboni* debent, qui eorum fundum contegit. *Caro* putescens, hoc respersa, recentis gratiam cito præ se fert, fitque inolens (MŒNCH.) Immittitur quoque sellis familiaricis et latrinis ad fœtidos vapores ex iis erumpentes, retinendos. Adversus sequelas ciborum in cupreis vasis, non rite *Stanno* obductis, præparatorum, valet (ORFILA.)

D. Pro adultis a scrupulo ad drachmam et ad drachmas tres. Propter levitatem forma *electuarii* præponitur. Ad unciam, e. g. *carbonum* pulveratorum, tres unciæ, vel drachmæ duæ *gummi Acaciae verae*, uncia *Sacchari* et duæ vel tres *aquae* unciæ sumuntur. Ceterum et cum *lacte*, præcipue ab infantibus bene devoratur. Pro *unguento* ad partem *carbonum* sex partes *olei* alicujus expressi requiruntur, vel et *mel olei* vices gerit. Pro clysteribus ab uncia ad duas adultis, a drachma ad duas infantibus, cum *decoctura Amyli triticini* aut *infuso seminum Lini usitatissimi* etc.

V. *Cataplasma antisepticum*; *Gas hydrogenium carbonatum*; *Pulvis Carbonis acidulus.*

## CARBO SPONGIÆ OFFICINALIS.

### SPONGIA MARINA USTA. *Ph. Ross.*

Морская губка обугленная, или жженая.

R. *Spongiae officinalis*, in frustula concisæ, quantum lubet. Probe lotam mundatamque in vase fictili clauso, igni exposito, sæpe agitando, donec fumus per commissuras exire cesset, massaque fiat perfecte friabilis, in pulverem dein tenuanda, usuique, vasis clausis, servanda.

Q. Fugato ita per ignem *oleo animali foetido* et *Carbonate Ammoniae*, ex *Carbone*, *Muriate Sodae*, et *Subphosphate Calcariae*, consistit.

V. Resolvens; exsiccans.

U. Laudatur in primis in thyremphraxi (tumore glandulæ thyroideæ,) mesenteremphraxi (glandularum meseraicarum obstructione,) scrofula.

D. A scrupulo ad drachmam bis terve de die cum *Saccharo* aut aliis interne, ut *Muriate Sodae*, et *Submuriate Hydrargyri*, etc., vel *trochisci* fiunt. A quibusdam etiam *decoctura* exhibetur.

V. *Pulvis Spongiae compositus; Trochisci Spongiae compositi.*

## CARBONAS BARYTÆ.

### Тяжелоземъ углекислый.

R. *Sulphatis Barytae*, subtilissime *pulverisati*, partes octo,
*Muriatis Sodae depurati* partes quatuor,
*Carbonis lignarii* partem.

Bene inter se commisceantur materiaque dein crucibulo immittatur atque operculo adaptato, fortiori igne, per horam urgeatur. Massa probe trita immittatur vasi vitreo cum aquæ ferventis viginti et quatuor partibus, bene obturato, agitationeque permisceatur. Vas in balneo vaporis stet, donec pars non soluta

subsederit, dein liquor per chartam emporeticam filtretur ac sensim sensimque instilletur *Subcarbonas Potassae* in *aqua* solutus, donec præcipitatio *Carbonatis Barytae* prorsus disparuerit. Liquor supranatans decantetur et subsidens pulvis ope *aquae* bullientis edulcoretur ac in charta bibula siccetur.

V. *Murias Barytae.*

## CARBONAS CALCARIÆ PRÆPARATUS.

Известь углекислая пріуготовленная; мѣлъ очищенный.

*Carbonas Calcariae*, seu mollior, *Creta* dictus, seu durior, sub nomine *lapillorum*, et *oculorum Cancrorum* notus, in ferreo mortario pulveratus, atque super porhyritem cum pauxillo *aquae* lævigatus, vasi committatur capaci, tum *aqua* adfundatur, quæ sæpius agitato vase onusta polline elutrietur. *Aqua* quiescente, pulvis subtilis subsidet, illico exsiccandus. Crassus pulvis, cui *aqua* non est sustinendo, lævigetur iterum, eodemque, ut prius modo, tractetur.

V. Absorbens; exsiccans; antacida.

U. *Carbonatis Calcariae praeparati* in cardialgia, pyrosi, ad absorbendum in ventriculo et intestinis prævalens *acidum*, præsertim impedita ciborum adsimilatione, ac prædominante acore, productum. *Lapides Cancrorum* hoc in casu, ad semiscrupulum vel integrum, cum lenioribus *aromaticis* ingeruntur. *Creta* vero, licet, ob causas, quarum supra mentio injecta est, et quod heterogeneas sibi admistas partes teneat, proscribi mereatur, atque illis et *conchis* postponi; nihilo tamen minus despicatui ducenda est *praeparata*, præsertim urgente acrimonia acida, periculoque per moram metuendo. Tunc aptissime cum *gummi Acaciae verae* conjungitur, addito *Saccharo* et *nuce*, si præsto est, *Myristicae moschatae*, facilioris digestionis causa, et in primis choleræ obviam it. *Mistura Londinensium cretacea*: e *Cretae praeparatae* uncia, *Sacchari purificati* drachmis sex, *gummi Acaciae verae* in pulverem tenuati, unciis duabus, *aquae destillatae* bilibra, coalescens, efficacissi-

mum est adversus sodam remedium. Ope *Cretae*, *aquam marinam* reddi potabilem refert ALLEMAND (*Comment. Soc. Harlemens. P. I*,) addendo quatuor pintis *aquae marinae*, unciam *Cretae*. Pro antidoto *Oxydi Arsenici albi*, in ventriculo, hærentis, habetur, vel ad minimum effectus ejus minuit.

D. Grana decem, triginta et amplius, ter aut pluries, de die dantur.

V. *Aqua Acidi carbonici; Mistura Carbonatis Calcariae composita; Murias Calcariae.*

## CARBONAS FERRI PRÆCIPITATUS.

Углекислое желѣзо осажденное; отсѣдъ углекислаго желѣза.

R. *Sulphatis Ferri* uncias quatuor,
*Subcarbonatis Sodae depurati* uncias quinque,
*Aquae fontis* libras decem.

Solve *Sulphatem Ferri* in *aqua*, dein adde *Subcarbonatem Sodae*, prius ex *aquae* sufficienti quantitate solutum, et misceto probe. Lavetur *Carbonas Ferri*, qui fundum petit, *aqua tepida*, et postea siccetur.

U. Ut *Ferri limati*; præferri tamen huic meretur, atque a granis tribus, decem ad viginti, et amplius datur.

V. *Mistura Myrrhae ferrata; Tinctura Muriatis Ferri.*

## CATAPLASMA ACETATUM.

Катаплазма уксусная.

R. *Farinae* cujuslibet, vel
*Micarum panis*, quantum vis,
*Acidi acetici diluti impuri*, quantum satis;

ut fiat Cataplasma, sæpius frigide superdandum, et, ubi siccescet calefietque, renovandum.

## CATAPLASMA ALUMINATUM.

К. Квасцовая.

R. *Supersulphatis Aluminae* et *Potassae* drachmam,
*Albumina ovorum* duorum.

Fortiter simul agitentur, ut in coagulum coëant.

U. In ophthalmitide asthenica, pernione, etc. efficax.

## CATAPLASMA ANTISEPTICUM.

К. Противогнилостная.

R. *Camphorae* (in uncia aut *Alcoholis diluti*, *aut Olei pineo-laricini* solutæ) sesquidrachmam,
*Farinae* cujuslibet selibram,
*Cerevisiae* fervefactae, quantum satis, ut fiat cataplasma, vel
adde :
*Cataplasmati emollienti* :
*Carbonis lignarii pulverati* uncias duas.

U. In ulceribus putidulis, gangræna, sphacelo. Postrema duo mala *carbonum pulvere* respersa, *Oleo pineo-laricino*, vel *pineo-sylvestri* humefiant, dein interdum *Cataplasma emolliens* superdetur. Id, quod cum *Camphora* conficitur, utpote carioris pretii, utrique *oleo*, sic, ut supra dictum, adhibito, eadem facultate pollenti, postponi in curatione militum debet.

## CATAPLASMA AVENACEUM.

К. Овсяная углекислая.

R. *Farinae avenaceae*, quantum vis,
*Fermenti Cerevisiae*, quantum satis,

Commisceto, atque leni calori, quoad tumescat, exponito, illico superdandum.

U. Hoc *Cataplasma fermentans* in ulceribus putescentibus, gangrænâ, sphacelo et similibus, utilitatem promittit.

## CATAPLASMA CAROTÆ.

К. Морковная.

R. *Radicum Dauci Carotae* recentium, rasarum, quantum opus, ut parti corporis admoveantur, vel
*Earumdem*, quantum vis,
coque ex
*Aquae* sufficienti quantitate,
donec mollescant, tunc in pulpam contundito.

U. Parti corporis nudæ admovendo in curatione ulcerum putescentium, cacoëtheorum, canceraticorum, herpetum, peruile; psoriasis etiam scroti et genitalium eidem cedit.

## CATAPLASMA CAROTÆ COMPOSITUM.

К. Морковная сложная.

R. *Roob Carotae* libram,
*Herbae Conii maculati* pulveratæ unciam,
*Tincturae Opii* sesquidrachmam,
Misce, fiat cataplasma.

U. Ad fœtorem doloremque carcinomatis mitigandum efficax.

## CATAPLASMA CONII AMMONIATUM.

К. Омего-Аммiаковая.

R. *Farinae seminum Lini usitatissimi*, vel
——— *Avenae sativae* selibram,
*Foliorum recentium Conii mac.*, rite contusorum, uncias duas,
*Acidi acetici diluti impuri*, quantum sufficit,
coque parumper et adde:
*Muriatis Ammoniae* semunciam.
Misce, ut fiat cataplasma.

U. Tumoribus articulorum scrofulosis, ulceribus cancrosis, scirrhomatibus, præternaturali irritabilitate stipatis et gangrænæ, adcommodum.

## CATAPLASMA EMOLLIENS.

К. Мягчительная.

R. *Farinae hordeaceae*, vel
—— *Lini usitatissimi*, vel
*Micarum panis* veteris, quantum vis,
coque ex
*Aquae communis*, vel
*Lactis*, sufficienti quantitate ad aptam crassitudinem, ut fiat cataplasma.

U. Quum admovendum est, vel parti, cui cataplasma superdandum est, vel hujus superficiei *adeps suilla*, vel *oleum* prius illinatur, idque furunculis et aliis tumoribus inflammatoriis, vel vulneribus, ubi suppurationis movendæ necessitas incidit, peridoneum.

## CATAPLASMA HERACLEI SALINUM.

К. Аммоніачно-нашатырная, или разводящая.

R. *Cataplasmatis emollientis* libram,
*Gummiresinae Heraclei gummiferi*,
(sufficienti quantitate *Aceti* solutæ,) semunciam,
*Muriatis Ammoniae* drachmas duas,
*Alcoholis diluti camphorati* unciam.
Misce, ut fiat cataplasma.

U. Discutiendo valet in tumoribus articulorum asthenicis, arthropuosi. Si *speciebus* post *Infusum aromaticum* residuis, *Unguenti simplicis* uncias duas addideris, habebis *Cataplasma discutiens* anthraci adcommodatius.

## CATAPLASMA MATURANS I.

К. Нагноивающая 1.

R. *Farinae avenaceae*,
*Mellis*, *utriusque* pares portiones.
Fiat cataplasma.

## CATAPLASMA MATURANS II.

K. Нагноивающая II.

R. *Cataplasmatis emollientis* libram,
*Radicis Allii Cepae tostae, contusae,* sescunciam,
*Unguenti resinosi* unciam.
Misce, ut cataplasmatis crassitudinem adipiscatur.

## CATAPLASMA MATURANS III.

K. Нагноивающая III.

R. *Farinae secalinae* partes duas,
*Saponis picei,*
*Radicis Alli Cepae coctae,* vel
————————— *tostae,*
*Mellis,* singulorum partem.
Fiat cataplasma.

## CATAPLASMA SECALIS MURIATUM I.

K. Ржаной муки соленая I.

R. *Farinae secalinae* partes sex,
*Fermenti panis veteris* partes duas,
*Muriatis Sodae* partem,
*Aquae communis,* quantum satis,
ut fiat cataplasma.

U. In myodynia rheumatica, arthrodynia etc., adhibetur.

## CATAPLASMA SECALIS MURIATUM II.

K. Ржаной муки с. II.

R. *Farinae secalinae* libram,
*Fermenti Cerevisiae* uncias novem,
*Muriatis Sodae* uncias duas.
Misce, fiat cataplasma.

## CATAPLASMA SINAPINUM.

K. Горчичная.

R. *Seminum Sinapeos nigrae* contusorum,

*Farinae avenaceae*, vel
——— *triticeae*, vel
*Micarum panis*, vel
*Fermenti ejusdem*, utriusque pares portiones,
*Acidi acetici diluti impuri*, quantum satis,
ut fiat cataplasma.

V. Excitans topicum; derivans; partium organicarum, dum languent, actionem augens.

U. Vitia e nevroblacia, (e reactione vis vitæ deficiente,) ex sudore consveto locali suppresso, aut exanthematibus chronicis, vel acutis retropulsis; paralysis; cephalalgia; stupor; coma (cum vel sine febre,) delirium febrile, interioribus cruribus, femoribus, brachiis nuchæque imponendum.

## CATAPLASMA SINAPINUM ACERRIMUM.

### К. Горчичная острѣйшая.

R. *Fermenti panis secalini* uncias tres,
*Farinae seminum Sinapeos nigrae* uncias duas,
*Rasurae radicis recentis Cochleariae Armoraciae* sescunciam,
*Radicum Allii Cepae*, sub cineribus tostarum et conquassatarum unciam,
*Muriatis Ammoniae* semunciam,
*Fructuum Capsici annui* pulveratorum drachmam,
*Aceti*, quantum satis,
ut fiat cataplasma mediæ consistentiæ.

## CATAPLASMA SINAPINUM ACRE.

### К. Горчичная острая.

R. *Farinae avenaceae*, vel
*Micae panis*,
*Seminum Sinapeos nigrae* contusorum, utriusque uncias duas,
*Radicum rasarum Cochleariae Armoraciae* sescunciam,

*Muriatis Ammoniae pulverati* semunciam,
*Acidi acetici diluti impuri*, quantum satis,
ut fiat cataplasma.

## CATAPLASMA SUPERACETATIS PLUMBI.

### К. Уксусо-кислая свинцовая.

R. *Micarum panis*, vel
*Farinae*, quantum vis,
*Solutionis Superacetatis Plumbi*, quantum satis,
ut in cataplasma madescant.

U. Ecchymosin, illata extrinsecus vi, productam, discutit. Excoriationibus, adustis, contusuris, luxationibus, tumoribus ossium scrofulosis, distorsioni, convenit.

## CATAPLASMA TABACINUM.

### К. Табачная.

R. *Foliorum Nicotianae Tabaci*, grosso modo pulveratorum, unciam,
*Acidi acetici diluti impuri*, vel
*Aquae ferventis* quantum satis,
simul in cataplasma contundito.

U. In Herpete. Quum *emetica* interne neutiquam exhiberi possunt, tum admotum cordis scrobiculo, vices eorum, supplet.

## CATAPLASMA TRITICI.

### К. Пшеничная противугнилостная.

R. *Farinae triticeae* sescunciam,
*Fermenti Cerevisiae* unciam,
*Mellis* semunciam.
Misce, ut fiat cataplasma.

U. In ulceribus putescentibus, gangræna, sphacelo et similibus, utilitatem promittit, ubi tepefactum est et fermentat superdandum.

## CATAPLASMA TRITICI CÆPINUM.

### К. Пшеничная нагноивающая.

R. *Farinae triticeae* uncias quatuor,
*Aquae simplicis* quantum satis.
Sub agitatione ad pultis consistentiam, addito:
*Pulpam radicum assatarum* duarum *Allii Cepae*, ut fiat cataplasma, ad fictile dandum.

## CATAPLASMA TRITICI OPIATUM.

### К. Пшеничная болеутолительная.

R. *Farinae triticeae* sescunciam,
*Lactis dulcis*, quantum satis,
coque ad consistentiam pultis, addendo versus finem:
*Opii pulverati* grana quinque.
Fiat cataplasma.

## CERATUM OXYCARBONATIS ZINCI.

### Unguentum Zinci *Ph. Bor.*

### Мазь цинковая.

R. *Adipis suillae depuratae* selibram,
*Cerae flavae*,
*Oxycarbonatis Zinci praeparati*, utriusque unciam,
*Olei napini* semunciam.
Fiat ceratum.

V. Catulotica.

U. Ulcusculis, et pustulis, cutis excoriationibus superficialibus, ad cicatrisationem promovendam, aptum. Scire licet in parandis componendisque *Ceratis*, *Emplastris*, *Linimentis*, *Unguentis*, *pingvia* atque *resinosa*, leniori igne liquefacienda esse, *aridis*, si quæ præsto sunt, sub jugi motu, simul inspersis, in pertenuem prius redactis *pulverem*, quoadusque frigescens, riguerit miscela.

## CERATUM SABINÆ.

Мазь сабинная, или Донскаго можевельника.

R. *Foliorum Juniperi Sabinae* recentium, cont. libram,
*Cerae flavae* selibram,
*Adipis suillae depuratae* bilibram.
Coquito *folia Juniperi Sabinae*, leni igne, cum *adipe suilla*, sub perpetua agitatione, spathula lignea, ad perfectam consumptionem humoris, tunc admisce *ceram flavam* et cola per linteum vetustum, seu minus densum. Amoto *Lyttae emplastro* ad fonticulos magnæ efficaciæ est; præsertim autem in morbis articulationum.

## CERATUM SIMPLEX.

М. Восковая простая.

R. *Olei napini*, vel
*Alius congrui* partes duas,
*Cerae albae*, vel
—— *flavae* partem et semis.
Fiat ceratum.

J. Hoc et similia idonea sunt, ubi emollire expedit, vel ab aëre organicas partes arcere.

## CERATUM SUPERACETATS PLUMBI.

Ceratum saturni *Ph. Ross.*

М. Свинцовая.

R. *Olei olivi*, vel
*Alius congrui* partes tres,
*Cerae albae*, vel
—— *flavae* partem,
simul leni igne liquefactis et paululum refrigeratis, probe movendo, partitis vicibus,
adde:

*Superacetatis Plumbi liquidi* partem, vel
———— —— *crystallisati* decimam præcedentis partem.

U. In cnesmo, excoriationibus, adustis valet, imo ad compescendum etiam humorum cursum in ulceribus commendant. (Gooch.)

V. *Unguentum Superacetatis Plumbi.*

## CEREVISIA AMARA.

Пиво травяно-горькое.

R. *Herbae Artemisiae Absinthii,*
—— *Gentianae Centaurii*, vel
—— *Menyanthidis trifoliatae,*
*Corticis flavi fructus Citri Aurantii*, singulorum semunciam.

Incisis et in sacculo linteo inclusis infundantur *Cerevisiae* bonæ notæ unciæ triginta duæ, stent per noctem, dein colentur.

D. Cyathus ter de die propinatur.

## CEREVISIA ANTISCORBUTICA.

П. Противуцынготное.

R. *Radicis Cochleariae Armoraciae* rasæ,
*Seminum Sinapeos nigrae* contusorum,
*Extracti Pini sylvestris*, singulorum libram,
*Syrupi Melassis* libras quatuor,
*Cerevisiae tenuis*, vel
*Infusi Malti*, vel
*Decocturae ejusdem* libras centum et viginti.
Stent leni digestione per quatriduum, ut fiat fermentatio, et cola.

U. Efficacissima est in scorbuto, imo etiam paralysi; addita vero *Subcarbonatis Potassae* libra, facta citra calorem maceratione, haud ineptum fit remedium hydropisi, diuretica vi, enitens.

D. A selibra ad libram per diem, partitis vicibus portionibusque, porrigitur.

## CEROMEL.

M. Воско-медовая.

R. *Cerae albae*, vel
—— *flavae* partem,
*Mellis* partes quatuor.
Leni igne liquefacta commisceto.

U. Ut leniter excitans, ad tegenda et consolidanda ulcera, astheniae notas ferentia, aliis, tum *Emplastris*, quum *Unguentis*, substitui potest.

## CLYSTER ACETATUS.

Клистиръ уксусный.

R. *Clysteris communis* selibram,
*Acidi acetici diluti impuri* uncias duas — tres.
Misce.

U. Alvus adstricta, ileus rebellis, narcotismus (apoplexia a *venenis narcoticis*) phrenitis hydrocephalica, et vitia similia. Infesta auctiori irritabilitate recte minuitur quantitas *Aceti*.

## CLYSTER ADSTRINGENS OPIATUS.

K. Вяжущій съ опіемъ.

R. *Decocturae Gallarum quernarum*, vel
—————— *corticis Quercus Roboris* selibram,
*Tincturae Opii* guttas quinquaginta.
Misce, et si lubet, pro re nata, etiam *Supersulphatem Aluminae* et *Potassae* addito.

U. In alvifluxu rebelli, (in primis intestini recti,) hæmorrhoide mucosa, exania etc.

## CLYSTER ALLIATUS.

K. Чесночный.

R. *Succi radicis Allii sativi* unciam,
*Lactis recentis* uncias octo. Videsis: Clysterem Aloës.

## CLYSTER ALOËS.

### К. Сабурный.

R. *Gummiresinae Aloës perfoliatae*,
(in sufficienti quantitate *Vitelli ovi* solutæ) drachmam,
*Decocturae Hordei*, vel
——— *Avenae*, vel
*Lactis vaccini* libram.
Fiat clyster, omni, vel altera quaque nocte, injiciendus.
Interdum additur:
*Oxymuriatis Hydrargyri* sesquigranum, vel
*Succi Allii sativi* uncia.

U. Ascarides, intestinum rectum infestantes, subterdato hocce clystere enecantur. Eandem utilitatem promittit: Clyster alliatus; — Muriatis Sodae; — Pineo-balsameus; — Sabadillae.

## CLYSTER ALOËS COMPOSITUS.

### К. Сабурный сложный.

R. *Decocturae* saturatæ *radicis Aspidii Filicis maris* selibram,
*Gummiresinae Aloës perfoliatae*,
*Balsami pineo-laricini*, utriusque drachmam,
*Oxymuriatis Hydrargyri* sesquigranum,
*Olei olivi*, vel
—— *Lini usitatissimi* uncias duas. Videsis: Decocturam Aspidii compositam.

## CLYSTER AMYLI.

### К. Крахмальный.

R. *Amyli triticini* semunciam,
*Aquae ferventis* selibram,
*Olei Lini* usitatissimi, vel
—— *olivi*, vel
*Adipis suillae depuratae* semunciam.
Commisce. Interdum, pro re nata, additur:
*Tincturae Opii* drachma.

U. Tenesmus, enterodynia, diarrhœa, dysenteria, hæmorrhois, stranguria etc. sunt mala, in quibus hic *clyster* tentari meretur.

### CLYSTER ASSÆ FŒTIDÆ.

Клистиръ дурнопахучій.

R. *Gummiresinae Assae foetidae* drachmas duas,
*Decocturae Specierum resolventium* uncias tres,
*Olei olivi* unciam. Videsis: MISTURAM ASSÆ FŒTIDÆ.

### CLYSTER ASSÆ FŒTIDÆ OPIATUS.

К. Дурнопахучій съ опіемъ.

R. *Gummiresinae Assae foetidae,*
in *Vitello ovi* solutæ, drachmas duas,
*Aquae ferventis* uncias decem,
*Tincturae Opii* guttas quinquaginta.

U. Spasmi, hysteria, ataxia, convulsiones, singultus, enterodynia spasmodica, verminosa, flatulenta etc.

### CLYSTER CATHARTICUS.

К. Слабительный.

R. *Infusi foliorum Cassiae Sennae* uncias quatuor,
*Sulphatis Magnesiae* unciam,
*Aquae tepidae* uncias septem,
*Olei Lini usitatissimi,* vel
—— *olivi* unciam.
Misce.

### CLYSTER COMMUNIS.

К. Обыкновенный.

R. *Muriatis Sodae,* vel
*Sulphatis ejusdem* semunciam, vel
*Saponis sebacei* drachmas duas,

*Decocturae Hordei*, vel
——— *Avenae*, vel
——— *Althaeae*, vel
*Infusi Lini* sine *Glycyrrhiza*, vel
—— *Chamomillae*, vel
*Aquae tepidae* libram,
*Olei Lini* unciam.
Misce.

### CLYSTER MURIATIS SODÆ.

К. Солекислой соды, или соляной.

R. *Aquae* (vel *Vini rubri*) selibram,
*Muriatis Sodae*, quantum solvi potest. Videsis: CLYSTEREM ALOËS.

### CLYSTER NUTRIENS.

К. Питательный.

R. *Decocturae carnis bubulae* fortioris uncias octo,
*Amyli triticini* semunciam.
Misce.
Tertia vel quarta quaque hora injiciendus.
Huic, si citius rejiciatur, adde:
*Tincturae Opii* drachmam.

U. Dysphagia, omnibusque in casibus, ubi ex deglutitione suspensa, nutritio corporis requiritur.

### CLYSTER OPIATUS.

К. Опiатный, или болеутолительный.

R. *Clysteris Amyli*, vel
*Infusi seminum Lini* (sine *Glycyrrhiza*) uncias quatuor,
*Tincturae Opii* guttas quinquaginta.
Commisce.

U. Convulsio, trismus, cholera, diarrhœa, dysenteria, tenesmus, stranguria, enterodynia spasmodica.

CLYSTER PINEO-BALSAMEUS.

K. Терпентинный.

R. *Balsami pineo-laricini, Vitello ovi* rite subacti, semunciam,
*Decocturae Hordei*, vel
*Infusi Lini*, vel
——— *Chamomillae* uncias decem,
*Olei Lini* unciam.
Interdum *Tincturae Opii* guttæ quinquaginta adduntur.

U. Ischuria, dysuria, cystirrhœa, urolithiasis, ascarides.

CLYSTER SABADILLÆ.

K. Сабадильный, или противуглистный.

R. *Seminum V. Sabadillae* pulveratorum semidrachmam,
*Aquae communis* uncias decem,
Coque ad colaturam selibræ.
Adde:
*Lactis* recentis tantumdem. Videsis: Clysterem Aloës.

CLYSTER TABACINUS.

K. Табачный.

R. *Foliorum Nicotianae Tabaci* sesquidrachmam,
Infunde:
*Aquae ferventis* uncias decem,
Per quadrantem horæ colatura injiciatur.

U. Ileus, alvus pertinaciter compressa, hernia incarcerata, ascarides. *Clyster* hic vomitionibus quoque provocandis, urgente in primis dysphagia, aptus; attamen vi narcotica systemati nervoso insidias struit, cordis vero actionem retardat: hinc minime mirum ejusdem usum in asphyxia repudiari a quibusdam.

## COLLYRIUM ACETATIS AMMONIÆ.

### Примочка уксусо-кислая аммiаковая.

R. *Acetatis Ammoniae liquidi,*
*Aquae Rosae centifoliae,* vel
—— *communis,* utriusque selibram.
Misce.
Interdum additur:
*Tincturae Opii* drachma, vel
—— *Humuli Lupuli,* vel
—— *Hyoscyami nigri* sesquidrachma.

U. Ophthalmitis obnormi irritabilitate stipata, guttatim instillando, vel per modum *balnei* ocularis.

## COLLYRIUM ALUMINATUM.

### П. Квасцовая.

R. *Supersulphatis Aluminae et Potassae* scrupulum,
*Aquae depuratae* selibram.
Solve, vel *Cataplasmati aluminato* adde:
*Aquae destillatae* libram.

U. Ophthalmitis, nyctalopia, internis roborantibus antiscorbuticis, eodem tempore propinatis, guttatim instillando.

## COLLYRIUM CUPRI COMPOSITUM.

### П. Уксусо-кислой мѣди сложная.

R. *Massae Acetatis Cupri compositae* grana decem ad duodecim,
*Aquae purae* selibram.
Solve, et adde:
*Superacetatis Plumbi liquidi* guttas duodecim ad viginti,
*Tincturae Opii crocatae* guttas viginti ad drachmam, ut fiat Collyrium.
Videsis: Collyrium Hydrargyri opiatum.

## COLLYRIUM CUPRI OPIATUM.

П. Уксусо-кислой мѣди съ опіемъ.

R. *Massae Acetatis Cupri compositae* grana octo ad duodecim,
*Aquae destillatae* uncias quatuor,
solve et addito:
*Tincturae Opii crocatae* guttas viginti ad triginta,
ut fiat Collyrium.
Videsis: Collyrium Hydrargyri opiatum.

## COLLYRIUM HYDRARGYRI OPIATUM.

П. Солекислой ртути съ опіемъ.

R. *Oxymuriatis Hydrargyri* semigranum ad granum,
*Aquae destillatae*, vel
——— *Rosae c.* uncias quatuor ad selibram.
Solve et adde:
*Mucilaginis Lini usitatissimi* sesquidrachmam ad duas drachmas,
*Tincturae Opii crocatae* semidrachmam ad drachmam,
ut fiat Collyrium.

U. *Collyrium* hoc, oculis bis terve guttatim instillatum, adversus varia eorum vitia asthenica, præsertim, si ex malo corporis habitu proveniunt, prodest, idque plus vel minus acre esse debet in ratione astheniæ oculorum ipsorum et membranarum insensibilitatis. Id subintellectum velim etiam de Collyrio Cupri composito, — — opiato.

## COLLYRIUM HYOSCYAMI OPIATUM.

П. Белено-опіятная.

R. *Tincturae Opii crocatae* guttas viginti ad drachmam,
*Succi Hyoscyami spissati* scrupulum,
*Aquae purae*, vel
——— *Rosae c.* uncias tres. Misce.
Videsis: Collyrium Plumbi opiatum.

## COLLYRIUM LINI OPIATUM.

### П. Льняно-опiатная.

R. *Tincturae Opii crocatae* guttas viginti,
*Mucilaginis Lini usitatissimi* sesquidrachmam,
*Aquae destillatae*, vel
—— *Rosae c.* uncias tres.
Fiat Collyrium.

U. Ophthalmitidi, sublato per congrua remedia hypersthenico statu, adcommodatissimum, ita etiam incipienti staphilomati obviam it.

## COLLYRIUM PLUMBI OPIATUM.

### П. Свинцовая опiатная.

R. *Superacetatis Plumbi crystallisati,*
*Opii depurati,*
*Succi Hyoscyami spissati,* singulorum grana decem,
*Aquae communis*, vel
—— *Rosae c.* uncias novem.
Cola per chartam, et admisce:
*Mucilaginis Lini usitatissimi* unciam.

U. Prævalente nimia oculorum sensibilitate adhibendum est; cavendum tamen, ne protractiori ejus admotu iris paralytice, adficiatur. Id etiam dictum velim de Collyrio Hyoscyami opiato. Instillatur autem guttatim oculis.

## DECOCTURA ALTHÆÆ.

### Отваръ просвирняка.

R. *Radicum Althaeae off. concisarum* semunciam,
*Aquae communis* libram,
coque ad remanentiam unciarum novem.
Cola.

## DECOCTURA ALTHÆÆ COMPOSITA.

### O. Просвирняка сложный.

R. *Radicis Althaeae* siccatæ et incisæ uncias quatuor,
*Baccarum Vitis viniferae* siccatarum, vel
*Fructuum Ficus Caricae* siccatorum (demtis *acinis*) uncias duas, vel
*Radicis Glycyrrhizae glabrae* unciam,
*Aquae* libras octo.

Decoque *aquam* cum *Althaea* leni igne ad libras quinque; ubi vero *Glycyrrhiza* substituitur, sub fine coctionis addenda est, liquorem colatum sepone, donec fæces subsederint, et effunde.

D. Bilibra in dies partitis vicibus, et portionibus.

V. *Gargarisma commune.*

## DECOCTURA ANTISCORBUTICA.

### O. Противуцынготный.

R. *Specierum Pini compositarum* sescunciam,
*Aquae purae* sesquilibram,
decoque ad colaturam libræ,
cui, si opus est, addito:
*Acidi tartarici* semidrachmam, vel
—— *sulphurici diluti* drachmam, vel
*Roob Oxycocci*, vel
*Syrupi Molasses*, vel
*Oxymellis simplicis*, vel
*Succi Citri medicae* unciam.

D. Libra (et amplius) quotidie exhibetur.

## DECOCTURA ASPIDII COMPOSITA.

### O. Папоротника сложный.

R. *Radicis Aspidii Filicis maris*,
—— *Valerianae officinalis concisae*, utriusque semunciam,

*Herbae Gratiolae officinalis,*
——— *Centaureae benedictae concisae,* utriusque drachmas duas,
coque ex *Aquae* sesquilibra ad libram.
Colaturæ expressæ et frigefactæ addito:
*Syrupi Scillae,* vel, si præsto est,
——— *florum Amygdali persicae* unciam,
*Aetheris sulphurici* drachmas duas.

V. Incidens pituitam alimentarii tubi, et nidum mucosum faventem vermibus destruens, anthelminthica.

U. In helminthiasi eximius. Hoc, (ferentibus aliis subsidiariam opem,) remedio, D. KASCHINSKY aulicus Medicus, optatissimo cum successu tænias latas e penetralibus corporis exterminat.

D. Usus decocturæ sub decrementum lunæ incipiendus a 25 videlicet ad 30 diem. Omni mane et vespere vasculum quatuor unciarum quotidie sumendum est, tum postridie mane *Aspidii Filicis maris pulvere* (drachmis duabus vel tribus), vel *eodem composito* cum *aqua frigida* commisto ac deglutito, dein præterlapso bihorio EMULSIO RESINOSA COMPOSITA porrigitur. (Videsis: EMULSIONEM.) Si provocatus vermis tarde exit, vires infirmi restaurare oportet haustu generosi *Vini* et *jusculo* meraco *carnium* cum frustulo *panis albi*, et ad noctem CLYSTER ALOËS COMPOSITUS subterdandus. (Videsis: CLYSTEREM.) Interdum sub usu horum remediorum nausea movetur, imo et vomitiones provocantur, quod tantum abest, ut noceat, ut potius haud raro contribuat ad scopum consequendum; ast prima dosis et secunda *Emulsionis resinosae*, vomitu rejecta, tæniam non pellit.

## DECOCTURA AVENÆ.

### О. Овсяныхъ крупъ.

R. *Seminum Avenae sativae* decorticatorum unciam,
*Aquae* sesquilibram.
Coque ad colaturæ libram.

## DECOCTURA CETRARIÆ.

### О. Исландскаго мха.

R. *Cetrariae Islandicae* semunciam,
*Aquae communis* sesquilibram,
coque ad libram, et sub finem coctionis addito:
*Radicis Glycyrrhizae rasae* drachmam, vel
*Mellis puri* semunciam.
Cola.

U. Cum (vel sine) lacte: morbi pulmonum asthenici; pertussis; phthisis pituitosa; tabes; leucorrhœa etc.

D. Unciæ quatuor, ter quaterve, in diem.

## DECOCTURA CINCHONÆ.

### О. Хины.

R. *Corticis Cinchonae contusi*, (vel in *pulverem triti*,) unciam,
*Aquae ferventis* bilibram.

Decoque in vase leniter clauso ad remanentem libram et, *liquorem* adhuc calentem per vetustum linteum et rarum exprimendo, cola.

D. Unciæ binæ, bis, ter, quater, vel sæpius de die.
Interdum sub finem coctionis adduntur:
*Corticis Lauri Cassiae* drachmæ duæ, vel
*Extracti Glycyrrhizae glabrae* semuncia, vel
*Radicis Angelicae Arhangelicae* drachmæ duæ, vel
——— *Aristolochiae Serpentariae* tantumdem,
——— *Valerianae officinalis* tantumdem.

Pro ratione scopi, qui intenditur, id est, si actio in nerveum, musculare, seu vasorum systema dirigenda est, aut ratio stomachi, aut alvi citæ, vel coactæ, habenda, aut exhalationis cutaneæ, singulis aut nonnullis decocturæ dosibus, vel ante vel post ejusdem exhibitionem statim in vehiculo idoneo propinari licet:

*Aetheris sulphurici alcoholisati* guttas viginti, vel
——— ——— *camphorati* guttas decem, vel

*Alcoholis diluti* drachmam ad duas, vel
——— —— *camphorati* guttas decem, vel
*Tincturae Opii* guttas quinque, vel
——— *aromaticae acidulatae* guttas quindecim ad triginta, vel
——— *Valerianae aethereae* semidrachmam, vel
*Subcarbonatis Ammoniae liquidi*, vel
*Tincturae Serpentariae* drachmas duas, vel
*Pulveris radicis Valerianae officinalis* scrupulum, vel
——— ——— *Serpentariae V.* grana decem, vel
——— ——— *Rhei p.* grana quatuor, vel
*Sulphatis Potassae* scrupulum, vel
*Pulveris aromatici* tantumdem, vel
——— *radicis Colombae* grana decem, vel
*Tincturae Guajaci* guttas quadraginta, vel
——— *Cinchonae* drachmas duas ad semunciam, vel
*Acetatis Ammoniae liquidi* semunciam.

## DECOCTURA CINCHONÆ
## (*per praecipitationem*) CLARIFICATA.
## О. Хины очищенный.

R. *Corticis Cinchonae officinalis optimi*, in pulverem triti, uncias tres,
*Aquae fontanae* bilibram,

decoque ad remanentem libram, et liquorem vel calentem, vel refrigeratum per linteum exprimendo cola. Tunc adde *Calcariae* semunciam, ut *rubrum Cinchoninum* omne e *liquore* secernatur. Cola trans chartam, et in *liquorem* limpidum *aëreum acidum carbonicum*, tam diu immitte, donec *Calcaria* omnis e *decoctura* fuerit præcipitata. Iterum trans chartam cola et propter saporis gratiam admisce:

*Tincturae aromaticae*,
*Syrupi simplicis*, utriusque sescunciam.

V. *Corticis Cinchonae* roborans; lexipyreta citra ventriculi molestias. Eximie conducit his, qui reliqua *Cinchonae praepa-*

*rata* respuunt, vel propter fabricam digestionis labefactam, vel propter idiosyncrasiam, vel propter fastidium e longiori *Cinchonae* usu exortum. *Color* clarus *Vini* vetusti et *sapor* grasus delicatulis placet.

D. Unciæ duæ, tres, et ultra, bis, ter vel sæpius de die. Hæc *decoctura*, (quum sit carioris pretii,) tantum militaribus præfectis præscribenda.

## DECOCTURA CINCHONÆ SUCCEDANEA.

### O. Хину замѣняющій.

R. *Pulveris grossi corticis Salicis albae*, vel
—— —— —— —— *amygdalinae*, vel
—— —— —— —— *pentandrae*,
—— —— —— *Aesculi Hippocastani*, utriusque unciam,
—— ——*radicis Acori Calami*,
—— —— —— *Gei urbani*, utriusque semunciam.

Coque ex *aquae fontis* unciis triginta duabus ad dimidias; colatura libræ exhibeatur.

## DECOCTURA COLOCYNTHIDIS.

### O. Колоцинтовый, или горькой тыквы.

R. *Pomorum Cucumeris Colocynthidis* exemtis seminibus incisorum drachmam,
ebulliat cum *aquae fontis* sufficienti quantitate per sex minuta, dein colaturæ selibræ admisceto:
*Aetheris sulphurici alcoholisati* drachmam,
*Syrupi corticis fructus Citri Aurantii* unciam.

U. In hydrothorace (Buchhave) exhibito ter de die cochleari.

## DECOCTURA FURFURIS.

O. Отрубей пшеничныхъ.

R. *Furfuris triticei* uncias quatuor.
*Aquae communis* libras duodecim,
coque ad libras novem.
Cum subsederit *furfur*, elutriandus est.
Interdum singulis ejusdem libris additur:
*Mellis*, vel
*Syrupi simplicis* uncia,
*Succi Vaccinii Oxycocci*, quantum satis ad gratiam.

U. Vices *Decocturae Hordei* supplet.

V. *Potus acidus mineralis*; — — *vegetabilis*.

## DECOCTURA GALLARUM QUERNARUM.

O. Орѣховъ чернильныхъ.

R. *Gallarum Quercus Cerris contusarum*, vel
——— ——— *infectoriae* ——— unciam,
*Aquae purae* sesquilibram,
coque ad colaturæ libram.
Sic etiam paratur: Decoctura Quercus Roboris.

## DECOCTURA GUAJACI.

Decoctum specierum pro decocto cum ligno Guajaci. *Ph. Ross.*

O. Бакаутовый сложный.

R. *Specierum Guajaci compositarum* uncias tres,
*Aquae ferventis* libras tres,
decoque ad remanentem bilibram;
sub finem coctionis adde:
*Radicis Glycyrrhizae* drachmas duas. Cola.
Subinde loco *Glycyrrhizae* liquori colato additur:
*Mellis despumati* semuncia.

U. Myodyniæ rheumaticæ; morbis cutaneis, symptomatibus
yphilidis ægre cedentibus, apta.

V. *Decoctura Guajaci cum Mezereo.*

## DECOCTURA GUAJACI cum MEZEREO.

О. Бакаут. съ Волчникомъ.

Fit eodem modo, ut DECOCTURA GUAJACI, addita singulis *ecocturae* libris *corticis radicis Daphnes Mezerei* drachma, vel

R. *Decocturae Guajaci,*

——— *Mezerei,* utriusque pares portiones.

Misce.

U. In iisdem, ut præcedens, morbis valet; sed efficacior n ligamentorum duritie, ossium et periostei adfectionibus, tque in ulceribus inveteratis.

D. Libra, vel sesquilibra de die datur.

## DECOCTURA HÆMATOXYLI.

О. Кампешевой.

R. *Ligni Haematoxyli Campechiani rasi* sescunciam,
*Corticis Lauri Cassiae* drachmam,
*Aquae communis* bilibram.
*Lignum* ex aqua decoque ad libram, sub finem coctionis addens *corticem* et cola.

U. Alvus cita protractior.

D. Uncia (ad duas) ter vel sæpius de die datur.

## DECOCTURA HORDEI.

О. Ячной крупы.

R. *Seminum decorticatorum Hordei* uncias duas,
*Aquae communis* libras quinque.
Decoque ad dimidium et colaturæ, si lubet, adde:
*Mellis despumati,* vel
*Oxymellis simplicis* uncias duas.

U. Pro potu ordinario. Si vero huic addas *Nitratis Potassae depurati* drachmas duas, habebis: DECOCTURAM HORDEI NITRATAM, cujus dosis erit unciæ tres, quatuor, sæpius de die.

V. *Gargarisma commune.*

## DECOCTURA JUGLANDIS.

О. Волоско-орѣховой шелухи.

R. *Corticis viridis Juglandis regiae* unciam,
adfundito:
*Aquae ferventis* libram.
Per sex horas stet in digestione, dein coquito per quadrantem horæ et cola.

D. Sumatur partitim per diem.

U. In syphilide, nimia corporis sensibilitate continuata, usui *Hydrargyri* immorigera.

## DECOCTURA LAPPÆ.

О. Лапушниковой.

R. *Radicis Arctii Lappae concisae* uncias duas,
*Aquae communis* libras tres,
coque ad colaturæ bilibram.
In colata *decoctura* interdum solvitur *Sulphatis Potassae* drachma, quo cuticularibus vitiis aptior fit.

U. Cutis fœditatibus obponitur.

D. Bilibra partitis vicibus in dies exhibetur.

## DECOCTURA MALTI.

О. Солодовой.

R. *Malti* selibram,
*Aquae communis* libras sex,
decoque ad colaturam librarum quatuor et,

si opus, pro re nata, adde:
*Acidi sulphurici diluti* semunciam, vel
—— *tartarici* drachmas duas, vel
*Roob baccarum Vaccinii Oxycocci*, vel
*Syrupi Molassis*, vel
*Oxymellis simplicis*, vel
*Succi Citri medicae* uncias tres.

U. Hoc *Apozema Malti* in scorbuto, ad libitum, pro potu rdinario, propinatur; in connubio autem aliorum libra ad ilibram, partitis vicibus, quotidie in eundem finem exhibetur, ideque *antiscorbutica* paratur *Cerevisia*. Persæpe loco *decoctuae infusum* ejusdem propinatur.

V. *Cerevisia antiscorbutica*.

## DECOCTURA MALTI COMPOSITA I.

### О. Солодовый сложный 1.

R. *Malti* uncias quatuor,
*Specierum Pini compositarum* uncias duas,
decoque ex
*Aquae communis* libris quatuor ad tres colaturæ.

## DECOCTURA MALTI COMPOSITA II.

### О. Солодовый сложный 2.

R. *Decocturae Malti*,
—— *antiscorbuticae* (*acidulae*) pares portiones.

D. Unciæ quatuor ter quaterve de die.

## DECOCTURA MEZEREI.

### О. Волчниковой.

R. *Corticis radicis Daphnes Mezerei concisi* drachmas duas,
*Radicis Glycyrrhizae glabrae contusae* semunciam,
*Aquae communis* libras tres.
Decoque leni igne (sub finem addendo *radicem Glycyrrhizae*) ad bilibram et cola.

U. In fœditatibus cutis, scrofula; minime tamen syphiliticæ indolis.

D. Libra in dies, partitis vicibus, exhibetur.

## DECOCTURA MUCILAGINEA I.

### O. Слизистой 1.

R. *Gummi Acaciae verae* unciam,
*Decocturae Hordei* libram,
solve et adde:
*Oxymellis simplicis* semunciam.

## DECOCTURA MUCILAGINEA II.

### O. Слизистой 2.

R. *Aquae purae* libram,
*Cornu Cervi rasi,*
*Gummi Acaciae verae,* utriusque unciam,
coque, ut solvantur et colaturæ, si lubet, adde:
*Sacchari puri* semunciam.

U. Diarrhœa, dysenteria, cystitis, nephritis, dysuria.

## DECOCTURA ORCHIDIS.

### O. Ятрышниковой.

R. *Pulveris radicis Orchidis Morionis* drachmam,
*Aquae communis* sesquilibram,
decoque ad libram, addens, si lubet, sub finem coctionis:
*Corticis Lauri Cassiae* contusi drachmam, vel
liquori colato, si lubet, admisce:
*Tincturae aromaticae* semunciam,
*Sacchari albi* tantumdem,
ut fiat DECOCTURA ORCHIDIS AROMATICA.

U. Diarrhœa, dysenteria etc.

## DECOCTURA POLYGALÆ AMARÆ.

O. Истодовой.

R. *Radicis Polygalae amarae* semunciam,
*Aquae purae* sesquilibram,
coque ad libram et colaturæ interdum, si placet, adde:
*Radicis Scillae siccatae* et *pulveratae* scrupulum,
*Mellis despumati* semunciam.

D. Unciæ binæ, ter quaterve de die, offeruntur.

## DECOCTURA QUASSIÆ.

O. Квассiи.

R. *Ligni Quassiae excelsae rasi* drachmas duas,
*Aquae fontanae bullientis* libram,
coque ad colaturam unciarum octo.

D. Uncia, (duæ,) vacuo stomacho, exhibetur.

## DECOCTURA QUERCUS ALUMINATA.

O. Дубовой корки квасцовой.

R. *Corticum Quercus Roboris contusorum* semunciam,
*Aquae communis* libram,
coque ad uncias octo et adde:
*Supersulphatis Aluminae* et *Potassae* drachmam,
*Syrupi simplicis* semunciam.

U. In sanguinis profluviis et symptomatibus colliquativis morborum asthenicorum, præsertim typhi.

D. Uncia, ter quaterve de die, plus vel minus, rarius vel sæpius, ne alvus plus æquo comprimatur. Omisso *syrupo*, persæpe extrinsecus pro *lotione fomentoque* adhibetur et GARGARISMA ANTISEPTICUM ingreditur.

## DECOCTURA SALICIS COMPOSITA.

O. Вербной корки сложный.

R. *Corticis Salicis concisi* drachmas novem,
*Radicis Gentianae luteae contusae* drachmam,

*Aquae* sesquilibram,
decoque ad libram.
Interdum *corticis Quercus Roboris* drachmæ duæ addi possunt.
Succedanea DECOCTURÆ CINCHONÆ.

Eadem citra additamentum *Quercus* facta, cum aliis, quorum penes DECOCTURAM CINCHONÆ mentio injecta est, adposite consociari potest.

## DECOCTURA ULMI.

### О. Илимовой корки.

R. *Corticis interioris Ulmi campestris incisi* unciam,
decoque ex
*Aquae fontis* libra ad selibram.

D. Selibra bis terve per diem in fœditatibus cutis.

## ELÆOSACCHARUM CARVI.

### Элеесахаръ тминной.

R. *Sacchari puri pulverati* semunciam,
*Olei Cari Carvi* guttas duodecim,
misce.
Eodem modo parantur:
*Elaeosaccharum Pimpinellae Anisi*, Эл. анисовой,
——— *Anethi Foeniculi*, — Волоскоукропной,
——— *Menthae crispae*, — Кудрявомятной,
——— *Menthae piper.* etc. — Перечномятной.

U. Pulveribus variis junguntur *Elaeosacchara* in genere ad parandas ejusdem nominis *aquas extemporales. Quantitas Elaeosacchari* cujuslibet, supra posita, sufficit ad parandam *aquae* ejusdem qualitatis libram, cui semuncia *Alcoholis diluti* (conser-

vationis causa,) additur. Videsis: AQUAM CARVI, ex tempore parabilem.

## ELÆOSACCHARUM CHAMOMILLÆ.

### Элеесахаръ ромашковой.

R. *Sacchari albi* unciam,
*Olei M. Chamomillae* guttas viginti.
Misce, fiat pulvis.

D. Drachma vel sicilicus (drachmæ duæ) pro dosi.

U. In enterodynia spasmodica, flatulenta.

## ELECTUARIUM SENNÆ.

### Кашка Сенны слабительная.

R. *Pulpae fructus Pruni domesticae* sescunciam,
*Pulveris foliorum Cassiae Sennae* sesquidrachmam,
*Supertartratis Potassae pulverati* semidrachmam,
*Mellis despumati* drachmas sex.
Misce fiat electuarium.

## EMPLASTRUM AD STRUMAM.

### Пластырь отъ зоба, или скульный.

R. *Emplastri Oxydi Plumbi saponati* semunciam,
*Submuriatis Hydrargyri* subtilissime pulverati drachmam,
*Tartratis Stibii et Potassae* pulverati grana decem.
Malaxetur exacte.

U. Super alutam extensum strumæ admovetur, haud secus ac cynanche parotideæ, *Mumps* a Caledoniis dictæ. Videsis: PULVEREM SPONGIÆ COMPOSITUM, TROCHISCOS EJUSDEM COMPOSITOS et LINIMENTUM BILIS SALINUM, subsidiariam in curatione strumaticorum opem latura.

## EMPLASTRUM CONII.

### П. Омеговый.

R. *Cerae flavae* libram,
*Olei olivi* selibram,
*Balsami pineo-laricini* uncias quatuor,
leni igne colliquefactis, colatis ac paulo refrigeratis, adde:
*Succi Conii spissati* uncias tres,
*Herbae ejusdem pulveratae* uncias quatuor.
Malaxentur et fiat emplastrum.

V. *Emplastrum Conii compositum.*

## EMPLASTRUM CONII COMPOSITUM.

### П. Омеговый сложный.

R. *Emplastri Conii,*
——— *gummiresinosi,*
——— *Suboxydi Hydrargyri nigri*, singulorum semunciam,
*Camphorae* drachmam,
*Tartratis Stibii et Potassae pulverati* semidrachmam.
Malaxentur, fiat emplastrum.

U. In arthrodynia, arthritide, in primis podagra, in myodynia rheumatica, parti adfectæ admovetur; in pertussi inter scapulas, in agalactia mammis, dein etiam ad provocanda retrograda exanthemata valet, multiplici experientia probatum. Sine *Camphora* et *Tartrate Stibii* et *Potassae* fiet quidem simplicius *emplastrum,* sed tumoribus asthenicis et induratis adcommodatius.

## EMPLASTRUM GALBANI STIBIATUM.

### П. Галбано-сурьмяный.

R. *Gummiresinae Bubonis Galbani,*
——— *Heraclei gummiferi,*

*Balsami pineo-sylvestris,*
*Cerae flavae*, singulorum unciam,
*Tartratis Stibii et Potassae pulverati* semidrachmam,
commisce, ut fiat emplastrum.
Huic, pro re nata, *Camphora, succus Hyoscyami spissatus, pulvis Lyttae* etc. addi possunt.

U. In myodynia rheumatica, paralysin minante, arthrodynia variisque frigidis, vulgo dictis tumoribus, etc. *Emplatrum* hoc, super alutam extendendum, parti corporis dolenti admovetur et, dum, vel prolicito sudore, vel ob aliam causam, decidit, renovandum est.

## EMPLASTRUM GUMMIRESINOSUM.

### Emplastrum gummosum. *Ph. Ross.*

### П. Камедо-смолистой.

R. *Emplastri Oxydi Plumbi* partes duodecim,
*Gummiresinae Heraclei gummiferi,*
——————— *Bubonis Galbani*,
*Balsami pineo-laricini*, vel
———— *pineo-sylvestris*, singulorum partem.
Prius *gummiresinas* in *balsamo pineo-laricino* liquefactas, per linteum cola, dein in *emplastrum*, probe movendo, commisce.

U. Tumores glandularum atonicos (ægre abscedentes,) furunculos, abscessulos, abscessus, verrucas, clavos et similia potenter resolvit aut maturat.

## EMPLASTRUM LYTTÆ.

### П. Шпанскихъ мухъ.

R. *Emplastri simplicis* partes quatuor,
fuso sub jugi motu inspergito:
*Lyttae vesicatoriae* pulveratæ partem.
Refrigera.

Hujus *emplastri* vices supplet *emplastrum T. Meliloti* super alutam, vel *pulmentum panis secalini* super linteum extensum *pulvereque Lyttae vesicatoriae* respersum, et haud raro citius eundem exserit effectum. Pars tamen, cui admovendum est *emplastrum*, *pulvere Lyttae* respergendum, primo *Aceto* perfricetur, quo facilius actionem suam producat, dein per decem circiter horas admotum relinquatur.

## EMPLASTRUM MELILOTI.

П. Донниковой.

R. *Resinae balsami pineo-sylvestris* bilibram,
*Adipis suillae depuratae,*
*Cerae flavae,*
*Pulveris herbae cum floribus T. Meliloti*, singulorum libram.

Colliquescentibus cæteris in finem pulvis addatur.

U. Remoto *Lyttae emplastro* hoc imponitur.

## EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI.

EMPLASTRUM LYTHARGYRII *Ph. Ross.*

П. Глетный.

R. *Oxydi Plumbi semivitrei pulverati* partem,
*Olei olivi*, vel
*Adipis suillae*, vel
*Alterius congrui* partes duas.

Coque leni igne, addens sub initium et identidem *aquae tepidae* pauxillum (præcavendæ combustionis ergo,) et assidue agita, donec *oleum oxydumque* in emplastrum coiverint. Dum liquescunt, enitendum est, ne mistura, plus æquo, calefiat. Si ad quinque partes *emplastri* hujus, *Resinae balsami pineo-sylvestris* additur pars, EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI RESINOSUM (*Emplastrum adhaesivum*) habebis.

U. Ad cavendas partes vulneratas, ulceratas et excoriatas ab aëris noxio contactu, ad siccanda ulcera saniosa et flaccida, ad

æstum nimium et inflammationem in ambustis et erisypelate mitigandum, maxime idoneum est.

V. *Emplastrum gummiresinosum*, et sequens.

## EMPLASTRUM OXYDI PLUMBI SAPONATUM.

### П. Глетно-мыльной.

R. *Emplastri Oxydi Plumbi* partes quatuor,
*Saponis sebacei* partes duas,
*Muriatis Ammoniae pulverati* partem.
*Sapone* et *emplastro* simul liquefactis et semirefrigeratis *Murias Ammoniae* subtilissime tritus addatur. Hoc emplastrum illico, simulac factum est, parti adfectæ superdetur.

U. Fungus articulorum aliive tumores asthenici, vulgo frigidi sic dicti, ejus admotu curationem recipiunt.

V. *Emplastrum ad strumam.*

## EMPLASTRUM SIMPLEX.

### П. простой.

R. *Cerae flavae* partes tres,
*Adipis suillae depuratae* partes duas,
*Resinae balsami pineo-sylvestris* partem,
colliquefacta misce.

V. *Emplastrum Lyttae.*

## EMPLASTRUM SUBOXYDI HYDRARGYRI.

### Emplastrum mercuriale *Ph. Ross.*

### П. Ртутный.

R. *Hydrargyri depurati* libram,
*Balsami pineo-laricini*, vel
——— *pineo-sylvestris* uncias duas,
tere simul, donec globuli *Hydrargyri* prorsus disparuerint, deinde addito:

*Emplastri Oxydi Plumbi*, lento igne liquati, libras duodecim,

Misce.

V. Lymphatica vasa stimulans, actionem eorum promovens, cum *Tartrate Stibii* et *Potassae* est irritans, calefaciens, solvens, plerumque pustulas movens, derivans.

U. Variis indurationibus asthenicis idoneum, ita etiam myodyniæ rheumaticæ, strumæ, hydrarthro et similibus Si singulis hujusce *emplastri* unciis semidrachma *Tartratis Stibii* et *Potassae* additur, vis ejusdem intenditur, fitque quibusdam morbis aptius et tunc habebis: EMPLASTRUM SUBOXYDI HYDRARGYRI STIBIATUM.

## EMULSIO PHOSPHORATA.

### Эмульсія фосфорная.

R. *Phosphori* sesquigranum,
*Olei amygdalini*, vel
—— *olivi* semunciam.

Commista in aqua fervida sæpius agitando, donec omnes *Phosphori* globuli disparuerint, digere et solutioni adde, sensim terendo:

*Mucilaginis gummi Acaciae verae* sescunciam,
*Aquae aromaticae* cujuslibet uncias duas,
ut fiat lege artis, emulsio, cum *Syrupi simplicis* semuncia, rite edulcoranda.

D. Omni quadrante horæ, vel semihora exhibeatur semuncia ad unciam; caute tamen. (Semuncia sextam grani partem *Phosphori* continet.)

## EMULSIO RESINOSA COMPOSITA.

### Э. Смолистая сложная.

R. *Resinae Convolvuli Jalappae*,
*Gummiresinae Stalagmitidis Cambogioidis*,
*Submuriatis Hydrargyri*, singulorum grana decem.

Contritis exactissime cum *Sacchari* drachmis duabus et cum *Vitello recentis ovi* subactis, addito successive:
*Olei pineo-laricini* semunciam,
*Aquae Menthae piperitae* unciam.

Sumto PULVERE ASPIDII COMPOSITO, et præterlapsis horis duabus, dosis hujus *emulsionis* bipartita secunda quaque hora exhibeatur, ac post singulas alvi ductiones sorbeatur vasculis *infusum florum Tiliae europaeae*, vel *foliorum viridium Theae Boheae.* Armigeris, haustus *aquae frigidae* magis adhuc expedit, quum citius tæniam pellat, et obortam nauseam compescat. Videsis: DECOCTURAM ASPIDII COMPOSITAM.

## EXTRACTA PLANTARUM.

### Экстракты произрастѣній.

Partes plantarum, ut: *Cortices*, *flores*, *folia*, *herbae*, *ligna*, *radices*, *stipites*, aut *decoctione*, aut *infusione* prægressa, evaporationi exponuntur, atque in massam debitæ crassitudinis densantur.

Q. Præparatio *extractorum*, pro natura, et *Vegetabilis* diversitate, variat. *Mucilago*, principium *scytodepsicum*, *saccharinum*, *extractivum*, et partes *salinae*, adhibita per se *aqua* extrahuntur, avolante *volatili;* resina vero *Alcohole.*

V. Eadem ac simplicium, unde sumuntur; vix tamen omnibus *Vegetabilis* qualitatibus et virtutibus, gaudent; fit enim elementorum, sub præparatione reactio, cui auctior temperatura, humiditas, aër athmosphæricus, ejus oxygenii absorptio, (aut alienigeni cujuslibet,) succurunt.

## I. EXTRACTA DECOCTIONE SPISSATA.

### I. ЭКСТРАКТЫ ВАРЕНІЕМЪ СГУЩАЕМЫЕ.

Plantarum, fixo *amaro*, vel *adstringente principio* præditarum partes, contunduntur, aut inciduntur, et ex octuplo *aquae*

per semihoram, et ultra, coquuntur leni igne; *aquam* nova quantitate, repetitis vicibus addendo, et coquendo, donec inodora, et insipida fuerit. Liquor tandem per laneum pannum filtratus, in adparatu idoneo (Cacabo stanneo capaciori minime profundo, in balneo *aquae*,) evaporationi ad lenem ignem exponitur, in debitam, sub continuo motu, crassitudinem, mellis densandus. — Ita parantur sequentia:

## EXTRACTUM CORTICIS CINCHONÆ OFFICINALIS.

(*Calide paratum.*)

Э. Хины.

U. Quoniam *aromaticae* partes, in extracto inspissando, avolant, hinc adcommodum est hoc *extractum*, et haud raro acceptum, repugnanter *corticem* in alia forma sumentibus, vel ubi leniter tantum roborare expedit, ut, e. g. in diarrhœis, ventriculi infirmitate sub usu *soteriarum aquarum*. Datur etiam in aliis morbis, infantibus, raro aliam admittentibus formam. Magna illud pollet efficacia, quod methodo Garayana per triturationem cum *aqua* elicitur, hujus drachmam esse efficaciorem, quam consueti, binas tresve, Quarinus adfirmat.

D. Nostrum extractum a semiscrupulo usque ad semidrachmam porrigitur, solviturque, vel *liquore* quodam *salino*, vel *aqua destillata*, vel *Vino*, vel in forma *pilularum* porrigitur.

## EXTRACTUM CORTICIS CLUTIÆ ELUTHERIÆ.

Э. Клуціи; — Каскарильный.

U. Extractum hoc, in Norico tractu, encomio Apini Altorfini, celebritatem consecutum, diarrhœæ, lienteriæ, leucorhœæ, blennorrhœæ etc., in primis obponitur. Est cari pretii, ac proinde in praxi militari rarius adhibendum.

D. Porrigitur a scrupulo usque ad semidrachmam, vel in *aqua* solutum, vel *pilularum* forma.

## EXTRACTUM CORTICIS SALICIS ALBÆ.

### Э. Ветловой корки.

U. In praxi militari pro succedaneo haberi potest *extracti inchonae officinalis*, atque in variis morbis, ubi adstringere, et oborare opus est, adhiberi, præterea pro ulceribus pulmoum (WELSCH) laudatum.

D. Grana decem (ad quadraginta) exhiberi possunt.

## EXTRACTUM FOLIORUM JUGLANDIS REGIÆ.

### Э. Волоско-орѣховыхъ листовъ.

U. Extractum hoc, præter roborantem, vim anthelminthicam xserit. Drachmæ ejusdem duæ, in uncia *aquae Cinnamomi* olvuntur, atque ab initio biennibus, vel triennibus puellis ochlear parvum; senioribus vero, a dimidio usque ad inegrum cochlear majus porrigitur, et si, post triduum nulli proeunt lumbrici, *catharticon* congruum, subjungitur. Consulte tiam additur *gargarismatibus* ad roborandas palati debilitatas artes, imo etiam *eodem diluto* non male deligantur phageænica ulcera.

V. *Mistura Juglandis.*

## XTRACTUM FOLIORUM MENYANTHIDIS TRIFOLIATÆ.

### Э. Вахты трилистной.

U. Eandem, quam ipsa *herba*, in forma pressiori, habet efcaciam, ejusque multo vulgatior est usus.

D. A decem, ad triginta grana, exhibentur.

## EXTRACTUM HERBÆ ACHILLEÆ MILLEFOLII.

### Э. Тысячелистника.

U. In hypochondriasi bonum præstat auxilium, et inflatioem levando, et spasmos leniendo, præsertim extracto *M.*

*Chamomillae* junctum. Conducit etiam iis, qui nocturnis pollutionibus vexantur et tum consulte ei additur: TINCTURA AROMATICA ACIDULATA (seu *sulphurica.*) Cetera vide de ACHILLEA MILLEFOLIO.

D. Datur a granis quindecim usque ad semidrachmam.

## EXTRACTUM HERBÆ ARTEMISIÆ ABSINTHII.

Э. Полынной травы.

U. Fragrantia, quam *planta* possidet, privato, sola amarities superest, haud multum ab *extracto Gentianae Centaurii* discrepans. E diuturno ejusdem usu, *lac* puerperarum instar *bilis* amarum, et infanti exstitisse noxium, BORRICHIUS observavit; LINNÆUS vero confirmavit. Splanchemphraxi, hypochondriasi, hydropisi, cachexiæ, helminthiasi, acholiæ etc., convenit. —

D. Exhibetur a scrupulo dimidio ad integrum, vel in forma *pilularum*, vel cum *liquido* quodam, e. g. *Acetate Potassae liquido*, vel etiam *aqua* quapiam *aromatica* solutum. Extus admotum mitigat graviora helminthiaseos symptomata, vermesque necat.

## EXTRACTUM HERBÆ CENTAUREÆ BENEDICTÆ.

Э. Волчца кудряваго.

U. Videsis: CENTAUREAM BENEDICTAM.

D. ——— ——— ———

## EXTRACTUM HERBÆ FUMARIÆ OFFICINALIS.

Э. Травы Дымянки.

U. Hoc leniter amarum extractum, præter amaritudinem, indole saponacea, conspicuum, in iisdem morbis, quibus planta obponitur, claret; præcipue vero in psora efficax.

D. Scrupulum.

## EXTRACTUM HERBÆ GRATIOLÆ OFFICINALIS.

Э. Дикаго Аврана.

U. Videsis: Gratiolam officinalem.

D. ——— ——— ———

## EXTRACTUM HERBÆ MARRUBII VULGARIS.

Э. Бѣлой Шандры.

U. Præcipue ad pituitosos pectoris adfectus conducit. In ipsis pulmonum abscessibus, inter alios quidem cl. Hænius illud laudavit. Nec in splanchemphraxi abdominali, ictero pertinaci, hydropisi incipiente, aliisque stasium abdominalium sequelis, vana est in illo spes collocata, quod tum aliis *extractis*, tum *Acetati Potassae liquido* etc., jungitur.

D. A granis quindecim ad drachmam.

## EXTRACTUM LIGNI HÆMATOXYLI CAMPECHIANI.

Э. Лазореваго дерева; — Кампешевой.

U. In diarrhœa refractariola et dysenteria Britannorum encomiis ornatum; sed nonnisi declinante (dysenteria) admittendum, ubi debilitati intestinorum succurrendum est. Videsis: Hæmatoxylon campechianum.

D. Drachmas *ejus* tres in *aquae Cinnamomi* uncia sesquialtera et *aquae fontis* septem unciis, addito *Tincturae Catechu* sicilico solverat cl. Pringle, cujus *misturae* quarta quaque hora duo cochlearia capta, juncto subinde vesperi *Opiato*. D. Duncan in dysenteria protracta, scrupulum *ejus*, ter de die, in congrua potione exhibuit subjuncto *clystere opiato. Extractum* hoc *aqua*, e. g. *Menthae crispae*, ea proportione, ut ejus drachma, hujus unciam intret, solutum, omnino prodest, si solutionis hujus cochlearia tria quotidie

propinentur (Baldinger.) Si per se dandum est, scrupulum (ad duo) sufficit.

### EXTRACTUM LIGNI QUASSIÆ EXCELSÆ.
### ——— ——— ——— AMARÆ.

### Э. Квассіи.

Eadem vi pollet, qua *lignum*. Præfectis solum militaribus si opus fuerit, præscribendum, est enim cari pretii.

D. A granis quinque ad semidrachmam, in *pilularum* vel *elixirii* forma, vel etiam cum *Vino* solutum, datur.

### EXTRACTUM NUCIS STRYCHNI VOMICÆ.

### Э. Чилибухи.

U. Formula, quæ ad. ill. Hufelandum refertur, habet: *Extracti Strychni nucis vomicae* grana decem, *Mucilaginis gummi Acaciae verae* unciam, *Aquae fontis* selibram, eaque soluti secunda quaque hora, duobus cochlearibus, sumitur, in dysenteria ab eodem laudata. Videsis: Strychnum Nucem Vomicam.

D. Granum ejusdem exhibere sufficit.

### EXTRACTUM RADICIS CICHORII INTYBI

### Э. цыхорнаго корня.

U. Idem ac Cichorii Intybi.

### EXTRACTUM RADICIS GENTIANÆ LUTEÆ.

### Э. желтой Горечавки.

U. Extractum hoc est peramarum, admodum calidum, obponitur ventriculi vitiis, a debilitate, et prædominante acore ortis. Convenit cum eo *extractum Menyanthidis trifoliatae*, nisi quod non tam calidum sit; loco autem *extracti Quassiae* cárioris, merito in usum trahi potest.

D. A granis quindecim usque ad semidrachmam porrigitur.

## EXTRACTUM RADICIS GLYCYRRHIZÆ GLABRÆ.

Extractum liquiritiæ *Ph. Ross.*

Э. Солодковаго корня.

Q. Forma venit subcylindrica, longitudine sex pollicum, crassitie unius, vel majori, foliis laurinis obvolutum, in fractura splendens. Rejiciatur *empyreuma* sapiens, vel olens, et quod *Cupro* inquinatum est.

V. Videsis: Glycyrrhizam glabram.

U. ——— ——————— ———

## EXTRACTUM RADICIS KRAMERIÆ.

Э. Крамерiи.

Methodo Don Hypoliti Ruiz, (primarii quondam in expeditione Peruviana scientifica, Regis Hispaniæ Botanici, cui cognitionem virtutum Krameriæ debemus) paratur ita: *Radices* collectæ, elotæ, et concisæ macerantur in *aquae* partibus sex pondere, coquunturque igne libero, donec *aqua* valde coloretur. Liquido decantato, iterum eadem *aquae* quantitas, adfunditur, et recoquitur eousque, dum omnes partes extractivas, solutas esse, adparuerit. Liquores seu tincturæ colentur per materiam laneam, et ad consistentiam *mellis liquidi* evaporentur. *Extractum* ab igne remotum vasis idoneis calori solis exponatur, quoad durum et friabile *gummiresinae Aloes* adinstar evadet, purum, pellucidum, coloris intense rubri *extracto Pterocarpi Draconis L.* (*Sangvini Draconis Ph. Regn. Pol.*,) valde simile; a quo tamen majori friabilitate, qualitate styptica, et amaritudine internoscitur, sub masticatione dentibus non adhæret, igne adspersum sine fusione consumitur nullumque odorem oleosum neque resinosum sensibilem edit. E *radicibus* recentibus paratum præferendum, est illi e siccis, uti et *aquosum*, *alcoholeo*.

D. Scrupuli duo in *aquae* unciis totidem soluti, aliquot

guttis *Acidi acetici*, vel *Citri medicae* admistis, post sex hora repetendi, bis in diem propinantur.

## EXTRACTUM RAD. LEONTOD. TARAXACI.

### Э. Одуванчика.

Iisdem virtutibus, quibus ipsa planta gaudet. In reserandis obstructionibus præstans, ita est exemplum hepatemphraxeos eo et superbibita *mulsa* sublatæ; tuberculis etiam pulmonum cum successu obponebatur. Nec *extractum liquidum* laude sua orbandum, fitque sequenti ratione:

R. *Radicis L. Taraxaci recentis* libras duodecim,
concide et contunde in mortario ferreo,
dein adde:
*Aquae communis* libras sex.

Exprime *succum*, post unicam ebullitionem in vase stanneo colandum, lenique calore, ad spissioris *syrupi* crassitudinem redigendum.

D. Cochlear (vel duo) sæpius de die porrigitur.

## EXTRACTUM RAD. RHEI PALMATI.

### Э. Ревеннаго корня.

U. Cathartica vi cedit pulveri. In diarrhœa, duo vel tria ejusdem grana, pilularum forma cum cochleari *Aquae Cinnamomi* exhibentur; in leucorrhœa vero exiguæ tantum doses conferunt. Si suspicio syphilidis subfuerit, exigua *Submuriatis Hydrargyri* quantitas non male subjungitur.

## EXTRACTUM RADICIS TORMENTILLAE ERECTÆ.

### Э. Завязнаго корня.

U. Ubique adhiberi potest, ubi Succus Eucalypti spissatus indicatur.

D. A quinque ad decem grana exhibentur.

### EXTRACTUM STIPITUM SOLANI DULCAMARÆ.

Э. сладкогорькаго Паслёна.

D. A quinque ad decem grana dantur.

## II. EXTRACTA INFUSIONE SPISSATA.

### Экстракты наливаніемъ сгущаемые.

*Plantarum*, *adstringente*, vel *amaro*, mixto cum *volatili*, vel *volatili aromatico*, *acri* aut *narcotico principio*, præditarum partes, inciduntur, vel in *pulverem* rediguntur, atque ferventis *aquae* vel frigidæ circiter octuplo, probe triturantur, *aquam*, partitis vicibus, addendo, et effundendo, donec inodora et insipida fuerit. Dein liquor in vase prædito duplici fundo, atque ejus intermedio spatio *solutione Muriatis Sodae aquosa* repleto, evaporationi super ignem et sub continuo ejus, ope ligneæ, vel vitreæ spathulæ motu, in debitam crassitudinem densatur. Ita parantur sequentia:

### EXTRACTUM CORTICIS CINCHONÆ OFFICINALIS.

(*Frigide paratum.*)

Э. Хины.

### EXTRACTUM CONORUM HUMULI LUPULI.

Э. Хмѣля.

D. Grana quinque, quindecim, in forma pilularum, vel in quolibet vehiculo *aquoso*.

### EXTRACTUM FLORUM ANTHEMIDIS NOBILIS.

Э. Римской Ромашки.

U. Videsis: Anthemidem nobilem.

## EXTRACTUM FLORUM MATRICARIÆ CHAMOMILLÆ.

### Э. простой Ромашки.

U. Extractum hoc, *floribus* ipsis, I. P. descriptis, præsertim ratione virtutis anodynæ, et antispasmodicæ, postponi posse existimatur; roborans tamen, et antisepticon præbet egregium, febribus in primis bilioso-putridis, variis diarrhœis, et stomacho adcommodum; nec male in splanchemphraxi abdominali exhibetur, additurque summa cum euphoria aliis resolventibus.

# III. EXTRACTA ALCOHOLISATA S. GUMMEO-RESINOSA.

### Экстр. спиртные, или камедо-смолистые.

## EXTRACTUM CORTICIS CINCHONÆ OFFICINALIS.

### Extractum Chinæ spirituosum, s. gummeo-resinosum.

R. *Corticum Cinchonae officinalis*, grosso modo pulveratorum, libram,
*Alcoholis diluti* bilibram,
*Aquae communis* libras quatuor.

Digere in phiala vitrea leniter clausa et in balneo arenæ posita, per triduum; massam exprime, et e *liquore* colato *Alcohol* destillatione elice. Residuum in patina evaporatoria, vel cacabo aheneo *Stanno* obducto, leni calore sub perpetua agitatione evapora ad extracti spissitudinem. Eodem modo parantur sequentia:

## EXTRACTUM CORTICIS CITRI AURANTII.

Э. Померанцовой корки.

U. Eadem virtute pollet, qua *cortex Citri Aurantii.* Agit debilius, quam *cortex*, idque una tertia parte. *Eo* in militari praxi possumus carere.

## EXTRACTUM CORTICIS RHOIS COTINI.

Э. корки желтниковой.

D. ab $\frac{1}{4}$ grani parte ad granum gradatim adscendendo datur.

## EXTRACTUM HERBÆ TANACETI VULGARIS.

Э. травы дикой Рябины.

D. a decem granis ad scrupulum.

## EXTRACTUM PULPÆ CUCUMERIS COLOCYNTHIDIS.

Э. мякоти Колоцинтовой.

U. In paralysi et alvi obstipatione commendatur.

D. Granum (ad tria) porrigitur.

Sic parantur etiam: EXTRACTUM RADICIS ACORI CALAMI. Э. корня Касатика. EXTRACTUM RADICIS COLOMBÆ. Э. к. Колюмбы. EXTRACTUM RADICIS GEI URBANI. Э. к. Гребника. EXTRACTUM RADICIS INULÆ HELENII. Э. к. Девесила. (*Decoctura radicis* inferius.) EXTRACTUM RADICIS VALERIANÆ OFFICINALIS. Э. к. Мауна. (Parum virtutis e *radice* continet.)

## EXTRACTUM TURIONUM PINI SYLVESTRIS.

Э. Сосновыхъ шишекъ.

D. Grana decem, ad semidrachmam.

# IV. EXTRACTA PECULIARITER PARATA.

## Эстракты особенно приготовляемые.

### EXTRACTUM AMARUM.

### Э. Горькій.

R. *Herbae Artemisiae Absinthii,*

—— *Menyanthidis trifoliatae,*

*Radicis Gentianae luteae,* singulorum quantum lubet.

Concisa coque ad perfectam extractionem in *aquae communis* sufficienti quantitate post colaturam expressionemque residui, decoctura exponatur evaporationi, ut fiat leni igne debitæ consistentiæ extractum.

D. A granis decem ad triginta per se, aut aliis congruis additum, exhibetur.

V. *Alcohol dilutum amarum*; —— —— *antiscorbuticum.*

### EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS COMPOSITUM.

### Э. Колоцинтовой сложный.

R. *Pulpae fructus C. Colocynthidis* comminutæ drachmas sex,

*Gummiresinae Aloës perfoliatae* contritæ sescunciam,

——— *Convolvuli Scammoniae* contritæ semunciam,

*Seminum Amomi Cardamomi* contritorum drachmam,

*Alcoholis diluti* libram.

Macera leni calore *pulpam* per quatriduum in *Alcohole* et colato liquori adde *Gummiresinas*; dein vero consumatur *Alcohol*, quoad aptam habuerit spissitudinem, tandem *semina* admisceto.

V. *Pilulae Colocynthidis ferratae*; — — *stibiatae.*

### EXTRACTUM FERRI POMATUM.

### Э. Желѣзояблочный.

R. *Ferri limati* partem,

*Succi pomorum acidulorum* partes quatuor.

Stent in digestione, in loco tepido per aliquot dies in vase

ferreo; post sufficientem oxydationem *Ferri*, coquantur perpetuo motu cum spathula ferrea, leni igne ad dimidiæ partis consumtionem. Liquor per linteum colatus, ad extracti mollis consistentiam spissatus reponatur.

U. In amenorrhœa, chlorosi, nevroblacia, languido humorum motu, febribus intermittentibus quartanis, helminthiasi etc. *Aquae Cinnamomi vinosae* partes sex cum parte ejusdem TINCTURAM FERRI POMATAM constituunt.

D. A granis decem ad scrupulum in forma pilularum.

## FERRUM LIMATUM.

### Желѣзные опилки.

R. *Ferri purissimi* ab omni heterogeneo liberi, quantum lubet,

Limae ope ex *ferro* in pulverem subtilissimum redigatur.

Q. Hic *pulvis*, ut medico usui sit idoneus, debet esse subtilissimus, metallice nitens, atque in *acidis* multum *gaz hydrogenii* evolvendo, solubilis, vasisque vitreis probe obturandis servetur; ferruginem enim perpessus damnatur haud immerito. Continere *Cuprum*, colore cœruleo cognoscitur, quem *Ammonia* cum eodem digesta, consequitur.

V. Interne sumtum, vim tonicam adstrictoriam in fibram muscularem exserit, receptum in sanguinem incitantem ejus vim auget, ruborem eidem majoremque consistentiam conciliat, calorem vernaculum, sub nascente purpureo, eoque amæno oculis, genis, labiis, gingivis colore, auget, totum, increscente musculorum energia, roborat organismum, festinatis dein arteriarum micatibus, et accelerato sanguinis motu, caliturum.

U. *Ferrum* generatim utilitatem promittit in diuturnis apyretisque vitiis, vi adsimilativa labefactata, sine ullo vis sensiferæ augmento, pronatis. Torpor digestionis, cum cruditate, et ad acorem continua propensione; habitus frigidus, spongiosus, tumidus, pallidus, pulsuum languor et tarditas, aquoso-

rum humorum, vel congestorum in cellulari tela, vel excretorum copia, et id genus alia, usum ejus præprimis exigunt. Vires solidorum per morbos, ærumnas, improbos labores, multifariam intemperantiam, præsertim veneream, aut cynædorum, labefactatas fractasque, imo ipsas genitales, restaurat. Cum primis utile est superata febri inflammatoria, nervosa, aut putrida, cum *cortice Cinchonae officinalis* in *vinoso infuso*, aut intermittente dein protracta (Borsieri,) aut myodynia rheumatica, vel arthrodynia (tollendæ superstitis ligamentorum, et musculorum debilitatis causa,) aut dysenteria, vel hæmorrhagia quavis etc. In dialeipyra, si e torpore digestionis, et laxitate vasorum originem trahit, quadantenus vim lexipyretam sortitur. Laudatur etiam in asthenicis sanguinis profluviis; in hæmatemesi tamen ab initio alienum est, nec nisi remittente ejusdem vehementia, cum debilitas superest, atque spasmodicus ventriculi, et abdominis status persistit, et tum conjungitur cum *anodynis*, et *aromaticis remediis*, ut *cortice L. Cinnamomi*, *fructu A. Cardamomi*, *ligno Quassiae excelsae*, *radice Colombae*, *cortice Cinchonae off.* etc. in hæmorrhœa uteri, puerperarum vel abortientium, menorrhœa, hæmorrhoide, blennorrhœa (gleet,) leucorrhœa muliebri, diuturna gonorrhœa (stillicidio genituræ,) atrophia infantili, rachitide, colluvie pituitosa, qua lumbrici generantur, ictero, phthisi, scrofula, struma a pluribus laudatur. In scorbuto etiam expedit, præsertim, si ulcera cutanea produxerit. Roborando vasa hæmatophora circulationem sanguinis excitat, quo multis malis, ex hoc fonte promanantibus, occurrit, ita leucophlegmatiæ, chlorosi (Sydenham, van Swieten,) hydropisi a torpore vasorum absorbentium, vel jactura sanguinis, aliorumque humorum, ortæ, aut qua interdum chloroticæ laborant, tympanitide. Non male datur in convulsionibus, sic in epilepsia vincenda *Valerianae* potentiam auget (Lettsom,) in scelotyrbe asthenica aut verminosa (Wendtii suasu) itidem cum *Valerianae off. radice* conjungitur. Adversus vermes intestina occupantes, ipsam adeo

nterdum tæniam, et enterodyniam helminthicam adhibitum (Darlue.) Philadelphiæ Medicus Rush *limatum Ferrum* cum nelle propinavit; si vero, quod interdum evenit, alvus comprimitur, pulverem *radicis Convolv. Jalappae* subjunxit. In helninthiasi tanto certius vim suam exserit, si laxior simul ventriculi compages, et acida primarum viarum saburra obtineat. Tolluntur *Ferro* noxiæ *Hydrargyri* sequelæ. Nec absimilis est forma *Ferri* in *aqua*, qua ferrarii fabri *candens ferrum* extinguunt. Hæc, et *ferro oxydulato*, et *aëre hydrogenio* abundans, pro *balineis* adhibita, permeat corpus, idque confirmat, hinc in nutritionis labe, in arthrodynia anomala, et colluvie pituitosa salutarem præstat effectum. Bonum est indicium, si sumto *ferro*, nec comprimitur alvus pertinaciter, nec resolvitur (Jahn,) sed persistit modus ejusdem naturæ consentaneus, redduntur que excrementa nigro colore imbuta. Alienus est *Ferri* usus urgente febri, vi arteriarum musculorumque concitata, hinc etiam vetat eum plethora, quævis inflammatio, sanguifluxus sthenici, suppuratio, et ulceratio, nimia vasorum energia, vigens. Abstinendum etiam a *Ferri* usu, ubi tensa nimis fibra est, vis sensifera auctior, subortis etiam spasmatibus, hinc hypochondriacis, et hystericis prudenter dandum. Neque etiam alvo adstricta, et quum stomachus, et intestina sordibus scatent, aut status paralyticus, vel splanchemphraxis male habent, concedendum.

D. *Ferrum limatum* ex *aqua humoribusque* gastricis, et intestinalibus *oxygenes* adtrahit, avolante in speciem aëriformem *hydrogene*, hinc ructus flatusque nidorosos haud raro usum excipiunt, quapropter non male eidem *flores Matricariae Chamomillae*, *cortex Citri Aurantii*, et *herbarum extracta amaro-aromatica* adduntur. Granis duobus tribusve subsistere oportet bis de die, largius enim, aut protracto usu sumto, ingratæ sensationes puta: anxietas, æstus, insomnia, cephalæa, opressiones ventriculi et interdum hæmorrhagiæ exoriuntur. Convalescentibus, labante digestione, pulveris forma cum *radice Colombae*, *Gentianae luteae*, et *cortice L. Cinnamomi* datur.

In dialeipyra diuturna, pituitosa colluvie stipata, cum *cortice Cinchonae off. Floribus M. Chamomillae*, *Muriate Ammoniae*, in menostasia cum diuturna blennorrhœa, cum *Muriate Ammoniae*, *Sapone stibiato*, *radice Rhei palmati*, *gummiresina Myrrhae*, in hæmorrhoide mucosa cum *bile taurina*, *Sulphure sublimato*, *radice Scillae maritimae*, *Succo Conii spissato*. Pilulæ etiam cum *extractis amaris* effinguntur, additis, si cardialgia suboritur, *aromatibus*, vel alvo cita, *Opio*, vel eadem compressa, *radice Rhei*. In forma *electuarii* etiam cum *melle* aut *syrupo* datur; sed id admittendum tunc tantum, dum repugnantia est ægroti ad *pulveres* vel *pilulas*. Datur etiam in *infuso vinoso* vel *tinctura*. Additamenta ad *pulverem* in aëre liquescentium aut *acidum gallicum* tenentium sunt aliena. Cavendum quoque ne mox ante, vel post pastum deglutiatur.

*V. Extractum Ferri pomatum; Gas hydrogenium; — — sulphuratum; Suboxydum Ferri praeparatum; Sulphas Ferri; Sulphuretum ejusdem; Tinctura Muriatis Ferri; — — — alcoholisata.*

## FOMENTUM ACIDUM.

### Aqua vulneraria.

### Пр. кислая.

R. *Acidi acetici diluti*, partes sex,
*Alcoholis diluti* partes tres,
*Acidi sulphurici diluti* partem,
*Mellis despumati* partes duas.
Misce et, si opus, cola.

U. Vulneribus recentibus ulceribusque asthenicis, multum puris fundentibus, aptum.

## FOMENTUM ALUMINATUM.

### Пр. квасцовая.

R. *Supersulphatis Aluminae* et *Potassae* semunciam,
solve in
*Acidi acetici diluti impuri* selibra;
dein adde:
*Alcoholis diluti* tantumdem.

U. Pernio, genu aliarumque articulationum dolores et tumores, linteum, hoc *liquore* constanter madefactum, adplicando, medelam recipiunt.

## FOMENTUM AROMATICUM.

### Пр. ароматическая.

Frigide aut tepide superdandum *infusum Specierum aromaticarum*, vel, ubi calore solum modo opus est, *vesica bovilla* vel *suilla* repleatur ad dimidium *aqua tepida* et parti adfectæ admoveatur, vel pannus laneus porosus, *aquae fervidae* immersus, dein expressus adplicetur, renovando simulac frigescet.

U. Vitia reactione vis vitæ, æquo auctiori, stipata.

## FOMENTUM COMMUNE.

### Пр. обыкновенная.

R. *Alcoholis diluti* vel
——— —— *impuri* selibram,
*Acidi Acetici diluti impuri* libram.
Mox ante usum parandum, frigide superdandum, sæpiusque renovandum.

## FOMENTUM DISCUTIENS.

### Пр. разводящая.

R. *Aquae* bilibram,
*Acidi acetici diluti*, vel
——— ——— ——— *impuri*
*Alcoholis diluti impuri*, utriusque libram,
*Muriatis Ammoniae depurati* semunciam.
tepide vel frigide admovendum.

U. In Ecchymosi, contusione, linteis humefactis, superdandum.

## FOMENTUM PINEO-OLEOSUM COMPOSITUM.

### Пр. скипидарная сложная.

R. *Olei pineo-laricini* unciam,
*Vitelli ovorum* duorum,
Simul tritis admisce:
*Decocturae herbae A. Absinthii*, vel
——— *florum M. Chamomillae*, vel
——— *Radicis Acori Calami* libram,
adde:
*Alcoholis*, vel
*Alcoholis camphorati* uncias duas ad tres.

U. In ulceribus gangrænosis ad separationem partis emortuæ a viva efficacissimum. 1812 anno, quum bellipotens Ruthenorum exercitus in Russia, 1813 autem in Germania et 1814 in Franco-Gallia commoraretur, æstivis caloribus expositus, nil ita profuit ad arcendas infestas muscas, ac hoc *fomentum*, quod etiam generationi vermium in vulneribus (deligatione hoc *fomento* madefacta) obicem posuit; quapropter magnæ utilitatis esse potest, præsertim, quum milites vulneribus saucii, sub æstivis caloribus, ad valetudinaria transferuntur.

## GARGARISMA ACIDUM.

### Полосканье кислое.

R. *Acidi oxymuriatici* guttas decem,
*Aquae Rosae* selibram,
*Mellis* ——— unciam.

U. In adfectionibus gingivarum scorbuticis merito præfertur reliquis externis remediis.

## GARGARISMA ALUMINATUM.

### П. изъ квасцовъ.

R. *Supersulphatis Aluminae et Potassae* drachmam ad sesquidrachmam,

*Decocturae Hordei*, vel

*Infusi florum Sambuci*, vel

—— *foliorum Salviae* bilibram,

*Acidi sulphurici diluti* guttas triginta,

*Mellis flavi* unciam, vel

*Sacchari puri* semunciam.

U. Ulcera atonica faucium et gurgulionis, angina ulcerosa aut gangrænosa, maligna dicta, præcipue cum scarlatina juncta; tem in gingivarum et uvulæ laxitate, anginas serosas, comiante etc.

## GARGARISMA AMMONIATUM.

### П. Аммiаковое.

R. *Decocturae Hordei*, vel

——— *Radicis Althaeae* libram,

*Subcarbonatis Ammoniae*, vel

*Ammoniae liquidae* drachmam ad duas, vel

*Alcoholis ammoniati* semunciam.

U. Tonsillitis (initio morbi,) odontalgia, otalgia rheumatica, paralysis linguæ. Si major stimulus requiretur, loco *decocturae Hordei*, *aqua aromatica*, vel *infusum Sinapeos nigrae*, vel *Capsici annui* adhibetur.

## GARGARISMA ANTISEPTICUM.

### П. Противугнилостное.

Alcohol dilutum hacce intentione utiliter adhibetur, vel

R. *Decocturae Quercus aluminatae* libram,

*Acidi acetici diluti impuri,*
*Tincturae Myrrhae,* utriusque unciam;
Misce.

Interdum loco *Acidi acetici diluti impuri* addantur guttæ qui decim *Acidi sulphurici,* vel — *muriatici* triginta.

U. Cynanche maligna.

## GARGARISMA BORACICUM.

П. Буровое.

R. *Subboratis Sodae* semunciam,
solve in
*Aquae communis* libra,
adde:
*Mellis flavi* semunciam.

Interdum huic gargarismati additur *Alcoholis diluti impuri* unc vel sescuncia; addita vero *tincturae Myrrhae* semuncia vel unc fiet adcommodum ulceribus oris fauciumque a nimio *Hydrc gyri* usu obortis.

U. Aphthæ, Siallorrhœa.

## GARGARISMA COMMUNE.

П. Обыкновенное.

R. *Decocturae Hordei,* vel
——— *Althaeae,* vel
*Aquae communis* libram,
*Acidi acetici diluti impuri* uncias duas
*Mellis flavi* unciam.

Cui interdum additur *seminum Sinapeos nigrae* pulveratoru semuncia, vel, pro re nata, *Nitratis Potassae* drachma.

U. In anginis, præsertim inflammatoria cum *Nitrate P-tassae.*

## GARGARISMA MURIATIS AMMONIÆ.

### П. Нашатырное.

R. *Muriatis Ammoniae depurati* drachmam ad duas,
*Infusi Specierum aromaticarum*, vel
—— *florum Arnicae*, vel
—— —— *Chamomillae*, vel
*Decocturae Hordei* libram
*Oxymellis simplicis* unciam.
Misce.

U. Salivam movendo, brevi tonsillitidem propulsat.

## GARGARISMA OPIATUM.

### П. Опіятное.

R. *Extracti Opii* drachmam,
*Aquae ferventis* libram,
Misce terendo et adde:
*Alcoholis diluti*, unciam,

U. In ulceribus linguæ vel faucium irritabilibus, rebelli-us; odontalgia, aut otalgia rheumatica; cephalalgia nervosa ficax.

## GARGARISMA OXYMURIATIS HYDRARGYRI.

### П. Солеперекислой ртути.

R. *Oxymuriatis Hydrargyri* grana quatuor,
*Muriatis Ammoniae* drachmam,
*Decocturae Hordei*, vel
———— *radicis Althaeae* libram,
*Mellis flavi* unciam
Misce.

U. Ulcera faucium internarum syphilitica, phagedænica, ohtæ malignæ, in scarlatina anginosa, haud neglecto, pro re ata, interno usu *corticis Cinchonae officinalis* cum *Subborate So-ae* et *aquae Calcariae* modico.

# GASA

## FLUIDA ELASTICA AËREA.

## Гасы упругіе воздухообразные.

### GAS ASOTICUM OXYDULATUM.

### Газъ селитрокисловатый.

Igni in retorta vitrea *Nitratis Ammoniae* partem et arenae partes tres sub + 150° R. th. exponendo adparatu hydrargyro-pneumatico obtinetur.

V. Exhilarans; actionem systematis muscularis incitans.

U Inspirando in nevroblacia, asthenia musculari, paralysi,

### GAS CARBONICUM.

### ACIDUM CARBONICUM CALORI JUNCTUM.

### Г. Углекислый.

Elicitur ope *Acidi sulphurici* e pulverato *Calcariae Carbonate*.

Q. Constat partibus 27,38 *Carbonii* et 72,62 *oxygenis* (GAY-LUYSSAK.)

V. Antiseptica; antispasmodica; sangvinem movens.

U. In ventriculi sensibilitate nimia et vomitu hinc oborto, multiplici Medentium experientia comprobatum. Item inservit ad *aquas minerales, acidulas, acidulo alcalinas* et *acidulo-ferratas* parandas, item ad *Alcalia* hoc *acido* saturanda.

V. *Aqua Acidi carbonici*; *Aqua acidula artefacta.*

### GAS HYDROGENIUM.

### HYDROGENIUM PRINCIPIO CALORICO JUNCTUM.

### Г. Водотворный.

R. *Ferri limati* partem,
*Acidi sulphurici* partes duas,
*Aquae communis* partes octo,

Limatum Ferrum, retortæ tubulatæ cum collo curvato immittatur, dein *Acidum sulphuricum aqua* dilutum, infundatur, et bene agitetur. Sub effervescentia massæ gas *hydrogenium* evolvitur, quod adparatu hydropneumatico in vasa vitrea, *aquae* plena, colligatur. Obtinetur etiam *solutione Zinci* in *Acido muriatico* aut *sulphurico*, quinque vel septem *aquae* partibus, dilutis.

V. Apertis naribus vicies fere citra periculum inspirari potest; dein vero facies colore tingitur cœruleo; pulsus vero fit debilis et celer, vertigo oritur, ægrique obcœcantur.

U. Obposuere quidam phthisi pulmonali inhalationem ejus; sed efficaciam uberius experiri oportebit.

## GAS HYDROGENIUM CARBONATUM.

GAS HYDROGENIUM PORTIONEM CARBONICI CONTINENS.

Гасъ углеводотворный объугленный.

Instillando *aquam* in ardentes *carbones*, vase clauso, in idoneo adparatu (WATTI) fit.

U. Inspiratione cautus in phthisi pulmonali (BEDDOES et WATT,) catarrho, tussi, hæmoptysi laudatur; ast diutius et incaute inspiratum, apoplexiam, in mortem desituram, producit.

## GAS HYDROGENIUM SULPHURATUM.

Газъ сѣрноводотворный.

R. *Ferri limati* partes duas,
*Sulphuris sublimati* partem,

immitte crucibulo amplo operculo adaptato, et subjice per $\frac{1}{4}$ horæ summo caloris gradui. Massa post refrigerationem dat *Sulphuretum Ferri* (flavo-brunei coloris) conficiendo *Gasi hydrogenio sulphurato*, peridoneum; dein in hunc finem:

R. *Sulphureti Ferri* partem,
immisso retortæ tubulatæ, curvato collo, instructæ dein adfunde:
*Acidi sulphurici*, prius quatuor partibus *aquae communis*, diluti, tantumdem.

*Misturam* coquito leni calore sub continua agitatione. *Gas hydrogenium sulphuratum*, tempore operationis hujus, evolvendum, adparatu hydropnevmatico in vasa vitrea, *aqua ferventi* repleta, colligito, usuique serva. Educitur etiam ex aliis *Sulphuretis*, vel *acidis*, vel *aqua* effervescente, cujus *oxygenes Sulphureta* decomponit ope *Acidi sulphurici*, quod *Sulphuri* inhæret. *Aquis Soteriis* etiam inest.

V. Minuens irritabilitatem præcipue in pulmonibus.

U. Utilitatem promittit inspiratum in pertinaci tussi, post pnevmonitides cum sputo superstite.

V. *Aqua sulphurata artefacta.*

## GAS OXYGENIUM.

### Oxygenium principio calorico nuptum.

### Г. кислотворный.

R. *Oxydi Mangani nigri* pulverati partem,
*Acidi sulphurici* partem dimidiam.

*Oxydo Mangani*, vitreæ retortæ immisso, *acidum* adfundatur, dein collum retortæ cum adparatu hydropnevmatico, tuto junge, atque calorem + 80 R. th. gradatim auge, quamdiu *gas oxygenium* purum evolvitur. Residuum in retorta remanens ope solutionis in *aqua* atque evaporationis, ad siccitatem, dat *Sulphatem Mangani*, remedium a neotericis adversus varios morbos, laudatum. Atmosphæra e hujus *gasis* 27 et *azotici* 73 (Lavoisier) partibus constat; curatiori tamen indagine eam e 21 primi et 79 postremi partibus coalescere, extra omnem dubii aleam positum est.

Q. Est odoris saporisque expers.

V. Inspirati, micatus arteriarum incitans et calorem animalem augens. Combustionem corporum accelerans.

U. Pulmonibus inflati: in asphyxia potissimum submersorum, vel suspendio, aut vapore *carbonum*, aut alio elastico noxifero *fluido*, vita adparenter privatorum, valet. In asthmate etiam, atonia pulmonum, et morbis astheniæ notas ferentibus, præconia tulit. Nocet in pneumonitide (SCHERER.) Ulcera saniosa ejus usu curationem recipiunt.

## GELATINA ANIMALIS.

### Студень животныхъ.

R. *Glutinis animalis* indurati (venalis) selibram,
*Aquae* libras tres,
coque, ut fiat *solutio*,
cui adjice:
*Albuminis ovi*, quantum satis,
dein massæ probe despumatæ et clarificatæ addito:
*Sacchari albi* selibram.

Coque leni igne ad sesquidrachmam. *Gelatina*, ut concrescat, effundatur.

U. In febribus intermittentibus (ARMAND SEGUIN.) Videsis: BOS TAURUS. *Vel*

R. *Extremitatum Bovis Tauri* (*ungulis pilisque* demtis) in frustula dissectarum partem,
*Aquae fluviatilis* partes octo.

Coque leni igne in olla figulina usque dum e parva decocti portione refrigerata, consistentia gelatinæ adpareat surrexisse, tum liquor coletur et spuma pinguedineque ablatis, usui servetur.

## GELATINA CETRARIÆ.

### Студневой кисель Исландскаго моха.

R. *Cetrariae Islandicae* concisae uncias duas,
coque ex
*Aquae fontis* unciis triginta,
ad remanentiam circiter partis quartæ. Colaturæ addito et solve:
*Sacchari albi* unciam, vel
*Syrupi Zingiberis* sescunciam,
ut fiat post refrigerationem gelatina.

## GELATINA CORNU CERVI.

### Студень оленьяго Рога.

R. *Cornu Cervi rasi* uncias tres,
*Aquae libras* totidem.
Coque ad colaturam sesquilibræ, et adde:
*Vini albi veteris* uncias duas,
*Succi fructus Citri medicae* semunciam,
*Syrupi* —— —— ——— unciam,
Effunde, ut frigore in tremulam massam coëat. Eodem modo cum pari portione *aquae* parari potest: Gelatina Amyli;— Ichthyocollæ. Vel
R. *Cornu Cervi rasi* selibram,
*Aquae fontis* libras sex.
Coque leni igne in vase fictili ad remanentiam libræ. *Liquori* cum expressione colato et adhuc calenti admisce:
*Sacchari albi,*
*Vini rhenani,* utriusque uncias duas.
Repone in frigido loco, ut in *gelatinam* coëant.

## HAUSTUS CAMPHORATUS.

### Смѣсь камфорная.

R. *Camphorae* (ope aliquot guttarum *Alcoholis* pulveratæ) grana quinque,

*Gummi Acaciae verae* scrupulum,

*Sacchari puri* drachmam,

simul bene tritis, sensim adde:

*Aquae fontis* drachmas decem.

Interdum adduntur:

*Subcarbonatis Ammoniae* grana quinque vel plura, *Gummiresinae F. Assae foetidae* grana decem, vel utriusque simul, vel alterutrius.

V. Stimulans; narcotica; antispasmodica. Si *haustui camphorato Subcarbonatis Ammoniae* grana quinque, et *pulveris aromatici* scrupulum addideris, lexipyretam sub accessum febris, habebit vim, in tracheitide etiam efficacem.

## HAUSTUS CARBONICUS.

### VULGO AËROPHORUS.

### С. углекислая.

R. *Subcarbonatis Potassae depurati* scrupulos duos, vel

——— *Ammoniae* scrupulum,

*Aquae fontanae* uncias duas.

Misce.

R. *Succi Citri medicae* recentis unciam, vel

*Acidi acetici diluti impuri* tantumdem,

*Syrupi simplicis*,

*Aquae fontanae* utriusque semunciam.

Solutione *Subcarbonatis Potassae*, vel *Ammoniae* prius sumta, *mistura e succo Citri medicae*, vel *Acidi acetici diluti impuri* illico, dum effervescit, porrigenda est.

V. Nauseam, vomitumque rebellem, a præternaturali ventriculi irritabilitate, ortum, compescit; leniter etiam sudorem et urinam sollicitat. Ceterum omnia, quæ de MISTURA CITRATIS POTASSÆ STIBIATA dicta sunt, hic etiam quadrant.

## HAUSTUS CINCHONÆ.

C. Хинная.

R. *Aquae Menthae piperitae* drachmas sex,
*Corticis Cinchonae* pulverati scrupulum,
*Syrupi simplicis* drachmas duas.

U. Videsis: Misturam Assæ fœtidæ.

## HAUSTUS GUAJACINUS.

C. Бакаутовая.

R. *Gummiresinae Guajaci officinalis* grana quindecim,
*Gummi Acaciae verae* drachmam,
*Sacchari puri* scrupulum,
tere simul, et paulatim adfunde:
*Aquae Menthae piperitae* sescunciam.

Interdum adduntur:

*Subcarbonatis Ammoniae* grana quinque, vel *Camphorae* grana quinque, vel *Tincturae Opii* guttae viginti separatim, vel conjunctim.

U. Myodynia rheumatica, arthrodynia.

## HAUSTUS OPIATUS.

C. опiатная.

R. *Aquae fontis* unciam,
*Tincturae Opii* guttas viginti,
*Syrupi simplicis* drachmas duas. Misce.

V. Narcotica; exhilarans; soporifera, vel

R. *Aquae fontis* semunciam,
—— *cujuslibet aromaticae*,
*Syrupi opiati* utriusque drachmas duas,
*Tincturae Opii* guttas decem. Misce.

Huic, si guttas viginti *Vini stibiati* addideris, HAUSTUM DIAPHORETICUM habebis; si vero *Vini Ipecacuanhae* et *Aetheris*

*sulphurici*, utriusque guttas quadraginta ad drachmam, tum accessui febrilis paroxysmi, efficaciter obstabit.

### HAUSTUS PINEO-BALSAMEUS.

C. Терпентинная.

R. *Balsami pineo-laricini* cum *Vitello ovi* subacti scrupulum, ad semidrachmam,
*Aquae Menthae piperitae*, vel
*Mucilaginis Acaciae verae* unciam,
*Tincturae aromaticae*,
*Syrupi simplicis*, utriusque sesquidrachmam. Misce.

U. Blennorrhœa; morbi viscerum pituitosi; hydropisis.

### HAUSTUS SAPONATUS.

C. Масляно-аммiаковая.

R. *Olei sesamini*, vel
— *olivi* sescunciam,
*Aquae Menthae piperitae* unciam,
*Tincturae aromaticae* drachmam,
*Ammoniae liquidae* guttas viginti.

U. In catarrho; alvo adstricta; urolithiasi; helminthiasi; trismo neonatorum.

### HAUSTUS SUDORIFER.

C. Потогонная.

R. *Acetatis Ammoniae liquidi* unciam,
*Tincturae Opii*,
*Vini stibiati*, utriusque guttas viginti,
*Syrupi simplicis* drachmas duas. Misce.

### HYDRARGYRUM DEPURATUM.

Ртуть очищенная.

Hydrargyrum, ut ab incongruorum additamentorum, (quibus interdum a turpilucricupidis negotiatoribus adulteratur,) labe liberetur, destillatio opus est, quæ sic instituitur:

R. *Hydrargyri* quantum velis.

E ferrea retorta ad medietatem hocce *metallo* repleta, tuboque ferreo verticaliter erecto, dein recurvato prædita atque cum vitreo recipiente capaciori ad dimidium *frigida aqua* repleto, sic junctum, ut orificium colli superficiei *aquae* immersum sit, fiat destillatio ex arenæ balneo.

Q. Globulis exacte sphæricis, levissime iterum coëuntibus, currens in charta, in cursu nil impuri relinquens, *Acetum* minime dulcificans, vel *plumbeas* particulas per reagentia detegendas, nequaquam prodens, per corium expressum fere nil immundi, vel pulverulenti relinquens.

U. *Hydrargyrum metallicum* interne sumtum, vix est medicamentosum; immutatum enim percurrit intestinalem tubum, imò notabilem ejus quantitatem per longum tempus (per annum unciam quotidie) sumtum fuisse citra ullum incommodum Fordyce refert; nihilo tamen minus id, si in interaneis moretur ex parte *enterico* oxydari *succo*, eoque efficax reddi, ut proinde medicamentosam exserat vim, porrigendum *hemioxydata* aut *acidula forma*, qua permeat non solum primas vias, sed totum systema vasorum omnesque corporis, vel subtilissimos meatus penetrat, quin tamen energia adsimilativarum virium universi adparatus organici adsimilari queat, quod sane extra omnem dubii aleam ponit sapor in ore metallicus, morbosus glandularum salivalium status, ulcera mercurialia, exhalatio cutanea, per quam aurei annuli aliaque ornamenta, ex hoc *metallo* fabrefacta, si cutem arcte ambeunt, post *hydrargyrosin* albescere visa sunt (quod nonnisi ex amalgamatione *Hydrargyri* cum *auro* exponi potest.) Sudor interdum *Hydrargyri* globulis scatens (Horn,) imo si Zelleri experimentis fides habenda, *metallum* in ipso animalium sanguine (quibus *unguenta* ex eo parata fuere admota) inventum, denique globuli *Hydrargyri* in cadaveribus eorum, qui *hydrargyrosin* passi sunt, repertitii (Bonnet, Schenk, Fernelius.) Pro ratione oxydationis aliarumque concurrentium rerum agit tum multifariam in omnia Systemata, potissimum glanduloso inci-

tando secretiones, atque excretiones permutat, uti etiam insigniter in glandulas salivales & cutim, ex quo patet usum ejusdem in morbis latius patere, atque pro ratione connubii, habitus corporis, opportunitatis, temperaturæ, præparationis etc. multivarium exserere effectum; agit quippe, ut errhinum *Subsulphas Hydrargyri* ut sialagogum *idem* in qualibet forma; ut catharticon *Submurias Hydrargyri*; ut diureticum *Submurias* et *Oxymurias Hydrargyri*, in connubio præsertim aliorum *diureticorum*; ut diaphoreticum *Submurias Hydrargyri* et in connubio remediorum cutaneam exhalationem promoventium.

U. *Hydrargyrum metallicum* solo pondere acturum ad pertinaces alvi obstructiones, intestinorum intussusceptiones, ileum, quotidiano usu aliquot unciarum pondere in *Oleo olivo*, vel *papavereo*, aut in pingui *carnis jure* (Hoffmann, Plattner, Weickard) dabatur, quæ experimenta in canibus etiam capta respondisse feruntur; nihilo tamen secius, magna cura cavendum, ne noxæ, quod fieri adsolet, inferantur, laceratis, constrictis, aut inflammatis intestinis, ipso malo periculosiores (Hodges in *Mem. of Med. soc. of Lond. T.* 6. *p.* 6.) *Unguentum mercuriale* vulneri a rabido animali illato adfrictum cum interno usu *Sulphatis Hydrargyri lutei* (*Turpethi mineralis*) multos a rabie hydrophoba servavit (Darlue *recueil periodique, tom. III.*) Sed a similibus *unguentis*, id est sine additamento *acidorum* factis, duntaxat eatenus exspectanda utilitas, quatenus oxydabilitas *Hydrargyri* tritu possibilis est. *Aqua fervida Hydrargyrum* nequaquam solvitur, utut *decoctura* talis a quibusdam ad enecanda interaneorum animalia commendetur ob vermifugam virtutem (decocta scilicet *aquae* libra cum *metalli* unciis duabus sub agitatione cum bacillo ligneo,) equidem aliis potius additamentis, vermibus inimicis, salutarem ejus vim adscribendam duco. Epilepsiam helminthicam curatam fuisse *Hydrargyro* auctoritate Heisteri constat, nec minus utilitatis adversus infantilem syphilidem præstitisse a Gardanneo relatum accepimus, utut nulla observata post coctionem *Hydrargyri* ponderis ejusdem jactura. In omni hydrargyrosi circum-

spiciendum est, ne vires labent, neve aut sudores profusi aut alvifluxus exoriantur, sola quippe per cutem exhalatio juvat. Quapropter, vel præmittere tepefacta *balnea*, vel cum ejusdem usu conjungere expedit. Præferenda vero mitiora e *metallo* præparata, iisque non male *Camphora*, vel *Opium* additur; si vero pervicacia mali potentiora exigit, corpus valentibus nutrimentis firmandum est. Scire licet in genere præparata cum *acidis* facta, meris *oxydulis* pro usu interno præferenda esse, parvas etiam doses in curatione syphilidis securiores esse magnis fortibusque, ut organismus inita velut familiaritate cum stimulo remedii, nullatenus mitis, adsuescat eidem. *Hydrargyrum* largiter aut inconsiderate ingestum, excitat motus febriles (febrim mercurialem,) cutis videlicet arescit; pulsus arteriarum festinantur; incitatione vero in organa, quæ secernendæ salivæ dicata sunt, propagata, glandulæ salivales tumefiunt, saliva ubertim prolicitur (sialorrhœa), gingivæ flaccescunt, tumescunt atque a dentium latice gryseo obductorum, hebescent um et vacillantium radicibus secedentes, sanguinem fundunt; lingua ipsa muco tenaci obducitur, per oris ambitum erythema observatur, aut in eodem ulcuscula prorumpunt, haud raro linguam internamque buccarum faciem perrepentia, et cacoëthea; *sapor* vero metallicus infestus; glandulæ colli turgent; protracto autem usu exoriuntur horrores, nausea, vomituritio, lancinantes capitis dolores, occiput et nasi radicem occupantes, tremores artuum, interdum biliosa dyscrasia (Tourtelle,) subinde paralysis, quandoque exanthema peculiare subnascitur eczema mercuriale Pearsonio, hydrargyria Alleyo dictum, crebrescens, gliscens cum rubore cutis, ardore et tumore in scroto et cruribus, vesiculis manifestum plurimis, pellucidis, mole acuum capitula æquantibus, opaco lacteoque latice farctis. Nonnunquam febris hectica accedit, cutis escharis liventibus deturpata, pilis defluentibus, unguibusque secedentibus, novis interea crassioribus curvisque subnascentibus æque ac in trichomate ac lepra evenire solet, in mortem ni propere subveniatur, desitura. Ad coërcendam sialorrhœam, si

præter opinionem, aut *Hydrargyro* largius ingesto, suborta est, porriguntur *Cathartica*, *Opium* et *aqua frigida* faucibus adsiduo admovetur. Alii *aquam hydrothionicam* commendant. Memoria etiam tenendum est, *acida*, *adiposa*, *dyspepta* utentibus per frictionem *Hydrargyro* alienissima esse.

D. In volvulo ab uncia ad aliquot, si alia remedia irrita fuere.

V. *Emplastrum Suboxydi Hydrargyri*; *Nitras Hydrargyri dilutus*; — — *liquidus*; *Oxymurias Hydrargyri*; *Oxydum Hydrargyri rubrum*; *Pilulae Suboxydi Hydrargyri*; *Submurias Hydrargyri*; *Suboxydum Hydrargyri nigrum*; *Unguentum Nitratis Hydrargyri fortius*; — — — *mitius*; —— *Suboxydi Hydrargyri*.

## HYDROMEL.

### Медъ разведенный водою; сыта.

R. *Mellis despumati* uncias duas,
*Aquae fontis* bilibram.

Coquito, et despuma, donec supersit sesquilibra. Cola. E *mellis crudi* partibus duabus, et *succi petalorum Rosae* expressi parte, commistis, Mel rosatum fit; e succo autem *baccarum Vaccinii Oxycocci*, et *melle* (pari pondere,) leni calore, commistis, jucundum et efficax, Mel Oxycocci, coalescit.

V. *Hydromellis*: solvens; diuretica.

U. Cum *aqua* commisti: in febribus inflammatoriis biliosis pro potu ordinario. *Mel rosatum gargarismata* adversus anginam ingreditur; *Acido* autem *sulphurico* commistum, aphthas purgat, uti *etiam collutoriis* haud male additur. *Mel Oxycocci* variis decocturis misturis et potionibus additum, gratum saporem conciliat, æstum sitimque sedat, et pari passu cum *Oxymelle simplici* procedit.

## HYDROSULPHURETUM POTASSÆ.

KALI SULPHURATUM *Ph. Bor.* HEPAR SULPHURIS *Ph. Ross.*

Сѣрнопоташная печень; сѣрнощелочная водотворная смѣсь.

R. *Subcarbonatis Potassae depurati,*
*Sulphuris sublimati* utriusque pares portiones.

Contrita simul amplo loricato crucibulo immittantur, atque adaptato operculo, et prunis cautim subditis, denique liquefiant. Crucibulo simulac refrixerit, fracto, *Hydrosulphuretum* ablatum, in phiala probe obturanda, reponito.

Q. In *aqua* solubile, *humoresque*, dum aëri exponitur, adtrahit, in *soluta* vero *forma* etiam *Oxygenes. Igne* leni liquatur; intensiori vero decomponitur. Si humefit, extricato *hydrothionico acido*, redolet putrida ova; *saporis* est alcalini, acriculi, amari.

V. Antacida; diaphoretica; resolvens.

U. Ejusdem in fœditatibus cutis cum multo fortius ipso *Sulphure* cieat capillaria vasa omnino commendandus. Ita etiam in pectoris, aut rheumaticis, podagricis adfectionibus; sed ob ingratum *saporem* plerumque ægre et repugnanter sumitur. Ad externum usum efficax est *aqua lotioni* inserviens e *Hydrosulphureti Potassae* parte ad octo *aquae.* BARLONUS laudat in tinea capitis misturam: e *Hydrosulphureti Sodae* drachmis tribus, *Saponis* sesquidrachma, *Aquae Calcariae* unciis septem et semis, *Alcoholis diluti* drachmis duabus, qua bis de die maculæ impetiginosæ irrorantur. A GARNETTO in phthisi pulmonum florida cum æqua *carbonis lignarii* pulverati portione, ad drachmam quinquies de die propinatum cum successu. Quidam post CHAUSSERIUM in tracheitide (croup) et pertussi deprædicant; in primis vero SENFIUS propinatis duobus, quatuor granis, in *aqua, melle* vel *syrupo* secunda quaque hora pro infantibus. Eximio est auxilio ad tollendas *hydrargyroseos*, *Oxydorum Plumbi*, et ipsius *Oxydi Arsenici* funestas sequelas. Drachma ejusdem in selibra

*aquae* soluta, solutione, quovis quadrante horæ, cochleatim sumta, præsentanea esse fertur. NAVIERUS auctor est, ut eidem æqua portio *Ferri limati* adjiciatur, quo elicita majori *hydrogenis sulphurati* copia in *hydrargyrosi* perperam continuata, sequelis *Arsenici*, scrofulosis adfectibus, juvare enixius dicitur. Utiliter adhibetur ad *aquas minerales sulphureas*, arte parandas.

D. Si in cutim tantum et pulmones agere lubet, datur a granis quinque ad decem ter de die. Idem præbium et infantibus angina polyposa correptis adcommodum. In veneficio, si venenum in primis adhuc viis hæret, brevibus intervallis repetendum est, et quidem, quo plus veneni ab ægro sumtum. Adversus *Oxydum Arsenici album*, et *Oxymuriatem Hydrargyri* propinatur drachma ejusdem in libra *aquae* ad semel. Cogitur in pilulas, bolos, vel per modum *pulveris*, vel *electuarii* administratur. Interdum sub usu ejus nausea aut vomituritio movetur et tunc, aut dosis minuenda, aut ab usu ejus supersedendum.

V. *Aqua sulphurata artefacta*; *Gas hydrogenium sulphuratum*.

## HYPEROXYMURIAS POTASSÆ.

### Солекислый пресыщенный поташъ.

R. *Subcarbonatis Potassae* depurati, quantum lubet,
*Aquae communis*, quantum satis.

Solve, et trajice per hanc solutionem in vitro pharm. *Gas acidum oxymuriaticum* ad perfectam saturationem, liquor lenissimo calore evaporet ad punctum crystallisationis, et in loco frigido, ut in crystallos coëat, seponatur, quæ in parva *aquae ferventis* quantitate, solutæ, iterum in loco seponantur frigido, ut denuo crystalli exsurgant.

Q. *Hyperoxymurias Potassae* purus ex *Acidi oxymuriatici* p. 58,3 *Potassae* 39,2 et *aquae* 2,5 coalescit, crystallique ejus sistunt alba, et nitida prismata 5 lateralia, aut tabulas rhomboidales, vel aculeos. In 10 partibus *aquae frigidae* sol-

vitur, *aëre* immutabilis; *igne* vero fusus *gas oxygenium* purissimum largitur, cum corporibus oxydabilibus, nimirum *carbone*, *Phosphoro*, *Sulphure*, contritus, detonat.

V. Oxygenans; systema arteriosum incitans.

U. Morbi asthenici; malus corporis habitus; scorbutus; fœditates cutis: psora; herpes; syphilis; hepatemphraxis etc.

D. A granis quindecim ad scrupulum de die.

V. *Solutio Hyperoxymuriatis Potassae.*

## INFUSO-DECOCTURA LEPIDII RUDERALIS.

### Наливка отварная дикой жерухи.

R. *Herbae Lepidii ruderalis* minutim concisæ unciam, adfundito:
*Alcoholis* uncias duas,
*Aquae simplicis* selibram.

Digerantur leni calore in clauso vase per bihorium sæpius agitando. Post refrigerationem coletur, et residuum, antea fortiter expressum, coquatur cum *aquae* unciis sedecim in vase tecto ad remanentiam unciarum quatuor, dein residuum coletur, et exprimatur fortiter, *decocturaque* colata cum *infuso* misceatur.

D. Secunda quaque hora cochlear tempore apyrexias dialeipyræ danda.

## INFUSO-DECOCTURA PADI.

### Наливка отварная черемховой корки.

R. *Corticis Pruni Padi* unciam,
*Alcoholis diluti* uncias duas,
*Aquae communis* uncias quinque,

digere leniter in vase clauso, post refrigerationem exprime; *Corticem* remanentem coquito:
in *Aquae communis* unciis octo,
ad remanentiam unciarum quatuor.
*Decocturam* colatam cum *infuso* commisce.

V. *Infusum* hoc *alcoholisatum*, cum *decoctura* junctum, virtutem roborantem, et incitantem cum sedante, et antispasmodica unit.

U. In arthrodynia, et myodynia rheumatica diuturna, haud secus ac in adfectionibus paralyticis, quæ hæc mala consequi solent, laudatur. Phthiseos symptomata mitigat.

D. Secunda quaque hora cochlear (vel semuncia) datur.

## INFUSUM ARNICÆ (FLORUM.)

### Наливка цвѣтовъ Баранника.

R. *Florum Arnicae montanae* sesquidrachmam,
*Aquae ferventis* libram,
infundito per sesquihoram, et cola.

U. In typho absque erethismo sanguineo efficax.

D. Unciæ duæ, aut quatuor, ter in die dantur.

## INFUSUM ARNICÆ (RADICIS.)

### Наливка корня Баранника.

R. *Radicis Arnicae montanae* semunciam,
infunde:
*Aquae ferventis* selibram,
digere in stanneo vase, operculo probe clauso, per semihoram, in colatura dein solve:
*Gummi Acaciae verae* drachmam.
Non male, pro re nata, additur *Aether*, aut
*Tinctura Opii crocata.*

U. In neuroblacia interaneorum, borborygmis, et meteorismo symptomatico, astheniæ natales debente; florenti tamen vigori vitali, ad hypersthenia opportuno, alienum.

D. Secunda quaque hora cochlear exhibetur.

## INFUSUM AROMATICUM.

### Наливка ароматная, или пахучихъ травъ.

R. *Specierum aromaticarum* uncias quatuor,
*Aquae ferventis* libras quatuor.

Macera per horam, dein vase clauso per aliquot minuta coque, et cola. Interdum recte addes singulis *aquae* libris: *Muriatis Ammoniae depurati* drachmam, *Acidi acetici diluti* impuri uncias duas, vel *Alcoholis diluti* selibram.

V. *Fomentum aromaticum.*

## INFUSUM CANNABIS.

### Наливка конопляныхъ сѣмянъ.

R. *Seminum Cannabis sativae* integrorum semunciam,
*Aquae bullientis* bilibram,

digerito calide per sesquihoram; dein per quinque minuta coquito et colaturæ addito:

*Syrupi* simplicis, vel
*Sacchari*, quantum lubet.

U. Pro potione ordinaria.

## INFUSUM CATECHU.

### Наливка Катеху.

R. *Extracti Catechu*, drachmas duas et semis,
*Pulveris corticis Lauri Cassiae* semidrachmam,
*Aquae bullientis* uncias septem.

Infundantur *extractum*, et *cortex* cum *aqua* in vase clauso, per bihorium, et liquori colato, adde:

*Syrupi simplicis* unciam.

D. Uncia, tertia quaque hora, in alvifluxibus refractariolis, post singulas sedes liquidas.

## INFUSUM CATECHU OPIATUM.

### Наливка катеху опiатная.

R. *Infusi Catechu* uncias octo,
*Tincturae Opii drachmas* duas;
Misce. Cui interdum additur:
*Tincturae aromaticae* uncia, vel
*Mucilaginis Acaciae verae* unciæ duæ.

V. Adstringens; sedans.

U. Diarrhœa, lienteria, dysenteria, sanguifluxus intestinorum.

D. Semuncia, tertia quaque hora. Illico, ut factum est, ne præcipitetur *Opium*, præbeatur, vel ante singula præbia conquassetur phiala.

## INFUSUM CHAMOMILLÆ KALINUM.

### Наливка ромашковыхъ цвѣтовъ поташная.

R. *Infusi florum Chamomillae* sesquilibram,
*Subcarbonatis Potassae depurati* drachmam;
Misce.

V. Peptica; antacida; leniter diuretica.

D. Selibra ad libram.

## INFUSUM DIGITALIS.

### Наливка листовъ Наперстянки.

R. *Foliorum Digitalis purpureae* (tempore florescentis plantæ collectorum, et in umbra siccatorum) semunciam;
*Aquae fervidae* uncias viginti.

Infunde vase clauso, refrigeratum cola, cui non alienum erit adjicere:

*Tincturae aromaticae* unciam.

V. Colaturæ cochlear majus, æqualem vim *pulveris foliorum* grano, prodit, bis vel ter per diem adultis dando.

R. *Foliorum Digitalis purpureae* siccatorum drachmam,
*Aquae ferventis* uncias octo.

Macera in vase leniter clauso per quadrihorium et dein colaturæ admisceto:

*Tincturae aromaticae* unciam.

Hæc formula est accommodatissima, qua in primis virtus *Digitalis* exseritur, quæve exhibetur per diem bis unciatim donec lotium ciet, addito, et gustus gratia, et ad præcavendam nauseam et actionem *Digitalis* sedativam minuendam *aromate*; si vero loco *aromatis* tantumdem *Aetheris nitrici alcoholisati* addideris, vis remedii diuretica intenditur. Si alvum moverit, singulæ dosi *Tincturae Opii* guttae octo, instillantur. In debellando hydrope plus centuplici, et læto effectu, sese probavit.

## INFUSUM GENTIANÆ COMPOSITUM.

### Наливка корня Горечавки сложная.

R. *Radicis Gentianae luteae* semunciam,
*Fructus Citri Aurantii* immaturi,
*Radicis A. Zingiberis* utriusque drachmam,
*Alcoholis diluti* uncias quatuor,
*Aquae* libram.

Adfunde primum *Alcohol*, dein post tres horas *aquam*, tum digere leni calore per horas duodecim, et cola.

D. Unciæ duæ, bis terve de die.

## INFUSUM LINI.

### Наливка льняныхъ сѣмянъ.

R. *Seminum Lini* uncias duas,
*Radicis Glycyrrhizae glabrae* semunciam,
*Aquae ferventis* libras quatuor.

Infunde ad focum per horas tres, et cola.

Cui interdum additur:

*Succus Citri medicae*, vel *Roob Oxycocci*, vel *Oxymel simplex*, vel *Saccharum purum*, ad gratam aciditatem dulcedinemque.

U. Dysuria, Catarrhus, pneumonitis, blennorrhœa, ischuria incipiens. Nephritidi, splenitidi, hysteritidi, auxilio est; ceteris vero phlegmasiis, ut cystitidi, liquida talis modi, tantum abest, ut mollimentum præstent, ut potius onere suo et malum irritent, et conflictantem in discrimen vitæ conjiciant.

## INFUSUM RHEI.

### Наливка ревенная.

R. *Radicis Rhei palmati* pulveratæ sescunciam,
*Subcarbonatis Potassae* depurati sesquidrachmam,
*Aquae communis* fervidæ libram.

Maceratis in vase clauso per duodecim horas admisceto colaturæ unciarum decem expressæ:

*Alcoholis diluti* unciam.
Serva usui.

D. A drachma ad semunciam et ultra bis de die.

V. *Mistura Taraxaci composita.*

## INFUSUM RHODODENDRI.

### Наливка кашкарная.

R. *Foliorum Rhododendri Chrysanthi* siccatorum drachmas duas,

Infunde:
*Aquae fervidae* libram,

Committe vasi fictili luto oblito. Digere leni calore per horas duodecim, liquoremque cola.

D. Unciæ duæ alterna quaque hora, ad quartam vicem, nisi vertigo, nausea, vomitus, vel alia mali ominis indicia ulteriorem administrationem vetarint.

## INFUSUM SENNÆ.

### Наливка Сенны слабительная.

R. *Foliorum Cassiae Sennae* sescunciam,
*Seminum Anethi Foeniculi*, vel
——— *Pimpinellae Anisi* contusorum, semunciam,

*Supertartratis Potassae* drachmas duas,
*Aquae fontalis* libram,
*Supertartratem Potassae* in *aqua* coquendo, liquorem adhuc ferventem *Sennae* et *seminibus* affunde.

D. Unciæ duæ, tres, pro prima dosi; dein vero quavis hora unciatim, donec alvo semel, bis, terve ducta, gastricæ sordes importunæ fuerint exterminatæ.

## INFUSUM SENNÆ SALINUM.

Наливка Сенны горько-соленая.

R. *Foliorum Cassiae Sennae* drachmas duas,
adfundito:
*Aquae communis fervidae* uncias quatuor,
macera per semihoram, et in expressa colatura solvito:
*Sulphatis Magnesiae*, vel
——— *Sodae* drachmas sex,
*Mellis despumati* semunciam.
Detur pro dosi, eidem, cui prius, scopo inserviens.

## INFUSUM SERPENTARIÆ.

Наливка кирказонная.

R. *Radicis Aristolochiae Serpentariae* semunciam,
adfunde:
*Aquae bullientis* libram,
stent per semihoram in vase clauso, et cola.

D. Semuncia, uncia, secunda vel tertia quavis hora, secundum res circumstantes.

## INFUSUM TABACI.

Наливка листовъ табачныхъ.

R. *Foliorum Nicotianae Tabaci* drachmas duas,
*Aquae ferventis* uncias quatuor,
infunde in vase clauso in balneo aquoso per horas sex, infuso expresso adde:

*Alcoholis* unciam.

D. Guttæ viginti ad drachmam dosin sensim sensimque augendo. Vel

R. *Foliorum Nicotianae Tabaci* drachmas duas,
*Vini albi Hispanici* libram.

Macera per septimanam, et per chartam cola.

D. Semidrachma ad sesquidrachmam ex quovis potu conveniente. *Nicotiana Tabacum* protracto usu, ventriculo insidias struit, succum gastricum vitiat, orexin minuit.

## INFUSUM TORMENTILLÆ COMPOSITUM.

### Наливка узиковая сложная.

R. *Extracti Tormentillae erectae* drachmas duas,
*Corticis Lauri Cassiae* scrupulos duos,
*Aquae ferventis* uncias septem,
*Syrupi simplicis* unciam, vel
*Mellis despumati* semunciam.

Macera *extractum*, et *corticem* per bihorium, dein colaturæ *Syrupum* vel *mel* addito.

U. Ejus in chronicis diarrhœis unciatim tertia, vel hora quavis quarta propinati. Additis aliquot *Tincturae Opii* guttis, efficacius est. Hoc iisdem pollere virtutibus, quibus *extractum Catechu*, et *succus Eucalypti concretus* claret, experiundo didicimus.

## INFUSUM VALERIANÆ.

### Наливка маунная.

R. *Radicis Valerianae officinalis* incisæ unciam,
adfunde:
*Aquae bullientis* libram,

stent per horam in vase clauso et cola; interdum adduntur:

*Aetheris sulphurici alcoholisati* drachmæ duæ, vel
*Tincturae aromaticae*, vel
——— *Calami* semuncia.

D. Unciæ duæ, plus vel minus, pro re nata, exhibentur.

Eodem modo parantur:

INFUSUM ABSINTHII H. Полынная.

——— BACCARUM JUNIPERI. H. Можжевельная.

——— COCHLEARIÆ ARMORACIÆ. H. Хрѣновая.

(Si libræ *infusi Cochleariae Armoraciae* tantumdem *seminum Sinapeos nigrae* et unciam *Alcoholis Cochleariae Armoraciae* addideris egregium remedium in myodynia rheumatica (chronica,) paralysi, in quibusdam hydropiseos formis et scorbuto obtinebis.) —

INFUSUM CHAMOMILLÆ. H. Ромашковая.

——— SAMBUCI. H. Бузинная.

——— SALVIÆ. H. Шалфейная.

——— MENTHÆ CRISPÆ. H. Мятная.

——— MENTHÆ PULEGII. H. Полейная.

——— ANGELICÆ. H. Дягильная.

——— CALAMI. H. Аирная.

——— CHENOPODII. H. Мари душистой.

——— PHELLANDRII. H. Укропника водянаго.

## LINIMENTUM ACETATIS CUPRI.

OXYMEL ÆRUGINIS .*Ph. Ross.*

Мазь уксусокислой мѣди.

R. *Acetatis Cupri* unciam,
*Acidi acetici diluti impuri*,
*Mellis despumati*, utriusque libram.

Primum *Acetas Cupri* solvatur in *Acido acetico diluto*, et postea admisceatur *Mel despumatum* et in sartagine cuprea coquatur ad consistentiam *syrupi*.

U. Vel adhibetur per se, aut dilutum *aqua*, vel etiam, si ita visum fuerit, excipitur *Unguento resinoso*, et tum ulceribus scrofulosis, aliisve refractariolis admovetur, magna cura cavendo, ne devoretur. Videsis: ACETATEM CUPRI.

## LINIMENTUM ACIDUM.

M. Солекислая.

R. *Mellis despumati* unciam,
*Acidi muriatici* guttulas viginti.
Misce. Idem cum *Acido nitrico* parari potest.

U. Ulceribus faucium putescentibus, scarlatinæ anginosæ, vel atonicæ, penicillo admotum, et id genus aliis prodest.

## LINIMENTUM ACIDUM PINEO-OLEOSUM.

M. Сѣрнокислая скипидарная.

R. *Olei pineo-laricini* uncias duas,
— *olivi* uncias quinque,
*Acidi sulphurici* sesquidrachmam.
Commisceantur.

U. Adusta; contusura; distorsio; erythema e morsiunculis insectorum; ecchymoma; præcipue perniones. Rejecto *Acido sulphurico* ad ventrem fricandum bis de die in hydrope, et ischuria valet.

## LINIMENTUM AMMONIÆ.

Linimentum volatile. *Ph. Ross.*

M. Щелочнолетучая, аммiаковая.

R. *Olei olivi* vel,
—— *sesamini* partes tres
*Ammoniae liquidae* partem.
Misce.

U. Myodyniæ rheumaticæ, doloribus spasticis, vel aliis (ab inflammatione internarum partium) stipatæ, anginæ etc., conducit.

## LINIMENTUM AMMONIÆ CAMPHORATUM.

M. Аммiаковая камфорная.

R. *Camphorae* partem,
*Olei olivi*, vel
—— *sesamini* partes octo

*Ammoniae liquidae* partes tres.

Fiat linimentum.

U. In nevroblacia, ut in paralysi, impotentia virili, ulceribus atonicis, scorbuticis, phagedænicis, pernione et id genus aliis, debilitatem indicantibus, in eo auxilium est.

## LINIMENTUM BILIS SALINUM I.

M. Желчно-соленая 1.

R. *Bilis taurinae* recentis unciam,
*Muriatis Sodae depurati* semunciam,
*Aquae tepidae* unciam,
Solve et adde:
*Olei olivi* semunciam, vel
quantum satis, ut fiat linimentum.

U. Struma hoc *linimento* adsidue perfricanda est, dein vero EMPLASTRUM AD STRUMAM illico superdandum, subjunctis, ut præscriptum est, PULVERE SPONGIÆ COMPOSITO et TROCHISCIS EJUSDEM.

## LINIMENTUM BILIS SALINUM II.

M. Желчно-соленая 2.

R. *Bilis taurinae recentis*, quantum vis
*Muriatis Sodae depurati*,
*Olei nucum Juglandis* utriusque, quantum satis ad consistentiam. Misce.

U. Ad tumores scrofulosos, aliosque astheniæ notas ferentes, discutiendos (HUFELAND,) peridoneum.

## LINIMENTUM CALCAREUM.

M. Водо-известковая.

R. *Olei Lini usitatissimi* recentis,
*Aquae Calcariae*, utriusque pares portiones.
Misce conquassando

U. Excoriationibus, adustis etc., conducibile.

## LINIMENTUM OXYDI HYDRARGYRI RUBRI.

M. ртутнокрасной окиси.

R. *Oxydi Hydrargyri rubri* subtilissime pulverati granum,
*Olei nucum Juglandis regiae* drachmam ad sicilicum.
Misce.

U. *Oleum Juglandis* recenter expressum, jam solum ad pannos oculorum tollendos commendatur, si malum non est adhuc inveteratum, atque in subjectis minus sensibilibus, illico post chemosin profligatam panno, ope penicilli, vel pennæ columbinæ, illinitur. In minus sensibilibus *oleum vetustum*, atque ad ranciditatem fere inclinans, plus efficit. Si autem morbus est inveteratus, additio *Oxydi Hydrargyri rubri* re est, quod a grano ad tria usque augeri potest, successive tamen, exigente in primis id mali pertinacia. Interdum leucomata et staphylomata spuria, proptoses corneæ, (rarius iridis simul) obfuscatæ deformiter propendentis, at integræ, nec ruptæ, nec exesæ a morbose collecto humore distentæ hoc *linimento* debellata fuisse perhibentur. Infantibus neonatis, quibus subinde a mitiori ophthalmitidis gradu, pannis teguntur oculi, ita admovetur hoc *linimentum*, ut resupinatis cantho anteriori (ob clausas firmiter palpebras) instilletur. Penetrat sensim rimas palpebrarum, utut clausas, et ad locum pervenit adfectum; copiosius autem apertis postea oculis.

## LINIMENTUM OXYMURIATIS HYDRARGYRI.

M. Солепресыщенной ртути.

R. *Oxymuriatis Hydrargyri* grana octodecim,
*Muriatis Ammoniae depurati* drachmam;
*Aquae destillatae* libram,
solve, misce et adde:
*Cerati simplicis*, vel
*Unguenti Superacetatis Plumbi* libram.
Fiat linimentum.

## LINIMENTUM PHOSPHORI AMMONIATUM.

M. Фосфорно-амміаковая.

R. *Phosphori* semiscrupulum,
solve in
*Olei pineo-laricini* uncia,
— *camphorati* semuncia,
adde:
*Ammoniae liquidae* uncias duas.
Misce, fiat linimentum.

V. Excitans; resolvens.

## LINIMENTUM RESINOSUM.

M. Смолистая.

R. *Unguenti resinosi*,
*Olei pineo-laricini*, utriusque pares portiones,
*Oleum* paulatim misce cum *unguento* liquefacto.

U. Ulceribus putescentibus, gangrænosis et quæ cacoëthe vocant, auxiliatur.

## LINIMENTUM SAPONIS AMMONIATUM.

M. Мыльно-амміаковая.

R. *Solutionis Saponis*,
*Acetatis Ammoniae liquidi*, utriusque unciam,
*Ammoniae liquidae* semunciam.

V. Stimulans; solvens; rigiditati partium mollium post contusuras convenit; vel

R. *Acetatis Ammoniae* uncias quatuor,
*Solutionis Saponis* uncias duas. Misce.

V. et U. ut et præcedentis. Hoc tamen illo debilius est.

## LINIMENTUM SAPONIS RUBEFACIENS.

M. Мыльная раздражающая.

R. *Olei olivi* partes quatuor,
— *pineo-laricini*,

*Aquae fontis,*
*Ammoniae liquidae* singulorum partem.
Misce.

V. Egregie stimulans.

U. Paralysi, rheumaticæ myodyniæ, arthrodyniæ, doloribus spasmodicis, idoneum. Interdum additur præcedenti miscelæ: *Solutionis Saponis* æqua portio, et *Tincturae Lyttae* partes duæ.

### LINIMENTUM SAPONIS RUBEFACIENS FORTIUS.

М. Мыльная сильнѣе раздражающая.

R. *Saponis pineo-oleosi* uncias duas,
*Olei pineo-laricini* unciam,
solve in
*Alcoholis diluti camphorati* unciis octo,
adde:
*Ammoniae liquidae* sescunciam,
*Tincturae Lyttae* semunciam
ut fiat linimentum solvendo leni calore *saponem* in *oleo*, et addendo cetera.

V. Præstans stimulans; solvens etc.

U. Myodynia rheumatica, arthrodynia, paralysis. Idem *linimentum*, *linimenti Saponis ammoniati*, vicem persæpe obit, et etiam pro *embrócatione* adhiberi potest.

### LINIMENTUM SIMPLEX.

М. Простая, масляно-восковая.

R. *Olei olivi*, vel
*Alterius congrui* partes quatuor,
*Cerae flavae* partem.
Colliquefiant in linimentum.

### LINIMENTUM STIBIATUM.

Мазь мыльно-сурьмяная.

R. *Tartratis Stibii et Potassae* drachmam,
*Solutionis Saponis* semunciam,

*Aquae purae* uncias quatuor.
Misce fiat linimentum.

## LINIMENTUM SUBOXYDI HYDRARGYRI.

M. Ртутная.

R. *Unguenti Suboxydi Hydrargyri*,
*Adipis suillae depuratae*, utriusque uncias quatuor,
*Camphorae* unciam,
*Alcoholis* guttas quindecim,
*Ammoniae liquidae* uncias quatuor.

*Camphora* cum *Alcohole*, dein vero cum *adipe* et *unguento* contrita, tandem paulatim *Ammonium liquidam* instilla, cunctaque commisceto.

V. Stimulando vasculare (præprimis vero lymphaticum) et musculare systema, reactionem vis vitæ expeditiorem reddit, quapropter in variis morborum formis infricando fit apprime idoneum remedium.

## MAGNESIA.

Magnesia usta *Ph. Bor.*; Magnesia pura *Ph. Ross.*

Магнезія пересженая.

R. *Subcarbonatis Magnesiae* quantum lubet,
In crucibulo probe tegendo, per sesquihoram igne fortiori rubescat ac dein frigefacta, in lagenam obturamento vitreo muniendam, immissa, usui servetur. Si tamen cum *acidis*, quod interdum evenit, effervescentiam excitarit, calcinationem protrahendam esse, etiam me tacente, liquet.

Q. *insipida* est, et *inodora*, alba, neque *aqua* solubilis; *Acido* autem *carbonico* impraegnata solvitur. Grana ejusdem 45 æqualia censentur granis 100 *Subcarbonatis Magnesiae*. Permista cum *Calcaria* improbatur.

V. Absorbens, quin ructus, ut *Subcarbonas* ejusdem, excitet; laxans vero, acore in primis viis adtracto.

U. Ad subigendum succi gastrici acorem, atque in affec-

tionibus hinc pullulantibus, puta soda etc., commendatur, et quoniam *Subcarbonas* ejusdem tertiam fere *Acidi carbonici* partem tenet, quod aeriformiter extricatum, ructus flatusque producit molestos, haud immerito præfertur huic in morbis præsertim infantum, et hypochondriacorum ex acore primarum viarum originem trahentibus, et tunc pro re nata cum *Elaeosacchuro A. Foeniculi*, *Menthae piperitae*, aut urgentibus spasmis cum *succo Hyoscyami spissato*, nuptum, aut *Oxydo Zinci* imperatur. Valet etiam ad acria ventriculoque noxifera, involvenda. Fluida forma sumi potest tantum cum *gummi Acaciae verae*, *Saccharo*, sorbitionemque hac ratione puellis cita alvo aut acrimonia bilis acida laborantibus non inutilem præbet. Adhibetur etiam *Magnesia*, urgente dysodontiasi, ad curanda aphthosa infantum ulcera. Efficacissima est sane, ut quidam neoterici; in primis vero WOLLASTON, MARCET, et BRANDE, analysi calculorum probarunt, adversus urolithiasin; neque enim nobis latet, nucleos calculorum in renibus productos *acidum lithicum* (*uricum*,) pro basi tenere, (sedimento in matula rubro se prodens,) quod *Magnesia* in primis, et alia ejusdem indolis, puta: *sales kalini fixi*, *Subcarbonates Sodae* et *Potassae*, *Aqua Calcariae*, *Sapo*, si non coërcent prorsus, (calculos solvendo,) ad minimum secretioni ejusdem, genesi calculorum faventi, officiunt. Si sedimentum lotii albescit, vel in cinereum vergit colorem, calculos esse solubiliores, et *Phosphatem Calcariae*, — *Ammoniaco-Magnesiae*, *Oxalatem Calcariae*, *Oxydum cysticum*, — *xanthicum*, tenere in propatulo est, et tunc *acida* varia, puta: *citricum*, *carbonicum*, vel *muriaticum*, pro virtute, qua pollent, lithontriptica, adcommodatiora esse credendum est. Conjunctio *Magnesiae* (pro interno usu,) cum *Acido tartarico* sat vulgaris, qua *sal neuter Magnesiam* facultate antacida fraudans, pronascitur, damnanda est. Decomponuntur *Magnesia Supersulphas Aluminae et Potassae*, *Murias Ferri*, *Supertartras Potassae*, *Oxymurias*, *et Submurias Hydrargyri*, *Carbonas Ammoniae*. Efficaciam *Cinchonae* intentiorem reddere fertur.

D. A granis decem ad scrupulum datur.

## MASSA ACETATIS CUPRI COMPOSITA.
*vulgo* LAPIS DIVINUS.

Составъ уксусокислой мѣди сложный; врачебный камень.

R. *Acetatis Cupri*,
*Supersulphatis Aluminae et Potassae*,
*Nitratis Potassae* singulorum unciam.

Misce et liquefac in balneo arenæ, solerter vitata *Nitratis Potassae* detonatione; sub finem adde:
*Camphorae* tritæ drachmam ad drachmas duas.
Misce.

V. *Collyrium Cupri compositum; — — opiatum.*

## MEL DESPUMATUM.

Медъ выпѣненный, очищенный.

R. *Mellis crudi*, quantum lubet,
*Aquae communis*, quantum satis.

Coquatur despumando, donec *Syrupi* crassitudinem fecerit, *Misturis, decocturis, infusionibus* additur variis.

V. *Hydromel; Linimentum Acetatis Cupri; — acidum; Mel Oxycocci.* Videsis: HYDROMEL.

## MISTURA ACETATIS POTASSÆ JUNIPERINA.

Смѣшеніе уксусокислаго поташа можжевельное.

R. *Subcarbonatis Potassae depurati* semunciam,
*Acidi acetici diluti*, quantum satis ad saturationem, dein adde:
*Decocturae Juniperi communis* (ex unciis duabus *baccarum* ejusdem præparatæ,) libram,
*Olei pineo-laricini*, in *Vitello ovi* soluti, drachmam,
*Mellis communis* unciam. Misce.

D. Secunda quaque hora vasculum dimidium in hydrope.

## MISTURA ASSÆ FŒTIDÆ.

См. Дурно-пахучее.

R. *Gummiresinae Assae foetidae* drachmam,

*Acetatis Ammoniae liquidi* semunciam,
*Aquae aromaticae* sescunciam,
solve.

U. In asthmate spasmodico acuto (Millar,) subjuncto lystere Assæ fœtidae, vel eodem opiato; remittente utem malo, Haustu Cinchonæ, propinato, tertia quaque ora repetendo.

D. Secunda quaque hora cochlear dandum.

## MISTURA ASSÆ FŒTIDÆ COMPOSITA.

### См. дурнопахучее сложное.

R. *Solutionis Assae foetidae* uncias octo,
*Acetatis Ammoniae liquidi* uncias quatuor,
*Tincturae aromaticae*,
——— *Digitalis*, utriusque semunciam.

U. Asthmati, hydropisi, phthisi pituitosæ, hæmoptysi adcommodata mistura (Rogers.) Eadem, ut præcedens, dosi orrigenda.

## MISTURA CAMPHORÆ.

### См. Камфорное.

Fit eodem modo, quo *Acetum* ejusdem, hac tamen sub distinctione, quod loco *Acidi acetici diluti impuri* adhibeatur qua quælibet *aromatica*, vel *mucilago gummi Acaciae verae*; non st tamen ita conservabilis *Mistura*, ut *Acetum camphoratum*.

## MISTURA CAMPHORÆ ACETATA.

### См. Камфорно-уксусное.

R. *Camphorae* drachmam,
*Alcoholis* scrupulum,
tritis sensim admisce:
*Gummi Acaciae verae* pulverati,
*Sacchari albi* utriusque unciam,

*Acidi acetici diluti* sesquilibram.

Servetur usui in vitro bene obturando.

V. Leviter stimulans sub initio, dein narcotica, secretiones præsertim per exhalationem cutaneam sollicitans.

U. Variis asthenicis morbis, typho, cynanche malignæ, podagræ retrocedenti, variolis retrogradis, facultate stimulante, opitulatur. Pneumonitidi vero, myositidi rheumaticæ, maniæ et ceteris astheniæ notas ferentibus, vi, qua pollet, narcotica, antispasmodica, adcommodatior.

D. A semuncia ad duas uncias et amplius, sæpius de die, vitrum fortiter ante singula præbia, conquassando, exhibetur.

## MISTURA CARBONATIS CALCARIÆ COMPOSITA.

### См. Мѣловое сложное.

R. *Carbonatis Calcariae* praeparati,
*Gummi Acaciae verae* pulverati,
*Sacchari puri* singulorum drachmas duas.
Tere simul, dein sensim adde:
*Vini Ipecacuanhae* sesquidrachmam,
*Tincturae Opii* drachmam,
——— *aromaticae* sescunciam,
*Aquae fontanae*, vel
——— *Menthae piperitae*, vel
——— ——— *crispae* uncias octo.
Misce.

V. Antacida; peptica; adstringens.

U. Cardialgia, diarrhœa, dysenteria sub finem.

D. Uncia ad duas, ter, pro re nata, de die.

## MISTURA CERÆ ADSTRINGENS.

### См. Воска вяжущее.

R. *Cerae flavae* drachmas duas,
*Mucilaginis gummi Acaciae verae* semunciam,

Liquefactis igne, trituratione continua, adfundito:
*Infusi Angelicae*, vel
—— *Valerianae off.* uncias septem,
dein solve:
*Extracti Catechu* drachmas tres, vel
—— *Tormentillae* tantumdem,
*Mellis communis* unciam.
Commisce.

U. In dysenteria, diarrhœa diuturna, abnormi irritabilitate, doloribus abdominis, stipata, in primis subductis cruditatibus, aut iisdem per superiora *pulvere* C. *Ipecacuanhae* eliminatis, magnæ est efficaciæ.

D. Omni hora semuncia (conquassando) præbetur.

## MISTURA CHELIDONII MAJORIS.

См. Экстрактно-чистяковое.

R. *Succi Chelidonii spissati* drachmam,
solve in
*Aquae destillatae* unciis quatuor,
adde:
*Oxymellis scillini*,
*Syrupi Heraclei* utriusque unciam.

D. Quarta quaque hora cochlearia duo exhibentur.

## MISTURA CINCHONÆ.

См. Хинное.

R. *Corticis Cinchonae off.* pulverati unciam,
*Extracti Glycyrrhizae* drachmam, vel
*Mucilaginis Acaciae verae* uncias duas,
*Aquae fontis* libram,
*Tincturae aromaticae* semunciam, vel
—— *Cinchonae* unciam.

Quibus, si opus addito: *Acidi sulphurici diluti* drachmas duas. Ante singula præbia conquassetur phiala.

## MISTURA CITRATIS POTASSÆ STIBIATA.

### См. Лимонокислаго поташа сурьмяное.

R. *Subcarbonatis Potassae depurati* drachmas duas,
*Succi fructus Citri medicae* uncias tres, vel quantum sufficit ad saturandum, peracta effervescentia addito:
*Aquae Menthae p.* uncias tres vel quatuor,
*Tartratis Stibii et Potassae* grana duo, vel
*Vini stibiati* unciam,
*Syrupi simplicis* tantumdem,
ut mensura totius misturæ sit unciæ octo.

Scire licet, *Misturam Riveri*, nil aliud esse, quam *Citratem Potassae liquidum*, unciatim per se, vel idoneo vehiculo exhibendum. Additis singulæ *ejusdem* unciæ, sex guttis *Tincturae Opii* sudorem cit, et cito, et efficaciter.

V. Excretiones promovens et præcipue exhalationem dermaticam, HAUSTUI SUDORIFERO, æquiparabilis.

U. In perfrictione et morbis hinc oriundis, inflammationibus sthenicis, asthenicis.

D. Uncia, subsequentibus vero bihoriis semuncia, vel prout necessitas exegerit; ad vomitionem vero cohibendam sine *stibiatis* recte adhibetur. Si loco *Succi Citri*, *Acidum aceticum impurum dilutum* adhibueris, *Acetatem Potassae liquidum* obtinebis, et tunc *mistura*, vi urinam ciente et cathartica, hydropisi conveniet (Videsis: MISTURAM ACETATIS POTASSÆ JUNIPERINAM.

## MISTURA HERACLEI GUMMIFERI.

### См. аммонiачное.

R. *Gummiresinae Heraclei gummiferi* drachmas duas, solve in
*Aquae Menthae crispae*, vel
—— *Anethi Foeniculi* vel
—— *fontanae* unciis septem,

et adde:

*Tincturae aromaticae* drachmas duas,

*Oxymellis scillini* unciam.

V. Stimulans; attenuans pituitam, lotium et sudorem movens.

U. Dyspnœa, pneumonitis asthenica, hydrops, morbi pulmonum pituitosi, splanchemphraxis.

D. Uncia, vel sescuncia, tertia, vel quarta quaque hora. Singulis dosibus interdum adduntur:

*Subcarbonatis Ammoniae*, vel

——— *Potassae depurati* grana duodecim, vel

*Tincturae Opii camphoratae* semidrachma ad duas drachmas.

Si *gummiresinae Heraclei gummiferi* drachmæ duæ in *Aquae fontis*, vel *Aquae Menthae crispae*, vel *Aquae Foeniculi* unciis septem sunt solutæ, *lac* ejusdem, sic dictum, habebis.

## MISTURA JUGLANDIS.

См. Волоскоорѣховаго экстракта.

R. *Extracti nucum Juglandis* immaturarum semunciam,

*Aquae Lauri Cinnamomi* unciam,

*Syrupi simplicis*, vel

*Mellis* sesquidrachmam. Misce conquassando.

U. Helminthiasis; præsertim vero ascarides lumbricoides.

D. Ter de die triginta guttæ bimulis, trimulisque pueris exhibendæ, adultis guttæ centum in die.

## MISTURA MAGNESIÆ.

См. Углекислой магнезіи.

R. *Subcarbonatis Magnesiae* drachmam,

*Aquae fontanae*, vel

——— *Menthae crispae*, vel

——— ——— *piperitae* selibram,

*Tincturae aromaticae* drachmas duas,

*Ammoniae liquidae* drachmam.

Misce.

D. Uncia ad duas, pro re nata, vel sumto cibo, si cardialgia urget.

## MISTURA MILLEFOLII.

### См. Экстракта Тысячелистнаго.

R. *Extracti Millefolii* semunciam,
*Aquae Menthae piperitae* uncias duas,
*Elaeosacchari Menthae* semunciam.

U. In hypochondriasi, propinato, ter in die, cochleari.

## MISTURA MURIATIS AMMONIÆ STIBIATA.

### См. Солекислаго аммiака сурьмяное.

R. *Muriatis Ammoniae depurati*,
*Extracti Glycyrrhizae*,
——— *Absinthii* singulorum drachmam,
solve in
*Aquae Menthae piperitae* unciis quatuor,
adde:
*Vini stibiati* drachmam.

U. Dialeipyris convenit, exhibito secunda quaque hora cochleari (vel duobus,) tempore apyrexias.

## MISTURA MYRRHÆ FERRATA.

### См. Смирны желѣзистое.

R. *Pulveris gummiresinae Myrrhae* drachmam,
*Carbonatis Ferrri praecipitati* semidrachmam,
*Syrupi Zingiberis* semunciam,
simul tere et adde:
*Aquae Menthae piperitae* selibram,
*Tincturae Cinchonae compositae* semunciam.
Misce.

V. Stimulans; tonica; peptica.

U. Cachexia, phthisis, cacochymia, exhibita, bis terve de die, sescuncia.

Quandoque vices superioris supplet sequens:

R. *Tincturae Muriatis Ferri* uncias duas,
——— *aromaticae* semunciam.
Misce.

D. Drachma ter de die ex vasculo INFUSI M. CHAMOMILLÆ.

## MISTURA MYRRHÆ FERRATA MITIOR.

### См. Смирны желѣзистое слабѣйшее.

R. *Gummiresinae Lauri Myrrhae* drachmam,
*Subcarbonatis Potassae depurati* grana viginti quinque,
*Aquae Menthae Pulegii* selibram,
*Sulphatis Ferri* triti scrupulum,
*Tincturae aromaticae* semunciam,
*Syrupi Heraclei* sescunciam.

*Gummiresinae*, *Subcarbonati Potassae*, *Syrupo*que simul contritis, *Aquam* et *Tincturam* adjicito; dein vero *Sulphatem Ferri* et *misturam* in vase vitreo, rite obturato, nec non ad obturaculum usque repleto, ne major *Ferri* oxydatio fiat, serva.

V. et U. ut et præcedentis. Mistura hæcce minus irritans, quam præcedens, vel cetera *Ferri praeparata*, continet *Ferrum* in minimo oxydationis gradu, plus attamen *Acidi carbonici*, quam *Suboxydum Ferri* (*Ferri rubigo*,) ubi *metallum* maximo oxydationis in gradu est. Persæpe in hecticis febribus, quibusdamque phthiseos formis, catarrho chronico, chlorosi et ceteris morbis, ubi virtus ejus tonica valet, adhibetur, idque unciatim bis de die.

## MISTURA NITRATIS POTASSÆ.

### См. Селитряное.

R. *Nitratis Potassae depurati* drachmam,
*Aquae Menthae piperitae* vel
——— *fontinalis* uncias tres.
*Solve et* adde:
*Acidi acetici diluti impuri* sescunciam.

D. Uncia, tertia vel quarta quaque hora. Interdum singulis dosibus adduntur: *Tincturae Opii* guttæ quinque, ad quintam vel sextam vicem, intercapedine nychthemeri.

## MISTURA SCILLINA.

См. Морсколуковое.

R. *Aquae Menthae piperitae* uncias quatuor,
*Syrupi Scillae*, vel
*Oxymellis ejusdem* uncias duas.
Misce.

Cui interdum additur: *Tincturae Opii camphoratae* uncia.

U. Sputum et lotium movendo, in tussi pituitosa, pneumonitide asthenica et similibus prodest, semuncia ad unciam, quater de die, exhibita.

## MISTURA TARAXACI.

См. Экстракта одуванчиковаго.

R. *Extracti Taraxaci liquidi* uncias duas,
*Aquae Menthae piperitae* selibram,
*Mellis despumati* unciam.

U. In infarctibus viscerum, ictero etc., subjuncto *clystere* e *Speciebus resolventibus*, vel, pro re nata, e *Sopientibus*.

## MISTURA TARAXACI COMPOSITA.

См. Экстр. одув. сложное.

R. *Acetatis Potassae liquidi*,
*Extracti Taraxaci*,
*Infusi Rhei*,
*Mellis despumati*, singulorum pares portiones.

U. In iisdem morbis propinato cochleari tertia quaque hora. Tantumdem *Tincturae Gentianae* addi potest.

## MOSCHUS ARTIFICIALIS.

### Мскусъ искуственный.

R. *Olei Succini depurati* drachmam,
huic sensim, sensimque, et cautim
instilla:
*Acidi nitrico-nitrosi* semunciam,
ut coëant in massam flavidam, *aqua* dein ferventi eluendam, usuique servandam.

Q. Hæc resinosa massa est fragrantissima *odore Moschum*; (ast, si crematur, spirat parum ammoniacalem;) *colore* autem *corticem Citri Aurantii* æmulans, in *Alcohole* perfecte solubilis.

V. Iisdem fere pollet viribus, quibus *Moschus naturalis*.

U. A Swieteno, Stöllero, pro succedaneo *Moschi naturalis*, commendatus, atque præsertim adversus epilepsiam adhibitus est, haud secus ac scelotyrbe, pertussi, asthmati, aliisque, his similibus, morbis, obpositus.

D. Exhibetur in *pulvere* a granis decem ad scrupulum, vel in *tinctura*.

## MUCILAGO ACACIÆ VERÆ.

### Слизь камеди Аравійской.

R. *Gummi Acaciae verae pulverati* partem,
*Aquae bullientis* partes duas.
Solvito *gummi* triturando cum *aqua*, per vices adfusa, ut redigatur in mucilaginem.

V. Involvens; leniens; nutriens.

U Internus, et externus. Ad effingenda *catapotia*, peridonea. In variis corporibus solvendis, et *aquae* adpropriandis, uti *Camphora*, *Oleo*, et *resinis* optimum præbet ministerium. Ut subigatur sicilicus *olei unguinosi*, cum *aquae* uncia, requiritur drachma *mucilaginis* hujus. Ita paratur: Mucilago gummi Pruni domesticæ.

## MUCILAGO SEMINUM LINI.

### Сл. Льняныхъ сѣмянъ.

R. *Seminum Lini usitatissimi* integrorum unciam,
*Aquae communis* uncias decem,
Coque leni calore, sub perpetua agitatione, ad remanentiam selibræ. Cola et exprime per linteum vetustum.

## MURIAS AMMONIÆ DEPURATUS.

### AMMONIUM MURIATICUM *Ph. Bor.*; SAL AMMONIACUM DEPURATUM *Ph. Ross.*

### Солекислый амміакъ очищенный; чистый нашатырь.

R. *Muriatis Ammoniae venalis*, quantum lubet,
*Aquae fervidae* triplam quantitatem,
Solve, dein filtra, et leni igne evapora ad pelliculam, postea in loco frigido sepone, ut crystalli formentur in charta bibula siccandæ. Hac solutione fuligo, et quisquiliæ præcipitantur; salia autem immista, ut *Sulphas Sodae*, sublimatione sunt separanda.

Q. Hac ratione ex *Ammoniae* p. 40, *Acidi muriatici* p. 52, et *aquae* p. 8, coalescens, efformat crystallos aciculares, octogonas, vel bipinnatas, albi coloris, transparentes; *saporis* pungentis, suburinosi, refrigerantis, perquam ingrati, quæ in *aquae* temperatæ tripla, fervidæ autem æquali copia solvuntur. *Alcohol* plus, quam dimidiam partem absorbet. Discidium particularum patitur hic *sal* additis *alcalinis* fixis, *Acidis* (*sulphurico*, et *nitrico*,) *aqua* etiam *Calcariae*.

V. Externo atque interno usu leniter stimulans, resolvens, quin irritet, adplicationis modo, quantitate, et diverso regimine sudorem, lotium, pituitam movens, imo, et alvum subducens.

U. Experientia compertum est adversus hypersthenicas febres valentissimum esse remedium, nulla cæteroquin ratione

habita formæ morbi (Horn), præsertim alienis malo *acidis*, loco *Nitratis Potassae* (Arnemann.) Neque repugnat eum ab ipso morbi initio præberi, præcipue, si circumstantes ægroti res (ut ventriculus, interanea,) ita comparatæ sunt, ut *Nitras Potassae* neutiquam dari queat, vel morbi genius, ejusque complicatio officit (Jahn.) In pleuritide cum jecinoris inflammatione complicata, sananda, cum *gummi Heraclei gummiferi*, et *extracto Leontodontis Taraxaci aqua* solutum, fecisse multum, testis est Hirschel. Gastritidi, enteritidi ob sensibilitatem adfectarum partium alienus. Insignis ejus vis est stimulans atque in incidenda pituita, ut in vitiis digestionis, morbis pulmonum, et uteri asthenicis, in febribus catarrhalibus, mucosis, in amenorrhœa, splanchemphraxi, diuturnisque illis malis, quæ comitantur, aut excipiunt illam, ut ex. gr. in hydrope, chlorosi, hypochondriasi, in catarrhis cum multa bronchiorum pituita, imo etiam in pneumonitide leviori, eadem stipata, cum tantillo *Tartratis Stibii* et *Potassae*. In febribus nervosis et putridis (mitiori in typho,) epidemicis, ab initio cephalalgia vehementi stipatis, quam pedepressim languor, imbecillitas, cibi fastidium, diarrhœa fœtens sequuntur, sub pulsu debili, celeri, duriusculo, genis rubentibus, lingua arida, cœrulescente, tremula, oculis rubris, micantibus, anima fœtente etc., insignem hujus remedii virtutem expertus est Jahn. In typho putrido, præsertim instante gangræna, variolis collabentibus, cum *Camphora*, multum præstat. In dialeipyris efficacem esse Muys, multis observationibus ad liquidum deducere conatus est, quas suis quoque Wolf, Lœseke, et Jacob confirmarunt, sed in his etiam *cortex Cinchonae off.*, aliaque succedanea, non male adduntur. Non desunt, qui eundem adversus scorbutum, phthisin etc., commendarint, non ubique tamen subscribente experientia. Extus late ejusdem usus patet: Pronitati in putredinem efficaciter adversari ill. Pringlii pericula, extra corpus vivum capta, evincunt, hinc plurimum pollet in partibus corporis mollibus, gangræna, et sphacelo correptis (Justamond,) a sanis separandis, nec minus in necrosi ossium inspersus, (modo partes

vicinæ molliores contra ejus acrimoniam rite muniantur (THEDEN,) ita etiam in herniis incarceratis, ubi, aut gangrænæ, aut sphaceli metus subest, si aut *cataplasmatibus* addatur, aut *temeto* cum *plantis aromaticis* (SCHMUCKER,) aut *aqua* cum *cortice Cinchonae off.* decocta, solutus, per fotus modum, ut plurimum frigidi, admoveatur, in furunculis etiam gangrænosis, si cum *cortice Cinchonae*, et *unguento resinoso* subactus adhibeatur (IDEM.) Specifica virtute ad curandam psoram gaudere cl. PLENCK experiundo didicit. Magna quoque *Muriatis Ammoniae depurati*, quam extus stimulando exserit, vis est discutiens cœterisque *Salibus neutris* hoc titulo præfertur merito. SMITHII experimentis constat, *salibus neutris*, irritabilitatem infringi, si *Muriatem Sodae* exceperis. In tumoribus glandularum frigidis, artuum, hydarthro, fungo articulari (KIRKLAND,) cysticis, in varicibus gravidarum, ecchysibus, et similibus. Cl. KEATE auctor est, ut *Murias Ammoniae* in *Aceto* et *Alcohole diluto* (*Muriatis Ammoniae* uncia, *Aceti*, *Alcoholis* utriusque unciis quatuor soluta) solutus hydrocele superdetur, quo malum duodetriginta dierum spatio plerumque curavit (*Cases of the Hydrocele*,) si præterea punctio scroti accesserit, malum, modo testiculus ipse sit sanus, neque, aut pure, aut cruore scateat, vel hydrocystidibus fœdetur, citra recidivam, et tuto, et cito curatur. Nec minus utilem se præstitit in stagnationibus lactis, tumoribusque coagulo ejusdem ortis (JUSTAMOND,) aut in pernionibus inflammationibusque præcipue oculorum, testiculorum (WILMER.) Ita nunc mera *aqua*, modo per modum *Oxycrati* (*aquae*, et *aceti*) (BELL,) modo *aquae* partibus viginti, *liquoris vitigeni* partibus quinque, et *Aceti* partibus duabus cum dimidia (VAN SWIETEN,) nunc una cum æquo *Nitratis Potassae* pondere, octaginta *aquae* et viginti quatuor *Aceti* partibus solutus, vel cum aliis conjunctus, et per fotus modum adplicatus in sugillationibus, contusiones (RICHTER,) vulnera sclopetis inflicta (IDEM,) ossium fracturas, luxationes, toties insequentibus, et comitantibus, magni æstimatur; *solutio* ejus, si, dum calet, superdetur, valentior est (HORN,)

nisi frigoris admovendi, ut in SCHMUCKERIANIS *fomentis* incide-rit necessitas. *Gargarismatibus* et *Collutoriis* sæpe additur, ut in angina asthenica (pituitosa,) inflammatoria, tumore glandularum salivalium, glossoplegia. Irritandi scopo *clysteribus* adjicitur, quibus asphyctici, *aqua* submersi, suffocati, apoplectici suscitantur. Dentibus adfricatus mucum adhærentem abstergit, quo in consortio *Cinchonae corticis* dentifricium præbet non spernendum. Drachmam *Muriatis Ammoniae* in sicilico *Succi Citri medicae* solutam ad odontalgiam, (gossypio hac solutione imbuto, dentibus indito,) arcanum fuisse, GODFREY memoriæ prodidit. Leni denique, qua pollet, acrimonia, haud est impar verrucis, quibus antea humefactis, bis vel ter quotidie adfricatur, citra dolorem exedendis (BELL.)

D. Præbium, quod porrigitur, pro alio atque alio medentis fine, ægrotantis sexu, ætate, conditione, morbi indole, aliud atque aliud est, ut a granis denis (secunda) ad drachmam (quaque sexta hora) deglutiendam adscendat. Vix ultra sicilicum tuto datur. Major quantitas ventrem exstimulat. Modo in *pulvere*, modo solutio præscribitur, ast plerumque in consortio aliorum. Juvat eundem *saporis* ergo cum *Saccharo*, vel *melle*, vel *extracto* aut *infuso Glycyrrhizae glabrae*, vel *syrupo* quodam misceri. Nec additamenta *neutrorum Salium* quorundam, ut *Nitratis Potassae*, pro re nata, aliena sunt. HORNIUS adjectionem *Camphorae*, *Cinchonae officinalis*, *Vini*, *exractorum amarorum*, aliorumque stimulantium vix impune ferri existimat. *Murias Ammoniae* decomponitur *Acido nitrico*, *sulphurico*, *tartarico*, *Aqua Calcariae Potassa*, *Soda*, *Acetate Potassae*, *Superacetate Plumbi*, *Sulphate Zinci*, *Supersulphate Aluminae et Potassae*.

V. *Fomentum discutiens*; *Gargarisma Muriatis Ammoniae*; *Mistura Muriatis Ammoniae stibiata*; *Murias Ammoniae ferratus*; *Pulvis Muriatis Ammoniae stibiatus*; *Subcarbonas Ammoniae*.

## MURIAS AMMONIÆ FERRATUS.

AMMONIUM MURIATICUM MARTIATUM *Ph. Bor.*

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES — *Ross.*

Солекислый Аммiакъ желѣзистый.

R. *Muriatis Ammoniae depurati*, subtilissime pulverati, partes duas,

*Tincturae Muriatis Ferri alcoholisatae* partem.

Terantur in mortario vitreo, donec massa prorsus exsiccetur et colorem e flavo aurantiacum obtineat, quæ dein in pulverem tenuissimum redacta, in lagena probe claudenda, servetur.

Q. Hac ratione coalescens, *aëri* expositus, deliquescit, in tripla vero *aquae* quantitate solvitur. Salsus est, unaque pungens et stypticus. *Colore* sit aurantiaco vivide tinctus; minime vero fusco, aut subflavo.

V. Stimulans vasa torpida; roborans; deobstruens; diuretica.

U. In plerisque morbis, *martialia* exigentibus, atque potissimum colluvie pituitosa primarum, et muco secundarum viarum stipatis, remedio est, hinc commendatur in splanchemphraxi, hydrope, hypochondriasi, chlorosi, ictero, atrophia, rachitide, scrofula, struma, asthmate, imo et in dialeipyris. In fœditatibus quoque cutis efficacem se præstitit, puta: in psora, herpetibus, ulceribus cacoëtheis, canceraticis etc., haud secus ac in blennorrhœa.

D. Ad grana duo, quatuor, ad decem, in solutione; in pulvere enim et pilulis humorem adtrahit. Interdum eidem nubuntur, pro ingenio morbi, *extracta amara, bilis taurina, Scilla maritima.* Aliis *electuarii* forma præplacet.

## MURIAS BARYTÆ.

BARYTA MURIATICA *Ph. Bor.*; TERRA PONDEROSA SALITA *Ph. Ross.*

Солекислая тяжелая земля.

R. *Barytae*, vel *Carbonatis* ejusdem quantum placet,

*Acidi muriatici*, quantum satis ad perfectam saturationem. Vel

R. *Sulphatis Barytae* bilibram,

*Carbonis lignarii* in pulverem triti uncias quatuor.

*Sulphas* torreatur igne, quo facilius in *pulverem tenuari* queat, cui *carbo pulveratus* admiscendus. Materia dein crucibulo immittatur, atque operculo adaptato, fortiori igne, per sex horas urgeatur. Probe trita immittatur *aquae bullientis* libris sex in vitreo vase, vel figulino et permisceatur agitatione, aëris aditu, quantum fieri potest, præcluso. Vas in balneo vaporis stet, donec pars neutiquam soluta subsederit; dein liquor effundatur. Adfundantur illi denuo *aquae bullientis* libræ quatuor, quæ post agitationem ac subsidentiam *liquori* priori addantur. *Liquori* adhuc calenti, vel si friguerit, iterum calefacto, instilletur *Acidum muriaticum*, donec moverit effervescentiam; dein coletur ac vaporet, ut crystalli formentur, in bibula siccandæ, et vase clauso servandæ. Hæ crystalli, si bruneum referunt colorem, submittuntur iterum per semihoram incandescentiæ, ac dein in *aqua destillata* solutæ, ut supra dictum est, in crystallos reformatæ, fiunt purissimæ.

Q. Sic e *Barytae* 0,65, *Acidi muriatici* p. 0,18, et *aquae* p. 0,16. (Buchholz) coalescens effingit crystallos primordiales e prismatibus cum basi quadrata (Hauy,) interdum subpyramidales, et octogonas, quæ in aëre, non mutabiles quadrupla *aquae frigidae* copia solvuntur. Sunt albæ, amariusculæ, acres et nauseosæ.

V. Stimulans (citra calorem;) præcipue vasa absorbentia adficiens; deobstruens, sudorem quoque et lotium movens; anthelminthica.

U. In morbis plerumque systematis absorbentis valet; hinc in scrofulosis adfectionibus a Crawfordio primum laudatus, subscriptore dein ill. Hufelando, quod malum, si non semper ex toto amovere potest, levat tamen symptomata, tumores glandularum discutit, polymorpha exanthemata e morbis vasorum absorbentium originem trahentia, tollit. Laudatur etiam

in chlorosi. *Aquae destillatae*, vel *aromaticae* septupla quantitate solvitur, et addito, vel *Syrupo*, vel in scrofulis, *Vino stibiato*; in chlorosi vero *Muriate Ferri*, a guttis viginti ad triginta ter per diem datur. Commendabatur in mesenteremphraxi, atrophia, asthmate, tuberculis pulmonum, hæmoptysi, blennorrhœa, leucorrhœa, haud secus ac in fœditatibus cutis: psora, herpetibus, lepra, carcinomate etc. Extrinsecus in *solutione* (drachma aut semidrachma ejusdem in uncia *aquae*,) scrofulosis localibus adfectionibus, eruptionibus cutaneis, tumoribus glandularum; ophthalmitidi et maculis corneæ curandis admovetur.

D. ab $\frac{1}{4}$ ad duo grana ter de die, vel in solutione. His subsistere exiguis dosibus satius est, præsertim, si æger mobili nervorum systemate præditus est; oriuntur enim usu majorum præbiorum: anxietas, nausea, vomitus, vertigo, artuum tremores cum sudore frigido. Quo, præter opinionem, facto, *lac*, *mucilaginosa*, *Sulphas Sodae* etc. obviam eunt.

V. *Solutio Muriatis Barytae.*

## MURIAS CALCARIÆ.

Calcaria muriatica *Ph. Bor.*; Calx salita. *Ph. Ross.*

Солекислая известь.

R. *Carbonatis Calcariae* præparati (depurati,) quantum lubet,
*Acidi muriatici*, quantum sufficit
ad solutionem saturandam.

Humor percolatus in vitreo vase ad siccitatem vaporet. *Sal* calens indatur vitreæ lagenæ, illico obturandæ, pro usu servandus.

Q. Sic pronatus constat e *Calcariae* p. 44, *Acidi muriatici* p. 31 et *aquae* p. 25, sistitque crystallos pyramidales ad *aërem* cito deliquescentes, in *Alcohole diluto* et *aqua* (sub frigoris exuberantia) solubiles, *saporeque* pollentes protinus refrigerante, mox acri, pungente et amaro, cui sensus *caloris* accedit.

V. Eadem quæ *Muriatis Barytae* (Fourcroy,) stimulans; excitans; emetica; deobstruens; diuretica.

U. Incitando mucosam intestinorum tunicam, auget secretiones, pituitam solvit educitque, hinc efficacia ejusdem repetenda in adfectionibus pulmonum, et pituitosa primarum viarum colluvie, vasa absorbentia glandulasque adficiendo stagnantes in iis humores reserat, quapropter scrofulis obponitur (Wood) morbisque congeneribus, præsertim vero fœditatibus cutis, imo etiam helminthiasi. *Extrinsecus* in tumoribus articulorum laudatur.

D. *Solutionis* guttæ triginta infantibus; adultis vero drachma ter de die. Majus præbium vomitum movet. *Extrinsecus* non male, pro re nata, *frigidis fomentis* additur.

V. *Aqua marina artefacta*; *Solutio Muriatis Calcariae*.

## MURIAS MAGNESIÆ.

### Солекислая Магнезія.

R. *Subcarbonatis Magnesiae*, quantum lubet,
*Acidi muriatici*, quantum satis,
ad plenam saturationem.

Filtra et ad siccitatem evapora, vasisque probe clausis, ne deliquescat, servato.

V. *Aqua marina artefacta*.

## MURIAS SODÆ DEPURATUS.

### Солекислая сода; соль поваренная очищенная.

R. *Muriatis Sodae venalis* quantum lubet,
solvito tripla quantitate
*Aquae bullientis*.
Solutioni fervidæ instillato:
*Subcarbonatis Sodae* solutionem, donec nulla amplius turba oriatur.

Sedimento sponte posito, humorem per chartam cola, ac dein leni evaporationi, ut surgant crystalli, exponito, quæ in bibula charta siccentur.

Q. Ex *Acidi muriatici* 52, *Sodae* 42 et *aquae* 7 portionibus (secundum Bergmannum) constans, *aqua* facile (in *frigidae* $2\frac{14}{17}$, *bullientis* $2\frac{13}{14}$ partibus) solubilis, dissipata sensim leni eoque continuo calore, *aqua*, in crystallos cubicas aggregatus, delabens, quæ prunis inspersæ cum crepitu in minora frustula, et cum *aqua* ad crystallorum formam et pelluciditatem faciente, utriusque hujus dotis jacturam faciunt, *aëri* libero expositus, neque fatiscens, neque, si, quod raro occurrit, omnino purus sit, humescens; *saporis* est proprie salsi, minime amari.

V. Ejus dynamica et præcipua est, qua sollicitat vasa tunicæ mucosæ capillaria, ut videlicet uberior muci nativi copia secernatur educaturque, hinc maxime idoneus est, hanc activitatem intendendo, quin systema musculosum et nerveum irritet, ut etiam stomachi vires, grato modo erigantur. Majoribus porrectus præbiis, sitim causat, alvum subducit et vomitiones provocat. Antiseptica vi gaudere existimatur, protractiori tamen usu proclivitatem ad crasin scorbuticam inducere videtur.

U. Irritando fibras primarum viarum, easque ad vividiores lacessendo contractiunculas, tenacem esculentorum humorumque chylopoëticorum pituitam resolvit, hinc vulgatissimum est edulium condimentum, quo homines perinde ac veterina aliaque domestica animantia, quorum pabulo inspergitur, adversus multivarios morbos ex labe hujus officinæ ortum ducentes, muniuntur. Cum servandis quoque per annos carnibus et piscibus aptum esse experiundo quotidie discamus, hinc consectarium esse videbatur magnam ei inesse vim pronitati in putredinem resistendi, ast pericula ab ill. Pringlio capta huic sententiæ refragari videntur, qui nisi enormi copia, cui corpus vix ferendæ est, ingestum, eo gradu, hanc virtutem haud exserere, ut ægrotis, opis indigis, multum exin-

de sperare liceat, minori copia adjecta, corruptelam potius arcessi expertus est, ut verisimile sit crebrum et quotidianum *carnis salitae* usum ex præcipuis esse causis scorbuti classiariis persæpe infesti, et si quando mortales a pestilentia (Diemenbrœck) tutos præstiterit, vix tamen facultate putredini adversante, id perfecisse. Wrightius tamen in initio putridarum febrium utilissimam invenit ejus in *succo Citri medicae solutionem*, additis *aqua aromatica* et *syrupo*, vel *Saccharo.* Britanni in dissipandis scrofulis e cochleari minori per dies exhibito, optatum experti sunt successum. Exterminandis et necandis, tum vermibus, tum muscarum larvis, aliquando nidulantibus in ventriculo, egregie inservit, ipsam adeo epilepsiam, forsan ex hac causa ortam, tribus quotidie, per trimestre continuum, cochlearibus deglutitis, propulsatam esse memoriæ proditum est. *Hirudines* incaute deglutitæ, *solutione Muriatis Sodae depurati* necantur certissime. Stimulo, quem in ventriculum exserit, nimias humorum aversus alias partes congestiones divertendo, observante ill. Rush, perspicacissimo olim Americæ borealis Clinico, in hæmoptyseos accessu ipso, si cochleare ejus, aut alterum, ægroto propinatur, adeo prodest, ut deglutito *Sale* sanguis profluere desinat. Eum effectum a se quoque confirmatum Meza e frigore subitaneo exponit, quod e soluto in *aqua Muriate Sodae* oriri debet, quo vasa statim constringuntur. Adhibitum etiam in aliis quoque sanguifluxibus (Richter: *Bibl. chir.*) similis eventus excepit. Extus scopo incitandi et adstringendi ad *fotus* antisepticos et discutientes recipitur, nec non ad *clysteres.* Ita asthenicis inflammationibus, ecchymomati, tumoribus œdematosis (si siccus imponitur) cysticis, præsertim palpebrarum (Deshais, Gendron,) imo et albis fotu superdatur. Per modum *clysteris* aperientis in obstipatione a drachma ad semunciam; forma *balnei* in cachexiis, rachitide, psora, herpetibus, myodynia rheumatica chronica (Bunge) commendatur. Si *solutione Muriatis Sodae* vulnera recentia a cane rabido inflicta, ad cruoris cessationem eluantur, atque idem dein adsiduo admove-

atur, eadem brevi curationem, citra hydrophobiæ, manifestationem recipere, nuperrima docuere experimenta. Lipothymia correptos, si ori infricetur, aut si tales ægroti, in calefactum cineribus hunc *salem*, aut arenæ remistum collotenus se dimiserint, in asphyxiam toxicatmicam delapsos, vel appoplecticos, si clysteribus vel suppositoriis uncia ejus adjiciatur, stimulo suo sæpe suscitat. Decrepitatione, *aqua* sua orbatus *sal cibarius*, aquosos humores trahit, hinc sacculis sæpius renovatis indutus, et calefactus, scroto impositus in medicatione hydroceles, aliis partibus œdemate adfectis, ab ill. Boërhaavio, laudatissimæ, dum viveret industriæ viro, commendatus, nec hydrocephalo, orchiocele, bronchocele et id genus aliis, alienus. Fontes nativi *muria* scatentes, (quales sunt *salini* in Kirgisorum desertis, Hetskaja Saschitta, dicti itinere unius diei Orenburgo distantes, atque in psoriasi a cl. Hildebrandt, Professore Mosquensi emerito, laudati) balineis adhibiti cutim incitant, proficuique sunt in fœditatibus ejus. Eodem consilio *aqua marina* a Russelio in scrofulis usurpata est, quam salubri esse stimulo corpori aliorum quoque Medentium experientia satis comprobavit. Si *aqua salita* suffervefacta steatoma, atheroma, vel meliceris, laventur decies per diem, cito curationem recipere feruntur (*Bibl. Brit. Sc. et Arts vol.* XXIX *p.* 356.) Habetur etiam pro antidoto *Nitratis Argenti*, vel *ejusdem fusi*.

D. Qua digestivum ad drachmam sumitur, in hæmorrhagiis ad semunciam vel unciam. Pro usu externo ab uncia ad quatuor *aquae* solvitur.

*V. Acidum muriaticum; — oxymuriaticum; Aqua marina artefacta; Cataplasma Secalis muriatum I; — — — II; Clyster communis; — Muriatis Sodae; Vapores Acidi muriatici; — — oxymuriatici.*

## NITRAS AMMONIÆ.

## Селитрокислый Аммiакъ.

R. *Acidi nitrici diluti*, quantum vis,

*Subcarbonatis Ammoniae*, quantum satis,

ut fiat perfecta saturatio.

Solutionem exinde ortam cola per chartam emporeticam, et lenissimo calore ad punctum crystallisationis evapora.

Q. Crystalli effictæ sunt columnæ hexaëdræ albæ, aliquantum flexiles, ex 67,625 *Acidi nitrici* 21,143 *Ammoniae* et 11,132 *Aquae* partibus constantes. *Sapor* earum amarus, acriculus; in duabus *aquae frigidae* partibus, dimidioque fervidæ solvuntur. Sub 400° F. th. sub initium liquescunt; dein vero destruuntur, et convertuntur in *aquam* et *gas asoticum oxydulatum*.

V. Diaphoretica; diuretica.

U. Adversus malignas, atque exanthematicas febres, salutarem ejus vim, a granis sex ad semiscrupulum exhibiti, impense extollit Faselius. Oppositus etiam est febribus catarrhalibus malignis.

V. *Gas asoticum oxydulatum.*

## NITRAS ARGENTI.

### Argentum nitricum *Ph. Bor.*

### Селитрокислое серебро.

R. *Argenti cupellati*, quantum placet,
*Acidi nitrici diluti*, quantum sufficit ad solutionem saturatam.

Solutio leni calore instituatur, humorque limpidus, ubi refrigeratus fuerit, reponatur; materia vero floccosa, si quæ observata fuerit, in vas aptum vitreum deferatur. Evaporatione crystalli surgent, intra bibulam siccandæ, usuique in vase clauso, et loco obscuro servandæ.

Q. Crystalli referunt lamellas plerumque sexlateras, quadrilateras, et trilateras. *Aqua* æquales earum partes ad gr. 10 *Th. R.* solvuntur, et *Alcoholis diluti* (*Spiritus Vini*) suffervefacti partes 240; quæ vero, dum refrixerit menstruum, maxima ex parte, præcipitantur.

V. Caustica; adstringens; tonica; antispasmodica. Fibras musculares excitans easque arrodens, aut bruneo nigro colore indelebili tingens?

U. In morbis rebellibus; in primis vero in epilepsia, stenocardia (aptatis etiam internis femoribus fonticulis) scelotyrbe (chorea,) tentatus cum successu, nactusque est subscriptores, qui solutionem *Nitratis Argenti* in *aqua distillata*, præcipue *Menthae*, eam, ut sesquigranum initio, dein plus sumeret epilepticus, adhibuere. Ita etiam in hydropisi laudatur in *pilulis*; sed eæ minus tutæ, ob effectus, solutionisque incertitudinem, magnæque interdum earum doses vix impune sumi videntur, procedenti tempore, stimulo permanenti, nociturae, hinc prudenter administrandæ.

D. Gr. $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{4}$ ad granum gradatim usque adscendendo, ter de die. vel in solutione: *Nitratis Argenti* granum solvitur in *aquae* destillatæ uncia, terque de die sub initio tertia pars exhibetur.

V. *Nitras Argenti fusus*; *Solutio Nitratis Argenti*; *Pilulae Nitratis Argenti.*

## NITRAS ARGENTI FUSUS.

ARGENTUM NITRICUM FUSUM *Ph. Bor.* LAPIS INFERNALIS *Ph. Ross.*

Сереброселитряный прижигательный камень.

R. *Nitratis Argenti*, quantum placet.

In crucibulo argenteo (quod præstat) vel porcellaneo, leni igne fundito sub camino, ut vapores noxii evitentur; cavens etiam, ne *carbonum* particulæ incidant, movendo sæpius bacillo vitreo. Fugata sic omni crystallisationis *aqua* augeatur ignis, et materies colorem olivaceum leviter fuscescentem adepta, simulac perfecte fusa fuerit, effundatur dein in modulos ferreos, parum calefactos, aut *sebo*, vel *oleo* leviter illitos, ut inde bacilli formentur, qui frigefacti in vitro probe clauso, in loco serventur obscuro.

Q. *Aquae* crystallisationis privatione differt a præcedenti

ſtque maſsa griſea, intus acus radiatas habens, ad aërem quescens.

V. Ob defectum *aquae*, crystallis effingendis idoneæ, conentratam *acidi nitrici* indolem, et oxydationem *Argenti* plenaiam præsefert, atque vires summe causticas exserit, corpus nimale cito in escharam combusturus, minime tamen, tanto mbitu, ut *fusa Potassa* cutim arrodens. *Aqua* dilutus, in orpore epidermide orbato, inflammationem cit.

U. Ejusdem internus est idem, qui *Nitratis Argenti*, meoque arbitratu, efficacior. Paracelsus et Boyle commendaerunt eum in hydrope, Simms (*Mem. of the Medical Society f London* Vol. iv) ut antiepilepticon. Nord epilepticis et maiacis (cum symptomatibus epilepticis) ½ gr. cum mica paais in pilulis ter de die dedit. Cl Wilson grana duo et semis non dubitavit præbere, citra ullum incommodum, si excipias nauseolam, sumta. Extrinsecus adhibetur utiliter ad destruendam carnem, varia ratione, supercrescentem, vel ubi eshara opus est. Hinc ad callos, fungosas carunculas, verrucas, nævos maternos, parvos polypos, ulcera syphilitica, eorumque et cacoëtheorum hypersarcosin, cancros syphiliticos, condylomata, carunculas urethræ aliaque impedimenta, varicosos tumores corneæ, scirrhi reliquias, mala multifariam male habentia, demenda plurimum valet; imo et in tumoribus inflammatoriis malignis, quibus materies caustica inclusa est, ut bubonibus syphiliticis, pestilentialibus, tum et in aliis, a morsibus venenatorum animalium exortis, ut ipsum in labiis vulneris hærens venenum, citius, quam in sanguinem suscipi queat, destruatur, magni æstimatur. In curatione ulcerum sinuosorum solutus ejusdem scrupulus in tribus *aquae destillatae* unciis per modum injectionis post discissos sinus profuit, nec minus utilitatis præstare fertur eadem injectio ad curandam hydrocelen excitatione inflammationis, suppurationisque tunicæ vaginalis. Ut bubo asthenicus, ægre abscedens, aut resolvi nescius, aperiatur, suasu Plenkii, imponitur *Nitras Argenti fusus* magnitudine *pisi* per bihorium, de-

in *unguento*, *Acetatem Cupri*, tenente, locus, ne amplitudo exesi (loci) noceat, delibuendus est, sed id caute faciendum, ne (si æger, vel mobili nervorum systemate præditus, vel humorum dyscrasia laborat) ulcus cacoëtheum gangrænosum, ægreque medicabile oriatur. In ectopio, ulceribus corneæ, et staphylomate incipiente laudatur congrua solutio. Ranulam denique Camperus ita curavit, ut tumorem apertum *Nitrate Argenti* soluto tractaret. Louisius usum ejus in fistulis salivalibus suadet, si eæ parvam habent aperturam. Tangit scilicet eam, escharamque externe producit, sub qua, gliscente inflammatione, fistula claudi fertur; eschara vero interea siccantibus remediis sustentata. *Solutio Nitratis Argenti fusi* in ulceribus etiam syphiliticis, scrophulosis, scorbuticis, canceraticis, admodum efficax, imo etiam per modum *injectionis* in pseudosyphilide (ulceribus faucium orisque ex *Hydrargyro*) cynanche putescenti ulcerosa, aut fistulosis, ut fistula lacrymali (Ianin) profuit. Solutio diluta psorophthalmiæ et blennorrhœæ obponitur. Exfoliatio ossium quotidiano ejusdem tactu promovetur. Protracto ejusdem interno usu partes corporis aëri cum primis expositæ nigrescunt; interdum bruneum induunt colorem?

V. *Solutio Nitratis Argenti*; — — — *opiata.*

## NITRAS HYDRARGYRI LIQUIDUS.

### Селитрокислая ртуть разведенная.

R. *Hydrargyri depurati*, quantum lubet,
*Acidi nitrici*, quantum satis,
ut *Hydrargyrum* solvatur.

Si pars hujus, cum sex *aquae communis* partibus commisceatur, surgit: Nitras Hydrargyri dilutus, pro externo felici usu, Bellostii famam adeptus.

V. *Oxydum Hydrargyri rubrum*; *Unguentum Nitratis Hydrargyri fortius.*

## NITRAS POTASSÆ DEPURATUS.

KALI NITRICUM *Ph. Bor.*, NITRUM DEPURATUM *Ph. Ross.*

Селитра очищенная.

R. *Nitratis Potassae* venalis, quantum placet,
solvito in
*Aquae fervidae* ea quantitate,
ut solutio frigida haud ponat crystallos, dein instilla:
*Subcarbonatem Potassae liquidum* quamdiu liquor exinde turbatur, dein posito sedimento per chartam cola; igne leni evapora, donec gutta corpori frigido imposita spiculas salinas, offerat, tum in loco frigido ad crystallisandum seponito. Crystalli collectæ bibula siccantur. Iterata evaporatione, ut ante reliquas crystallos de lixivio excutito.

Q. Ita *Nitras Potassae*, jam purus ex *Acidi nitrici* p. 44,0, *Potassae* 51,8, et *aquae* 4,2 constat, crystallique ejus sistunt longa, et pellucida prismata hexagona, spiculis desinentia, tam pyramidalibus, quam obtusis, transversis. In septem partibus *aquae frigidae*; in ebullientis vero pari ponderis sui parte, solvitur; aëre immutabilis; igne vero fusus *gas* in primis *oxygenium* dein vero *nitrogenium* largitur, cum corporibus oxydabilibus ignitus detonat.

V. Frigerans, debilitans actionem cordis arteriarumque; alvum et lotium movens; protracto usu ventriculi energiam frangens.

U. E *salibus neutris*, qui vim refrigerandi possident, fortasse *Nitras Potassae* optimum est, validissimum medicamen, et haud raro, et cum insigni beneficio adhibendum in iis morbis qui hypersthenia oriuntur, sic in synocha, inflammatione pulmonum, pleuræ, stipata, idque cum *sero lactis*, *potionibus mucilaginosis*, *emulsione*. In febribus sthenicis catarrhalibus (MORETA,) rheumaticis, in congruorum connubio, non est alienus; experiundo didicimus miscelam e granis quindecim *Nitratis Potassae depurati* et *Camphorae* duobus constantem, secunda vel tertia quaque hora datam ex potu tepido, salubrem diaphoresin mo-

vendo, hoc in casu, respondisse. Febribus exanthematicis, ubi ob hypersthenicam maxime diathesin, exanthema non rite formatur, aut supprimitur caute adhibitus est, opportunum remedium. Gastritidi, hepatitidi, enteritidi, nephritidi, ob partium adfectarum sensibilitatem, dum hic uti topicus stimulus immediatim fere agit, vix ac ne vix quidem convenit. In myodynia rheumatica sthenica drachmæ duæ ad semunciam viginti quatuor horarum spatio in *decoctura Hordei d. Avenae s.* tepida, vel in *emulsione* aliove potu solutæ, propinantur. Alii in sanguinis profluviis quum orgasmum inhibeat commendarunt. Adversus hæc pro specifico habuit DICKINSON. In hæmoptysi asthenica *Muriati Sodae* junctus utilissimum se præstitit. Scorbuto occurrere BEDDOËS, PATTERSON opinatur; vix tamen tuto, quum sit officinæ digestionis infestus, datur. Externus quoque *Nitratis Potassae*, vel *aqua*, vel *aquosis humoribus* soluti usus, tentatus, et commendatus fuit, ita BROCKLESBY, armigeris myodynia rheumatica sthenica laborantibus, præter internum usum, optimo cum eventu, ad aperiendam alvum clysteres injici jussit, qui *Nitratem Potassae* recipiebant. Additur etiam refrigerandi, vel constringendi scopo *gargarismis* in variis anginæ speciebus, adhibendis, et quum, eo præsertim tempore, quo *aquam* subit, huic frigus notabile conciliet; *fomentorum* frigidorum adversus sanguifluxus efficacitas ejus auxilio mirefice augeri potest. Interdum pro ratione morbi *fomento Acetum* cum *Muriate Sodae*, vel *Murias Ammoniae* in vulneribus capitis; *clysteri Murias Sodae*, *Acetum*, *Oxymel* et. *Gargarismo* mel *rosatum*, *Murias Ammoniae* etc., recte adjicitur.

D. A granis quinque ad scrupulum per se, vel cum *Saccharo*, sæpius in *aqua*, decoctione aut aliqua *mistura mucilaginea* aut *emulsione* solutus, propinatur. Ne ventriculum gravet, cum *Opio et aromate*, *gummi Acaciae verae*, aliisve *mucilaginibus* subministrari bene potest. Magna cura cavendum, ne misceatur: cum *Muriate*, *Acetate Barytae*, *et Sodae*, *Ammoniae*, *Magnesiae*, *Aluminae*, *Sodae Sulphate* et *Acido sulphurico*, quibus decompositionem subit. Si paulo largiori ma-

nu perque longius temporis spatium, aut debilibus exhibeatur, digestionis officinam mirifice turbat, cardialgiam, pectoris oppressiones, vomitiones violentas, interdum cruentas, alvi profluvium, et his pejora, pro ratione dosis, excitat, hinc non est, ad imitamen Brocklesbyi, intra nychthemeron, ad unciam porrigendus.

V. *Acidum nitrico-nitrosum; Mistura Nitratis Potassae; Pulvis ejusdem compositus; Succus Oxycocci nitratus; Vapores Acidi nitrici.*

## I. OLEA FIXA.

Olea pingvia; — ungvinosa.

Масла жирныя постоянныя.

### 1. OLEA COCTA.

М. Вареныя.

### OLEUM CHAMOMILLÆ.

М. Ромашковыхъ цвѣтовъ.

R. *Florum Matricariae Chamomillae* recentium selibram,
*Olei olivi* sesquilibram.
Coque leni calore ad humiditatis consumtionem; dein exprimendo cola.

U. Præcipue externus forma *clysteris*, vel abdomini illitum, flatus dissipat, tormina sedat. Sic paratur:

### OLEUM HYOSCYAMINUM.

Oleum foliorum Hyoscyami nigri.

М. Листовъ Белены.

Cl. Busch (*Ueber die Lungensucht p.* 72.) paravit *Oleum hyoscyaminum* ex *herbae recentis Hyoscyami* parte cum partibus quatuor *Olei olivi* cocta, commendavitque *misturam* ex parte hujus *Olei* cocti cum partibus *Olei amygdalini* duabus.

U. Præcipue externus: forma *clysteris, linimenti* etc. cephalæa, enterodynia spasmodica; algema hæmorrhoidale; dysuria; spasmi etc. Buschianum vero tribus cochlearculis pro dosi ter de die in hæmoptysi porrigitur.

## OLEUM SULPHURATUM.

### Balsamum Sulphuris simplex.

### M. Сѣрное.

R. *Sulphuris sublimati* sescunciam,
*Olei Lini usitatissimi*, vel
—— *olivi* selibram.

Coquito igne moderato in vase ferreo, vel lapideo amplo (ne massa ad ignem tumescens flammam concipiat, operculo, si id evenit, tegendo,) eousque spatha movendo, donec coierint; tum vero, ab igne remotum, refrigera et servetur. Si, *Olei sulphurati* pars, cum partibus quinque *Olei Pimpinellae Anisi*, vel partibus octo *Olei pineo-laricini*, commisceatur, tunc dat: Oleum sulphurato-anisatum (*Balsamum Sulphuris anisatum*), et Oleum sulphuratum cum pineo-laricino (*Balsamum Sulphuris terebinthinatum.*)

V. Secretiones incitans.

U. Ad delibuendos tumores duros ipsorum etiam ossium, ulcera cacoëthea, callosa, vel ad injiciendum in sinus eorundem, dum margines callis induruere. Juvat etiam inungere artus œdematosos resolutosque. Dum *Oleo Anisi* solvitur efficaciam adversus rheumaticas stases et psoricas, pectus gravantes, exserit; si vero cum *pineo-laricino* commiscetur, splanchemphraxin abdominalem reserat. Utrobique haud male *Aethere sulphurico* maritatur.

## 2. OLEA EXPRESSA.

### Масла выжатыя.

## OLEUM CANNABINUM.

### Oleum seminum Cannabis sativæ.

### M. Конопляное.

*Semina* bene matura, flagellis excussa, vel allisione, fasciculorum colligatorum, ad ligneum lingurium, separata, agitando vel cribrando, a paleis liberantur, dein contunduntur sac-

culoque inclusa, prelo frigide exprimuntur, *Oleum* largitura. In Casanensi provincia, ubi quintam *seminum* partem *Oleum* constituit, elicitur id seminibus, per malleos ligneos, in mola equo circumducta, conquassatis vasisque magnis inditis, quibus probe excalfactis, massa intra pannum cannabinum prelo submittitur. Libra civilis dat *Olei unguinosi* uncias tres et gr. 30 et unciæ tres drachmas septem et scrupulos duos *principii glutinosi.*

Q. *Oleum* est pellucidum, flavo-brunei coloris, interdum virescentis, saporis cannabini, singularis ingratique odoris, non nisi *Hydrargyro* in *th. Fahr.* ad gradum o decidente coiens, in aëre atmosphærico exsiccatur, ardet flamma lucida parum fuliginosa.

V. Cum aliis *unguinosis oleis* convenit; hinc demulcens; nutriens; præterea sopiens; subnarcotica.

U. A parvo-russis, Russis Lithuaniæ et Polonis additur cibis. Laudatur in blennorrhagia; adhibitum etiam cum successu contra ictum tarantulæ in Perside teste Wladimirsky (Совѣты военнымъ людямъ къ сохраненiю здоровья на Кавказской Линiи въ С. Петерб. 1806 p. 63.) Pabulum ignis in lampadibus haud incommodum. Eodem modo parantur:

## OLEUM LINI.

### M. Льняное.

Q. Odor et sapor *Olei* etiam recentis aliquantum ingratus; in calore rancescit.

V. Nutriens; relaxans; saporem blandum concilians; extrinsecus: emolliens; relaxans.

U. Laudatum olim fuerat in gravioribus pectoris inflammationibus (Sydenhamus,) pleuritide (Baglivius, Hagendornius,) hæmoptysi (Michel,) etc. A Dodonæo, Swieten, Gallesky, ileo cum successu oppositum fuerat, ita etiam alvi obstructioni pertinaci (Lentin,) enterodyniæ plumbeæ (in quo malo *oleosa* et *pingvia* cujuslibet generis, tam ad prophylaxin, quam therapiam, prosunt.) Dysenteriæ, præsertim

clysteris forma. In helminthiasi quoque laudatur (Heberden,) uti etiam adversus ictum tarantulæ (Wladimirsky.) Si *Camphora* in eo solvitur, inunctum dolores pleuriticos, nephriticos, aliosque compescit; calefactum vero hæmorrhoidales forma *clysteris* lenit.

## OLEUM JUGLANDIS.

Oleum nucum Juglandis regiæ.

M. Волоско-орѣховое.

E nucleis maturis, demta cuticula, expressum.

Q. Blandum est et unguinosum, flavicans, dulce, si recens.

U. In helminthiasi præcipuus. Ad aliquot uncias epotum superbibito aliquot horas post, *vino* alicantino (aut alio quolibet) dulci (Passerat,) tæniæ subigendæ par fuit; de Franciere etiam specificum sub hoc connubio reputat; la Chapelle vero negat id, propria et sibi priva adversus vermem solitarium vi, præ aliis *oleis*, gaudere. *Extus* in leucomate, seu albugine quotidie ad aliquot guttulas oculo admotum, præstans est. In impetiginibus etiam utile reperit ill. Hufelandus, sed ad hunc usum e *nucibus* recentibus sine calore expressum esse debet.

V. *Linimentum Oxydi Hydrargyri rubri.*

## OLEUM NAPINUM.

Oleum seminum Brassicæ Napi.

M. Рѣпное.

Q. Luteo-brunei coloris; odoris saporisque *Sisymbrium Nasturtium* æmulantis.

U. Videsis: Brassicam Napum.

## OLEUM OLIVUM.

Olivum (Plinii;) Oleum Oleæ europææ *e fructibus frigide expressum.*

M. Оливное; Олива.

Q. Coloris diluto-straminei, odoris fere prorsus expers, sa-

poris blandi, sub exiguo frigoris gradu coalescit in massam albam, et granulatam. *Album* optimum; *viride* vilius est.

V. Nutriens; relaxans; involvens; saporem blandum concilians.

U. Videsis: Oleam europæam. Passim ad cibos, tempore jejunii, pinguefaciendos, a ruricolis et Cœnobitis, loco butyri, adhibetur. Plerumque cum *Aceto* mistum, pro grato *acetariorum* condimento, usu venit.

## OLEUM PAPAVEREUM.

Oleum seminum Papaveris somniferi.

M. Маковое.

Q. Est pellucidum, flavescentis coloris, grati et blandissimi saporis.

V. Eadem, quæ *Olei olivi.* Omni vi narcotica caret.

U. Pereuntibus brumali frigore 1710 in Gallia *Oleis Europaeis, Oleo olivo,* surrogatum est, adhibitum quoque loco *butyri* ad cibos citra noxam (Rozier *Observat. sur la Physique* 1776.) Usus *Olei* hujus pictorius est notissimus.

## OLEUM SESAMINUM.

Oleum seminum Sesami orientalis.

M. Кунжутное.

Q. Recens turbidum est, procedenti tempore fit clarum, coloris lutei, inodorum, saporis blandi, subdulcis, gratissimi. Difficulter rancescit, hinc ad corrumpenda alia *olea* et *balsama*, e. g. *Balsamum de Mecca* (Hasselquist's *resa p.* 330) adhibetur.

V. Ut *Olei olivi,* cui, si recens est, pro usu interno, præfertur merito.

U. In enterodynia, *clystere* injectum, juvit. In culina commodum. Gangaridibus aliisque Indis, ad quosvis *cibos* pingues reddendos, inservit. Osmannorum matronæ faciem oblinunt eodem, cutis pustulas, asperitates et maculas in primis solares, abacturæ. In bilychnibus quoque lucernis usitatur. Forsk. *Flora Aegypt. Arab.* Videsis: Oleam europæam.

### OLEUM SINAPINUM.

Oleum seminum Sinapeos nigræ.

M. Горчичное.

U. Videsis: Oleam europæam.

## II. OLEA EMPYREUMATICA.

(Fœtida; — adusta.)

Масла вонючія; — пригорѣлыя.

### OLEUM PYRO-ANIMALE.

Oleum Cornu Cervi *Ph. Ross.*

Масло пригорѣлое животное.]

R. *Ramentorum Cornu Cervi*, vel
*Ossium mammalium*, (omni *pinguedine* liberatorum et in frustula redactorum,) quantum lubet,

immittito retortæ ferreæ vel terreæ, furno impositæ, ut ignem apertum experiatur, excipulum amplum foramine in superiori ventris parte præditum, tubo vitreo intermedio admove, atque juncturis omnibus (relicto pro lubitu aperiendo foramine) clausis, igne reverberio gradatim aucto, destillationem institue, donec retortæ fundus candeat. Ubi adparatus ad refrigerium rediit, collige seorsim *Sal* sublimatum (*Sal Cornu Cervi*) *liquorem alcalinum* (*Spiritum Cornu Cervi*) et *oleum*, quæ excipulo continentur. *Oleum aqua calida* sic abluatur, ut nihil *salini* adhæreat. Ab *aqua* iterum separetur, serveturque.

V. Eadem, quæ *depurati*, haud raro præstantior est.

V. *Oleum pyro-animale depuratum.*

### OLEUM PYRO-ANIMALE DEPURATUM.

Oleum animale æthereum *Ph. Bor.*; oleum animale Dippelii *Ph. Ross.*

M. пригорѣлое животное очищенное.

R. *Olei pyro-animalis*, quantum placet.

Infundito cucurbitæ vitreæ ope infundibuli vitrei, longo col-

lo instructi, ne cucurbitæ latera inquinentur, tum alembico et excipulo, probe luto junctis, tamdiu lenissimo balnei arenæ calore destilla, quamdiu *oleum* limpidum tenue fuerit elicitum. *Oleum* hoc rectificatum sub eadem cautela novæ cucurbitæ infundito addens quadruplum *aquae* pondus atque adplicato alembico et excipulo purissimo, blando calore iterum destilla, donec decolor, *aquae* instar, adparuerit, quod illico lagenulis vitreis accurate replendis epistomio vitreo probe firmandis, atque sub *aqua* demergendis, immissum usui servetur. Hoc *oleum* quidam e COMITIBUS de WITTGENSTEIN, non minus omnigena eruditione, quam natalium splendore, conspicuus, primis præteriti sæculi annis, e stercore humano, infinita fere rectificatione primus Berolini paraverat, unde etiam notitiam DIPPELII, eotum Berolini vitam degentis, haud effugit, conjectura dein adsecuti, id ex qualibuscumque animalium partibus, confici posse.

Q. Quum bene paratur, est pellucidum, saltem stramineum, limpidissimum, *odoris* penetrantis, balsamici; *saporis* oleosi, amariusculi, aromatici. *Aceto* et *Alcohole* solvitur; accessu autem aëris in *oleum pyro-animale* (*foetidum*) transmutatur.

V. Excitans; antispasmodica; diaphoretica; *extrinsecus* resolvens.

U. Spasmi apyreti et convulsiones ex nimia irritabilitate; hysteria (propinatis quatuor guttulis *Saccharo* pulverato exceptis,) epilepsia (guttis 30-40 datis,) vel cum *extracto Opii* (WERLHOFF), scelotyrbe (HERZ,) catalepsis et id genus alia. In dialeipyris etiam laudatur, præsertim, quæ spasmos adjunctos habent, mox ante paroxysmum, præcipue ubi frigoris stadium excedit (HALLER.) *Externe:* debilitas partium, amaurosis, tumores frigidi glandularum scirrhosi, fungi articulorum, perniones, contracturæ. Per modum *clysteris:* morbi spasmodici, epilepsia etc. et inungendo spinam dorsi. Huic substitui potest *Oleum pyro-animale* (*foetidum*) non minoris efficaciæ.

D. Guttæ quinque, quindecim ad triginta cum *Saccharo*, vel

*Aethere sulphurico*, vel eodem *alcoholisato*. Pro usu *externo*: cum *Camphora*, *Solutione Saponis*, vel cum quopiam *pingui Oleo*.

## OLEUM SUCCINI DEPURATUM.

### Масло янтарьное очищенное.

R. *Olei Succini*, quod sub præparatione *Acidi succinici* collectum est, quantum lubet.

Cum sextuplo *aquae*, e vitrea retorta, admoto excipulo, firmatisque juncturis, igne leni destilla, donec duæ tertiæ partes *aquae* transiverint, dein *oleum* caute separa, vasisque clausis serva.

Q. Est pellucidum, flavicans, odoris non ingrati; saporis aromatici.

V. Incitans; resolvens; varias corporis excretiones, (sudoris præsertim et urinæ,) potenter promovens; sopiens; menagoga.

U. Internus in hysteria, deliquiis animi, asphyxiis parturientium a nimis accelerato partu cum *liquido Ammoniae Subcarbonate* (Lamottius) commendatur. Valet etiam in paralysi, apoplexia nervosa, amenorrhœa, dysmenorrhœa, variisque spasmodicis convulsivisque morbis, ut in epilepsia, etc. Sunt, qui internum guttarum quinque ad quindecim usum in tetano commendant; efficax in hoc morbo debellando deprehendit Rush (*Memoir. of the medic. Societ. of London. Lond.* 8, *Vol.* I 1787.) In variis etiam morbis, retrogressis, vel haud rite succedentibus, e. g. arthrodynia, podagra, myodynia rheumatica, exanthematibus variis, certum, et satis cito, auxilium adfert, sudoreque moto, qui empyreumaticum spargit odorem, hos morbos pro, vel revocat. Extrinsecus exserit vires resolventes et anodynas, quapropter in tumoribus frigidis, paralysi, spasmis, optimo cum effectu, infricatur. Temporibus admotum cephalalgiam, a causa serosa, vel nervosa ortam, præsertim hystericam, persæpe supra omnem exspectationem, celerrime tollit. Adposite tum cum *Oleo nucis Myristicae moschatae*, si præsto est, in *balsami* formam redigitur. Rheumaticos

aurium dolores, dentiumque sedare potest, si gossypio exceptum, in aures immittatur.

D. Guttæ quinque ad quindecim exhibentur.

V. *Moschus artificialis.*

## III. OLEA VOLATILIA.

——— ÆTHEREA.

Масла летучія; — Еѳирныя.

*Plantae* recentes, (dum florent, aut *semina* formant,) aut earumdem partes, (ut *radices* vernali tempore, *cortices lignaque* hyemali, *flores* dum perfecte explicati sunt, *fructus* et *semina* ad maturitatem perducta, sicco præsertim tempore, eoque, quo maximarum esse virium, ob *Olei* abundantiam, existimantur) collectæ, interdum etiam parum, leni calore furni super laminam metallicam siccatæ, aut etiam incidente necessitate, id est, si duræ sunt, addito *aquae Muriate Sodae*, maceratæ, conscinduntur vel contunduntur, vel in *pulverem* tenuantur, atque cum *aqua*, igne mox ab initio operationis, ut massa ebulliat, auctiori, destillentur, et quidem *olea volatilia*, leviora ex alembico in *balneo aquae*; ponderosiora vero e retorta in *balneo arenae* posita, eousque, donec liquor in excipulum transiens colorem nactus fuerit lacteum turbidum. *Oleum* separetur ab *aqua*, vel simplici per chartam bibulam filtratione, vel filis gossypinis, quæ altero apice in *oleum*, altero in lagenulam excipuli collo adpensam, demergunt, vel infundibulo vitreo separatorio atque vasis, ut radiorum solarium accessus inhibeatur, rite clausis, usui servetur. Sic parantur sequentia *olea*:

### OLEUM BACCARUM JUNIPERI COMMUNIS.

М. Можжевеловыхъ ягодъ.

Q. Exæstuans, acris; est subviridis coloris.

V. Stomachica; diuretica.

U. Extrinsecus *linimentis diureticis*, et *nervinis* utiliter additur. Cum *Oleo lumbricorum terrestrium*, et *Alcohole Juni-*

*perino* commistum, arthrodyniam sopivit, membrisque contractis et paralyticis motus potestatem restituit (Lange.) *Saccharo* ad aliquot guttas instillatum blennorrhœam, et tumorem testiculi syphiliticum dispulisse fertur, imo etiam helminthiasi et inflationi obponitur.

D. Guttæ duæ (ad decem) præbentur.

## OLEUM BACCARUM MYRTI PIMENTÆ.

Oleum Amomi; oleum myrteum (Plinii.)

M. Мирто-перечное.

Q. Coloris est e rubro-bruni, odoris et saporis ad *oleum Eugeniae caryophyllatae* propius accedentis; sed blandius.

## OLEUM CORTICIS CITRI AURANTII.

vulgo essentia de Portugal, *per destillationem obtentum.*

M. Померанцовой корки.

Q. Est pellucidum, lutei coloris, fit ætate fuscum; mora vero aliquot annorum concrementum haud satis notum deponit, odore *corticem Citri Aurantii* æmulatur, saporis est aromatici exæstuantis.

U. In spasticis ventriculi et intestinorum constrictionibus, atque orta hinc gastrodynia, vel enterodynia, aliquot guttæ *Saccharo* instillatæ, porriguntur cum successu, præsertim si inflationi originem debeant.

## OLEUM CORTICIS FLAVI CITRI AURANTII.

essentia Bergamotta.

M. Желтой померанц. корки выжатое.

Obtinetur in regionibus calidis, acu pertundendo exprimendoque *corticem flavum fructus Citri Aurantii* maturi et venale occurrit.

Q. Colore dilutius, odore suaveolentius, gratumque, sapore mitius, sed præcedentibus longe præstantius.

## OLEUM CORTICIS CITRI MEDICÆ.

*per destillationem paratum.*

M. Лимонной корки перегнанное.

Q. Coloris sub-lutei, odoris *Corticem Citri medicae* æmulantis, saporis aromatici.

V. Carminativa; analeptica.

## OLEUM CORTICIS CITRI MEDICÆ.

Oleum de cedro.

*per expressionem paratum.*

M. Лимонной корки выжатое.

R. Est pellucidum, coloris expers, odore saporeque præcedens æmulans; sed præstantius.

## OLEUM CORTICIS LAURI CASSIÆ.

M. Корки кассiи коричневой.

Q. Coloris flavescentis, odoris *Cort. Lauri Cinnamomi* æmulantis, saporis acris, dulciusculique; in *aquam* se demergens.

## OLEUM CORTICIS LAURI CINNAMOMI.

M. Корицы; — лавро-коричное.

Q. Color recentis luteus, a profundiori ætate fit aurantiacus, odor penetrans fragrantissimusque, *corticem Lauri Cinnamomi* æmulans, sapor exæstuans, admodum acutus dulcisque. Gravitate specifica *aquam destillatam* superans.

V. Analeptica; refocillans; intestinis jucunda. Extus in glossoplegia valet. Laudatur in carie ossium, odontalgia. *Unguentis nervinis* additur.

D. Gutta (ad tres) porrigitur.

## OLEUM FLORUM CITRI AURANTII.

(Oleum Naphæ, seu Essentia Neroli.)

M. Цвѣтовъ померанцовыхъ.

Q. Initio cœrulescens est, dein vero fit rubidum; odor

ejus gratissimus, eum *florum Jasmini officinalis* æmulans; sapor aurantiacus, subamarus, aromaticus.

U. Hypochondriacis, hystericis convenit. Ob magnum, quo venit pretium et frequentem adulterationem, per se perraro in usu est; plerumque ei *Aqua florum Citri Aurantii* substituitur.

D. *Aquae* cochlear theanum et plus datur.

## OLEUM FLORUM EUGENIÆ CARYOPHYLLATÆ.

M. Цвѣтовъ гвоздики.

Q. Recens coloris prorsus expers, cum ætate vero permutatur in fusco-luteum, odor penetrans, *Eugeniam caryophyllatam* æmulans, sapor exæstuans, aromaticus. Pondus specificum *aquam destillatam* superans. *Phosphorus* in eo solvitur facilius, quam in aliis *volatilibus oleis*.

U. Ob causticam indolem haud præbetur interne, ast extrinsecus in carie ossium et sphacelo auxilium spondet, gossypio etiam exceptum, atque denti carioso inditum, si nervum contigerit, eum certo destruit, limitesque cariei ponendo, odontalgiam sedat. Ast cavendum, ne crebro hujus, aliorumque *acrium oleorum* usu, dentibus noceatur. Videsis: Eugeniam Caryophyllatam.

## OLEUM FLORUM ANTHEMIDIS NOBILIS.

M. цвѣтовъ Римск. Ромашки.

Q. Coloris lutei in viridem, vel brunum inclinantis.

V. Videsis: Anthemidem nobilem.

## OLEUM FLORUM LAVANDULÆ SPICÆ.

M. цв. Лаванды.

Q. Est coloris læte flavidi, odoris suaveolentis, *flores plantae* æmulantis; sed intensioris, saporis acriculi, balsamici.

V. Nervina, hinc inservit conficiendis illis *unguentis*, quæ tali virtute prædita sunt.

D. Guttæ duæ dantur.

## OLEUM FLORUM MATRICARIÆ CHAMOMILLÆ.

М. цв. обыкновенной Ромашки.

Q. Coloris intense cœrulei, admisso autem crebrius aëre, et vetustate, albescentis; odoris saporisque *flores Matricariae Chamomillae* æmulantis, sed gratioris multo.

V. Antispasmodica; anthelminthica.

U. In helminthiasi et spasmis, pauculis guttis exhibetur; in cardialgia vero et enterodynia drachma ejusdem combinatur *Succinatis Ammoniae (Spiritus Cornu Cervi succinati)* drachmis sex, et hæc miscela ad guttas viginti, ter de die, in *infuso* calido *florum M. Chamomillae* datur. Inunctum, cum *anethino oleo*, vertebrali thecæ, dialeipyræ insultum arcebat (Forestus.) Est succedaneum *Oleo foliorum Melaleucae Leucadendri.*

## OLEUM FLORUM ROSÆ CENTIFOLIÆ.

М. цв. садовой Розы.

Q. Coloris expers, odoris fragrantissimi, *floribus Rosae centifoliae* simillimi, sed multo intensioris, saporis blandi dulciusculi, rosacei. Sub + 6° *Rheaum. Therm.* coalescit in massam albam, butyraceæ consistentiæ.

V. Eximie nervos reficit.

U. Variis mixtis ob suavitatem odoris additur; in oriente vero inungitur cuti, ut odorifere spiret, et hunc in finem, quantum acu attollitur, sufficit.

## OLEUM FLORUM TANACETI VULGARIS.

М. цв. Пижмы.

Q. Color e viridi luteus; odor singularis, *Tanaceto vulgari*, similis; sapor amarus acerque.

V. Anthelminthica; aliquantulum roborans.

D. Guttæ quatuor ad sex. Infantibus abdomini illinitur; aliis etiam anthelminthicis additur.

## OLEUM FOLIORUM JUNIPERI SABINÆ.

### M. лист. Сабинныхъ.

Q. Coloris, aut prorsus expers, vel diluto-straminei, odor et sapor *folia J. Sabinae* æmulans, sed longe intensior est.

V. Eximie stimulans, lotium, et sudorem movens, circuitum sanguinis incitans, supressa menstrua revocans, abortum accelerans.

D. Gutta, (vel pro re nata ad quatuor) exhibetur.

## OLEUM FOL. RORISMARINI OFFICINALIS.

### M. лист. Розмаринныхъ.

Q. Coloris flavicantis, vel subviridis est, odor fragrans, *foliis Rorismarini off.* similis, sapor aromaticus camphoraceus. Sub lenissima evaporatione dat $\frac{1}{16}$ partis *Camphorae* (PROUST) ætate etiam ejus odorem adquirit (GEOFFROY.)

U. Paucis guttis nervos stimulat, inflationem levat.

## OLEUM HERBÆ ARTEMISIÆ ABSINTHII.

### M. травы Полынной.

Q. Recens viridis coloris, ætate vero fit densius et permutatur in fusco-bruneum colorem; sapor aromaticus, amarulentusque; odor ipsam *plantum* æmulans, sed fortior.

V. Nervina; stomachica; anthelminthica.

U. Convenit in languore post febres, concoctione depravata, in enterodynia spasmodica, vomitu, singultu, spasmisque ventriculi et diarrhœis efficax est medela. In adfectionibus verminosis abdomini illitum valet, imo etiam *clystere* injectum, ascarides in intestino recto necat.

## OLEUM HERBÆ MENTHÆ CRISPÆ.

### M. травы Мяты кудрявой.

Q. Ab initio pallide flavi, ætate profunde lutei coloris,

odor fortis herbæ *Menthae crispae* similis, sapor pungens, aromaticus.

U. *Saccharo* instillatum datur intrinsecus; extrinsecus vero abdomini illinitur in inflatione, enterodynia, vomitu etc.

## OLEUM HERBÆ MENTHÆ PIPERITÆ.

M. тр. Мяты перечной.

Q. Coloris ex viridi lutei, ætate profundioris; saporis fervidi atque odoris fortis.

V. Carminativa; nervina.

U. *Rotulas*, *elaeosaccharum* et *aquam Menthae piperitae* extemporaneam ingreditur.

D. Gutta, duæ.

## OLEUM HERBÆ ORIGANI VULGARIS.

M. тр. Душицы обыкновенной.

Q. Coloris lutei, odoris suaveolentis, saporis fervidi, aromatici.

U. Denti carioso instillatum gossypio, inditum, odontalgiam sopit; imo etiam in carie ossium laudatur (Lange.)

## OLEUM HERBÆ THYMI SERPYLLI.

M. тр. Богородской; — Ѳимiамное.

Q. Rubri coloris, penetrantis, gratique odoris, atque pungentis, aromatici saporis.

U. Denti carioso immissum, odontalgiam lenit (Miller.)

## OLEUM PINEO-LARICINUM.

M. Лиственницы.

Oleum pineo-larignum; — Pini laricis; — Terebinthinæ *Ph. Ross.*

Prostans venale; si vero necessitas urserit, id parari, sequenti modo fit:

R. *Balsami pineo-laricini* partem,

*Aquae partes* duas.

Fiat leni igne destillatio, quamdiu *oleum* prodierit.

Eodem modo *Oleum* e ceteris *Balsamis*, ut e *Balsamo pineo-sylvestri*, *pineo-piceo* (Pinus piceæ,) *pistacio-terebinthino* (Pistaciæ terebinthi,) *Pistacio-chio* (Pistaciæ Chiæ Tournef.) fit; sed *pistacio-terebinthinum balsamum* (*Terebinthina vera*,) quod etiam e Pistacia Chio depromi probabile est, adeo rarum est etiam in ipsa insula Chia, ut ad nos non pervenerit, nisi multo *pineo-laricino balsamo* adulteratum, quod adulterium Venetæ perficiebant. Vix vigesimam veri *terebinthini* admistam fuisse partem du Hamel testatur; ipsa autem raritas, vel in ipsa insula Chia (*Scio*,) debetur, partim rariori *arborum* proventui ex relatione Consineri ad du Hamel, partim exiguæ copiæ *balsami*, quod incisæ *arbores* fundunt. Massa post destillationem in retorta remanens, est Resina Pini flava (vulgo *Terebinthina cocta*,) quæ fusione super ignem, donec *aquosae* partes avolarint, in Colophonium mutatur, seu resinam balsami Pini. E *ligno* leniter ardente, nec non e *radicibus* harum *Pinus specierum*; præsertim vero *Pini sylvestris*, destillatione per descensum, *resina empyreumatico-oleosa*, fumo inquinata: oleum empyreumaticum pineo-sylvestre, (*Pix liquida Ph. Ross.* Деготь, *Oleum pissinum* Plinii, vulgo *Oleum picis*) obtinetur. *Residuum* in retorta, si ad siccitatem evaporet, est Resina pini empyreumatica (*Pix navalis*, *solida*, vel *sutoria Ph. Ross.* ruthenice Варъ.) quæ a *balsamo pineo-laricino* eo differt, quod *oleum* ejus *aethereum*,(seu *volatile*,) sit factum *empyreumaticum*, et adhuc portionem *acidi empyreumatici* continet, unde et in *aqua* ex parte solubilis est. *Oleum pineo-abiegnum* (M. сосно-еловое) non potest e *balsamo pineo-abiegno* obtineri, adeo bonum, ut e ceteris *Pini speciebus*; obtinetur quidem *Oleum stillatitium*, si *balsamum pineo-abiegnum* cum *aqua* destillatur, sed longe inferius *Oleis pineo-laricino*, *pineo-piceo*, *pineo-sylvestri*, neque iisdem pollens dotibus, et proinde pro

succedaneo horum neutiquam haberi potest. *Oleum pineo-balsameum*; in primis vero *pineo-laricinum*, vel *pineo-sylvestre* interdum *Oleo empyreumatico pineo-sylvestri* malesuada fraude inquinatur.

V. *Olei pineo-laricini:* totum stimulans organismum; præcipue vero renes; secretionem lotii augens, illique odorem violaceum impertiens; zooctona; in primis anthelminthica; lexipyreta; *Olei empyreumatici pineo-sylvestris:* resolvens; zooctona.

U. *Oleum pineo-laricinum* in systema uropoëticum agendo, in retentione lotii, mucique adcumulatione asthenica plurimum pollet, ita quidem, ut calculosis, sabulum everrendo, profuisse feratur. In ictero a calculis biliosis, qui ob spasmum ductuum biliferorum excerni nequeunt. Whitt et Percival dederunt cum *Alcohole*; Durande vero, solutionem calculorum biliariorum moliens, miscelam e tribus partibus *Olei pineo-laricini*, et duabus *Aetheris sulphurici* drachma, jejune quovis die capta, laudat. Hanc copulam et Wittingius probat. Famigeratissimus demagogus et sutelocaptiotrica Marattius, et mane et vesperi per 60 guttas propinabat. Boerhaavius quoque, ut habet Gesenius, hoc *oleum* urolithiasi obponere solitus fuerat. Recenter contra hydropisin a cl. Popp commendatum est. In hac infricatur; dein vero parvis præbiis interne datur, immo etiam cum *gummiresina Aloes perfoliatae* et *Opio* conjungitur. Tanta profecto *oleo pineo-laricino* penetrabilitas inest, ut cuti infricatum ipsam urinam odore violaceo dotet. In hæmorrhœis in dosi decem guttarum sumtum efficaciter agit, sic in hæmatemesi etc. In myodynia rheumatica, præsertim, si æger non est mobili nerveo systemate præditus, neque febrit, uti etiam in arthrodynia, cumprimis in ischiade et podagra. Cheyne propinavit *Olei pineo-laricini* partem, *mellis limpidi* partes duas, cujus remedii parvum cochlear mane et vesperi porrexit. Inter præbia hæc *Serum lactis vinosum* exhibuit; urgente vero dolore *Opium*. Home, Thilenius, Herz, efficaciam hujus remedii confirmarunt. Cl. Cullen memorat *oleum* hocce spinæ dorsali ante paroxysmum febris intermittentis infricatum virtutem le-

xipyretam exseruisse, quæ methodus Aegyptiis Medentibus crebro in usu fuisse fertur. Præsentanea ei vis est adversus interaneorum animalia; in primis vero *taeniam solium.* In gangliis solvendis, et in incitabilitate partium paralysi laborantium restauranda, id justis de causis pro efficaci habetur incitamento. Ganglion, quod ad carpum ortum fuit, (eo quotidie illito,) Plenckius dispulit, consulto igitur in tumoribus frigidis, et ad tonum restituendum in paralyticis membris infricatur. Valet etiam partibus gangrænosis et sphacelosis antea scarificatis adplicatum, nec minus in ossium carie exfoliationem promovet. Membranarum, nervorum, tendinumque noxis, si calefactum admoveatur, dolorem levat, spasmosque, qui illos haud raro comitantur, tollit. Oleum empyreumaticum pineo-sylvestre (ruthenice дёготь per modum potionis cum *aqua* commendatur in tussi chronica, asthmate pituitoso, scorbuto, helminthiasi etc. videsis: Potum piceum; qui vero ad Berkeleyum refertur, coalescit ex *aquae frigidae* congio et sextario *Olei empyreumatici pineo-sylvestris*, agitatis ope spathulæ ligneæ per tria, vel quatuor temporis minuta, dein vase quieti tradito, per duo nycthemera, donec omnis *pix* subsederit. *Oleum* ipsum per modum fumigationum magni fit in phthisi, jamque a cl. Mudge adversus hoc malum adhibitum fuerat, quod aliorum etiam Medicorum multiplici experientia (*Relation de quelques éxperiences faites avec la vapeur du Goudron dans le traitement de la phthisie pulmonaire par* A. Crichton à *St. Petersbourg* 1817,) comprobatum est. *Extrinsecus* ulceribus asthenicis, cacoëtheis, putescentibus convenit, imo non tantum mammarum scirrhos ad carcinomata jam proclives, sed etiam aliarum quoque, ut mesenterii glandularum tumores dissipatos fuisse legimus, adfectis partibus, *Pissocero* (*Cerato* cum *pice*) et *balneo*, admotis. Si ulcera carcinomatosa cum eo deligantur, ea reddit munda, ichorem emendat, fœtorem corrigit, et dolores mitigat. Resina empyreumatica pineo-sylvestris antiquitus,

in connubio *cerae* sub nomine, ni fallor, *Pissoceri*, in dysenteria dabatur; sed sub finem magis convenit.

D. *Oleum pineo-laricinum* communiter a quinque ad quindecim guttas cum *Saccharo*, vel *Vitello Ovi* porrigitur. Adair a decem ad quindecim guttas quavis hora propinavit in hæmatemesi. Fenwick adversus *taeniam* a semuncia ad duas uncias exhibuit per se optimo cum successu. Si dosis hæc *taeniam* non reddit extorrem; effectus tamen ejusdem gravabiles pro certo tollit. (*The Edinburg Medical and Chirurgical Journal* 1 *April*. 1810.) Majori dosi interdum vertiginem, quæ temulentiam æmulatur, producit, alvum subducit, rarius nauseæ, stranguriæ causa. *Resina empyreumatica pineo-sylvestris* optime in *pilulis* datur.

V. *Fomentum pineo-oleosum compositum*; *Linimentum acidum pineo-oleosum*; — *resinosum*; — *Saponis rubefaciens*; *Potus piceus*; *Sapo* —; — *pineo-oleosus*.

## OLEUM RADICIS INULÆ HELENII.

### Oleum inulinum.

### M. корне-девесильное.

Q. Sub frigore concretum atque crystallinum est, coloris albi, odoris non tam fortis, saporis irritantis *radicis Inulae Helenii* similis. Pond. specifico *aquam destillatam* superans.

## OLEUM RADICIS VALERIANÆ OFFICINALIS.

### M. корне-маунное.

Q. Recens subviridis; ætate vero profundioris lutei, aut flavescentis coloris; penetrantis, camphoracei odoris; aromatici, frigidiusculi saporis.

V. Nervina; excitans; sopiens.

U. In nervorum debilitate, morbis spasmodicis, ipsaque epilepsia (Thilenius,) singultu, et id genus aliis, non male adhibetur. Hypochondriacis et hystericis in primis convenit.

D. Gutta tres ad octo cum *Saccharo*, *Vino*, *Aethere sulphu-*

*rieo*, vel in adpropriata *aqua destillata*. Aptius *pilulis* addi posse existimatur. (Jahn.)

## OLEUM SEMINUM ANETHI FŒNICULI.

### Oleum anethinum.

### M. сѣмянъ укропныхъ.

Q. Coloris sublutei, odoris atque saporis *seminum Anethi Foeniculi* similis, sed fortioris, frigore coalescit in spissitudinem butyraceam coiens.

V. Aromatica; stimulans; carminativa.

U. In variis infimi ventris vitiis e. g. torminibus, flatulentia debilitato ventriculo. In *clysteribus*, qui adversus inflationem et spasmos sunt, una cum *Oleo olivo*, ad scrupulum, loco consuetorum *oleorum coctorum*, addi potest.

D. Guttæ duæ, sex.

## OLEUM SEMINUM CARI CARVI.

### M. сѣмянъ тминныхъ.

Q. Coloris lutei, exæstuans; odoris fortis, *semina Cari Carvi* æmulantis; saporis aromatici.

U. Præbetur interne et externe abdomini illitum adversus inflationem usurpatur.

## OLEUM SEMINUM PHELLANDRII AQUATICI.

### M. сѣм. водо-укропныхъ.

Q. *Coloris* subflavi, *odoris* penetrantis, *Seminum Phellandrii aquatici* similis; *saporis* acris aromaticique.

V. Lotium movens; tumultus febris hecticæ sedans.

D. Guttæ quatuor ad octo.

## OLEUM SEMINUM PIMPINELLÆ ANISI.

### M. сѣмянъ анисовыхъ.

Q. Coloris sublutei, odoris fragrantissimi *semina Pimpinellae Anisi* æmulantis; saporis dulciusculi; in frigore coalescit in radiatam crystallisatamque massam.

U. Aliquot guttulæ *Saccharo* adstillatæ adversus inflationem et enterodyniam flatulentam dantur. Guttulæ sex decem semuncia *Alcoholis diluti* solutæ, et *clysteri* additæ in adfectibus canalis intestinalis utilitatem promittunt. Capillis adstillatum pthiroctona virtute pollere creditur; an vero guttæ ejusdem duodecim ad quindecim, cum *simplici*, vel alio congruo *syrupo*, pro antidoto *Oxydum Arsenici album*, obtundente, haberi queant? (MAJAULT) dubito.

## OXYCARBONAS ZINCI PRÆPARATUS.

Окись углекислая цинковая пріуготовленная.

R. *Oxycarbonatis Zinci*, quantum placet.

In crucibulo exponatur igni, ut candefactum extinguatur in *aqua frigida*, quod iteratis vicibus repetendum, donec massa debitam adepta fuerit fragilitatem. Dein, ubi siccata fuerit, in tenuem tundatur *pulverem*, qui porro in pelvi ampla cum copiosa *aqua pura* diffundatur; ita tamen, ut rudior remanens in pelvi materia post exsiccationem denuo contundatur ac diffundendo depuretur, ut ante, quoadusque tota in *pollinem* subtilem fuerit conversa.

V. Externe exsiccans.

U. *Emplastris*, *Unguentis*que admiscetur. In ulceribus sordidis et intertrigine inspergi potest.

V. *Ceratum Oxycarbonatis Zinci.*

## OXYDUM HYDRARGYRI RUBRUM.

Окись ртутно-красная.

HYDRARGYRUM OXYDATUM RUBRUM *Ph. Bor.*

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER — *Ross.*

R. *Hydrargyri depurati* uncias quatuor,
solve in
*Acidi nitrici diluti* sufficienti quantitate.

In cucurbita vitrea balneo arenæ usque ad siccitatem evaporet. Massa dein exemta in crucibulo idoneo ignis gradu, sub continua baculi vitrei agitatione eousque calcinetur, donec colorem læte rubrum et splendentem induerit.

Q. Squamulis minutis, rubicundis, splendentibus adparet, iisque inodoris, saporisque vix sensibilis.

V. Corrosiva.

U. Usibus tantum externis inservit, nec communius adhibetur, nisi sub *unguenti* forma. Aptissimum est, quod TITTMANNUM refertur, ex drachma *ejusdem* et *insulsi butyri* semuncia, adjecto consistentiæ ergo, *cerae* tantillo. Cum sufficienti quantitate *adipis suillae depuratae* commistum, ulcera syphilitica efficaciter curat; escharoticon quoque in ulceribus supercrescentibus callosis aut fungosis, non spernendum præbet in *pulvere*.

D. Secundum sensibilitatem partis, cui adplicatur, determinanda est; semidrachma *ejusdem* subtilissime triti, vel et drachma cum uncia *adipis suillae depuratae*, aut *butyri insulsi* terendo miscetur, si hoc remedium cuti extrinsecus admovendum est. Ad *unguentum ophthalmicum* grana tria ejus subtilissime triti ad semunciam *unguenti* a principio sufficiunt.

V. *Linimentum Oxydi Hydrargyri rubri*; *Unguentum* — — —; — — *aluminatum*; — — — *hyoscyaminum*; — — — *Zincique*.

## OXYDUM ZINCI.

ZINCUM OXYDATUM ALBUM *Ph. Bor.*;

FLORES ZINCI *Ph. Ross.*

Окись цинковая бѣлая.

R. *Sulphatis Zinci*, quantum placet.
*Aquae fervefactae* decuplum.
Solve, filtra, et præcipita sufficienti quantitate
*Subcarbonatis Sodae depurati* in *aqua* soluti.

Præcipitatum album, probe ablutum, incandescat in crucibul per horæ quadrantem. In vitro clauso serva.

Q. In *aqua* nequaquam; in *acidis* vero prorsus solubile. Ex aëre *acidum carbonicum* adtrahit, eoque imprægnatur. *Odoris saporisque* est expers.

V. Antispasmodica; tonica; anthelminthica et dum oxydulatum, *Zinci Oxydo* fuerit immistum, aut cum *acidis* porrectum, emetica.

U. In multivariis spasmodicis infantum adfectionibus, ubi nimirum primæ viæ acore vitiosæ sunt, aut illi dentientes eclampsiis corripiuntur, aut qui in primo variolarum stadio, ita se male habent, ut e vermium vellicatione in eadem incidisse mala observentur, dein, si spasmata, functione dermatica suppressa, sunt exorta, si forte, (scelotyrbes exemplo,) pubertatis initium, corporisque evolutionem comitantur, non vana est in *Oxydo Zinci* spes, et tum in forma *pulveris* non male cum *Castoreo*, *Moscho*, *Opio* aut *radice Valerianae officinalis* conjunctus ad semigranum, granum, aut duo datur. Laudatur etiam in pertussi, asthmate convulsivo, præcipue stasibus abdominalibus cum colluvie pituitosa producto, risu sardonico, singultu et id genus aliis. Extrinsecus utilitatem promittit, in morbis oculorum chronicis, humidis, scrofulosis, eorundem inflammationibus et psorophthalmiis, et in iis, quæ variolas, aliaque exanthemata, subsecutæ sunt. Hunc in finem valet *pulvis* e sesquidrachma *Oxydi Zinci*, sicilico *Sacchari* et semidrachma *gummi Acaciae verae* factus, aliquoties de die adhibendus. Juvat etiam in ulceribus cutis cancrosis, humidis herpetibus etc., vel inspergendo, vel per modum *unguenti*. Ulceribus pedis dolorificis, inveteratis, obponitur cum successu *Unguentum* ex *Oxydi Zinci* et *seminum Lycopodii clavati* semidrachma, *Unguenti simplicis* uncia. A grano ad octo cum duplo *adipis suillae* commistum, trichiasi et excoriationibus papillarum mammæ, non ineptum. Nervis denudatis solamen esse existimatur (NIEMANN.) *Oxydum Zinci* interne sumtum interdum vomitus producit, tonicas intestinorum constrictiones, inflammationes, nervorum distentiones et resolutiones, externe etiam, nisi caute et prudenter adhibeatur, noxas profecto metuendas, illaturum.

D. Aptissime porrigitur *pulveris* forma cum *Saccharo*, aut *Magnesia*, ubi acoris in ventriculo metus a semigrano ad duo infantibus; adultis vero ad grana quatuor vel sex. Interdum, pro re nata, *Camphora* et alia, quorum supra mentio injecta est, adduntur.

## OXYMEL SCILLINUM.

### Уксусомедъ морсколуковой.

R. *Aceti scillitis* partem,
*Mellis optimi* partes duas.

Misce et in vase figulino leni igne ad *syrupi* consistentiam decoque.

D. A drachmis duabus ad semunciam exhibetur.

V. *Mistura scillina.*

## OXYMEL SIMPLEX.

### Уксусомедъ простой.

R. *Acidi acetici diluti impuri*
*Mellis optimi*, utriusque pares portiones.

Misce et in vase figulino, vel vitreo leni igne ad *syrupi* crassitudinem decoque.

U. Interne perraro solum præscribitur, sæpius *misturis* additum, vel *potionibus* a semuncia ad duas uncias. *Aqua* dilutum gargarisationi et antiphlogisticis *collutoriis* servit; imo cum congrua *Acetatis Cupri* portione commistum, loco *unguenti*, vulgo *aegyptiaci* dicti, adhibetur utiliter, plumaceolis exceptum.

V. *Linimentum Acetatis Cupri.*

## OXYMURIAS HYDRARGYRI.

HYDRARGYRUM MURIATICUM CORROSIVUM *Ph. Bor.*

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS *Ph. Ross.*

Солепресыщеннокислая ртуть; сулема ѣдкая.

R. *Hydrargyri depurati* partes quatuor,

*Acidi nitrici*, quantum sufficit,

ut solvatur. Solutionem in massam siccam evaporatione redactam, in pulverem redigito, et adde:

*Muriatis Sodae depurati* et exsiccati,

*Sulphatis Ferri exsiccati*, utriusque partes quinque.

Hæc tritura probe commista in phialam immittantur, cujus partem dimidiam impleant. Ignis lenis lentusque in balneo arenæ admovendus phialæ, aperto orificio, donec *aquosi vapores acidique* fuerint egressi. Tandem cono chartaceo leviter claudito, ac sensim ignem auge. Sublimatione finita, phiala confringatur, massaque splendens, alba, eximatur, a materia rubra in fundo residua, probe separanda, vel, quod levioris pretii est,

R. *Hydrargyri depurati* bilibram,

*Acidi sulphurici* libras duas et semis,

*Muriatis Sodae* exsiccati libras quatuor.

*Hydrargyrum* cum *Sulphurico acido* in vitreo vase super arenam coquatur, donec materia fuerit sicca. Hanc frigefactam vitreo vase cum *Muriate Sodae* commisceto, dein sublima in vitrea cucurbita, igne gradatim auctiori; tandem sublimata materia a scoriis separanda est.

Q. Iuxta Davyum e duabus *chlorinae* partibus unaque *metalli*, vel secundum Chenevixium e *Hydrargyri* p. 69, *Acidi muriatici* 18, et *Oxygenii* 12, constat. *Crystalli* ejus acus e parallelipedis formatas referunt et sunt *inodorae*; *saporem* vero præ se ferunt causticum metallicum, in *aëre* non mutantur, in *aqua* vicies tanto addita, *frigida*, solvuntur, haud secus ac in æquali portione *Aetheris sulphurici*; *Alcoholis* vero tripla.

V. Caustica; validissime resolvens; antisyphilitica; vasa in primis absorbentia stimulans.

U. Medicorum experientia comprobatum est in syphilide inveterata præcipue faucibus exulceratis, nodis tophisque magnæ esse efficaciæ, et in primis utilitatem promittere illis ægris, qui ceteroquin sat valent, neque stomacho imbecillo laborant, vel sunt mobili nervorum systemate præditi. Quamvis hoc forte remedium syphilidem per se vix

curet radicitus, attamen dolores, ei originem debentes, sedat, et mitiorum *Hydrargyri praeparatorum* per frictionem effectum adjuvat. SWIETENIUS in *solutione* eo uti praecepit; sed quoniam in *Spiritu Frumenti* difficulter solvitur, facile ad fundum vitri portio ejus remanet, noxam illatura, hinc alii pilularem formam præferunt. Si ægroti sunt irritabiles spasmisque, aut cita alvo laborare posse observantur, aut debilitate ventriculi, tum *Opium*, vel *amara* adduntur. In bubonibus et tumoribus testiculorum et in genere, ubi in lymphaticum systema agendum est, vix commendandus, utut, in his a CYRILLO adhibitus; sed sub *unguenti* forma. Quod ad eum refertur habet drachmam *Oxymuriatis Hydrargyri* cum *Adipis suillae* uncia per 12 horas jugiter contritam. Admovetur fricatio sub planta pedum ejusdem suasu, dimidio drachmæ, qualibet vice insumto, ast satius existumo id in interiori femorum, crurum, brachiorumque parte fieri. Laudatur *Oxymurias Hydrargyri* in algematibus, ut in myodynia rheumatica (chronica,) podagra, et id genus aliis, quo in casu RICHTERI, VOGLERI aliorumque suasu, *Opium*, *Succus Aconiti spissatus*, *Gummiresina Guajaci officinalis*, eidem adduntur, subscriptore etiam HECKERO. CYRILLO fricatione, cujus supra mentio injecta est, curavit coxalgiam. Prosopalgia etiam ipsa, si nervus infraorbitalis, aut facialis, *opiata Oxymuriatis solutione*, delibuatur, cedit, vel si idem pro usu interno, cum *gummiresina Assae foetidae* et *Succo Conii spissato* conjungatur. Fœditates cutis profligat, obponiturque herpetibus, tineæ capitis etc., externo usu *solutione* verbi gratia grani in *aquae destillatae* uncia, humefiunt partes fœditatibus contiguæ, vel admovetur eadem. HOFFMANNUS *fortiorem* adhibuit. In curatione scabiei refractariolæ *solutioni fortiori Murias Ammoniae* utiliter adjungitur. Non desunt exempla curatæ helminthiaseos (GARDINIER, CLARKE,) blennorrhœæ (cum *Opio*,) leucorrhœæ etc. Valet etiam adversus ulcera cacoëthea, fungosa, callosa, phagedænica, cariem ossium, scirrhum, carcinoma, gangrænam, vel *solutionis*, vel *unguenti* forma. Solvitur nimirum in *aqua destillata*, addita *mucilagine* congrua, vel fit *Unguentum*

ex *Oxymuriatis Hydrargyri*, et *Muriatis Ammoniae* paribus portionibus, quibus in *aqua fontana* solutis *Adeps suilla* adjicitur atque totum id in murrino mortario leni igne conteritur, donec *aqua fontis* prorsus avolarit: additur tandem *Oleum Citri.* Haec extus admota, datis simul interne *Opii* et *Submuriatis Hydrargyri* dosibus, præsentaneo sunt auxilio. In carie additur interdum *Oxymuriati Hydrargyri pulvis Juniperi Sabinae*; in cancro autem (auctore Justamondio) æqua *Oxydi Arsenici albi* portio. *Solutio ejusdem opiata* est proficua in ophthalmiis chronicis pervicacibus, quibus palpebræ presertim adficiuntur in pannis et maculis corneæ, in incipiente staphylomate. Ware commendat eundem contra amaurosin, dolore, coarctatione, et obscuratione pupillæ stipatam; Rowley vero interno ejusdem usu cataractam dissipavit. Meminisse juvat remedii adeo caustici usum imbecillis, sensibilibus, phthisiscentibus, hœmoptoicis, aut hæmorrhagiis, scorbuto, rachitide, atrophia, marasmo senili, et id genus aliis, laborantibus, esse alienissimum.

D. Gr. $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{4}$ ita, ut per nycthemeron administretur granum. *Forma pulveris* pro interno usu nunquam porrigitur; ast in genere *solutio* ejusdem, ceteris administrandi modis, a quibusdam præfertur, scilicet: soluitur is in *aqua destillata*, (quæ ceteris vehiculis præstat,) aut *Alcohole diluto*, servata hac proportione, ut quodlibet granum ad minimum duas vehiculi uncias teneat, *solutio*que, vel *Saccharo*, vel *melle* edulcoretur, vel *mucilagine gummi Acaciae verae* temperetur. Hujus *Solutionis* cochlear, vel duo, bis in diem, propinantur. Adhibetur etiam per modum *pilularum* cum *mica panis*, vel cum *Amylo triticino. radice Althaeae off. gummi Acaciae verae*, vel *Syrupo*, aut *extracto* quolibet congruo. *Melle* etiam pro conficiendis pilulis excipitur haud inepte, addito quovis ad easdem involvendas *pulvere* Extrinsecus adhibetur pro *lotionibus*, *collyriis*, *gargarismatis*, *injectionibus*, *clysteribus*, *pediluviis*, imo a quibusdam (Baume) pro *balineis*; quem in finem, pro re nata, magis, vel minus concentrata *solutio* fit. Pro *aqua ophthalmica*, aut *gargarismate* granum in selibra *aquae* soluitur. Pro *injectione*, verbi gratia, in blennorrhœa

aut leucorrhœa urethræ, tantundem, in duabus *aquae* unciis. Pro *clysteribus* (secundum VOLMAR) gr. $\frac{1}{4}$, vel semigranum in semuncia *aquae*, addito *Opio*, aut, (suadente R..YERO,) *Camphora*. Quodsi dosis ad granum, augeatur interne, exorietur gastrodynia, angor, vomituritio, quin protracto usu, tormina ventris atrocia, vomitus cruenti, prasino-biliosi, cum meteorismo, enteritis, in gangrænam, vel sphacelum atque ineluctabilem mortem, desitura. Magna proinde cura cavendum est, ne auctiori præbio, æger, loco quæsitæ salutis, præcipitetur. Hinc ab initio, si metus horum subest, obviam eundum est, adjecto volatili stimulo, *aromaticis aquis*, *cortice L. Cassiae*, *Citri aurantii*, *Opio*, *Camphora*. Noxa præpostero consilio illata, antidota celebratissima aptissimaque sunt *aqua Calcariae*, *Sulphuretum ejusdem*, *Potassa*, *Subcarbonas ejusdem* in *aqua solutus*, (adjecto *Olivi pauxillo*,) aut *ejusdem*, vel *Sodae Hydrosulphuretum*, *Cortex Cinchonae off.* vel *Quercus R. aquae* incoctus, *Sapo*, et generatim *potiones demulcentes*, *emulsiones*, *lac*, *Albumen* in *aqua* solutum et filtratum, juvant. Ad detegendum *Oxymuriatem Hydrargyri* adhibebantur *solutiones Alcalium fixorum*, *Subcarbonatum*, vel *aqua Calcariae* hucusque, e cujus præcipitatione sedimentum aurantii coloris surrexit; sed *Murias Stanni*, nuper detectus, præferri meretur, qui in primis griseum; dein vero fuscum colorem prodit.

V. *Aqua Hydrargyri caustica; Collyrium Hydrargyri opiatum; Gargarisma Oxymuriatis Hydrargyri; Linimentum Oxymuriatis Hydrargyri; Submurias Hydrargyri; Pilulae Oxymuriatis Hydrargyri; Solutio* — —.

## PHOSPHORUS.

## Фосфоръ.

R. *Acidi phosphorici concreti* partes tres,
in crucibulo fusis adde continuo movendo:
*Carbonis lignarii* pulverati partem.

Massam adhuc calentem in mortario lapideo probe terito, dein retortæ loricatæ immittito et junge mediante luto pingui

excipulum amplum, *aqua frigida* ad medietatem repletum, tubuloque parvo in parte superiori instructum, per quem *gas* exire possit. Destilla in furno reverberii, igne sensim auctiori ad retortæ candescentiam, donec guttæ transire cessent. Frigefacto adparatu liquorem infundibulo inde et *aquam* separa, dein inferiori infundibuli orificio clauso, *aquam* calidam adfunde *phosphoro*, (in infundibulo contento,) ipsumque infundibulum *aquae bullienti* immerge movendo massam bacillo vitreo, donec in collo infundibuli in massam coëat. Tum in *aquam frigidam* immitte, ut solidescat ea, quam inverso infundibulo exime & sub *aqua frigida* in vasis terreis, probe clausis, serva.

Q. Est substantia solida, tenax, subpellucida, albido-flava, consistentiæ *cerae*, pondus ejus specificum est 1770, si pura fuerit, calore fundenda, quæve in *aëre* ad 100° *Fahr.* accenditur flamma clara, fumoque albo, qui ad frigidiora corpora delatus liquescit et *Acidum phosphoricum* format Luce splendet interna, si temperies infra centesimum FAHRENHEITIANI thermometri gradum fuerit, combustionem prodit lentam, adtracto ex athmosphæra *oxygene*, quo *acidum* imperfectum *phosphorosum*, alliaceo odore manifestum, evolvitur. In *aqua* non solvitur, optime vero in *oleis unguinosis*, *aethereis*, *Alcohole*.

V. Admodum excitans; exhilarans, sub incremento caloris adurens.

U. In summa virium prostratione, quæ a febribus malignis efficitur, ita in gravissimo typhi stadio, ubi labefactis viribus, pulsus arteriarum sunt molles, exiles, exoriuntur singultus, subsultus tendinum, respiratio stertorosa, sudores tenaces, deliramenta tacita, auxilium spondet, ast si inflammatio topica, aut nimius sanguinis ad interna nobilia organa impetus, urget, omnino alienus est ejus usus. Profuit etiam in variolis, morbillis, scarlatina, aliisque exanthematibus retrogradis, actionem vasorum et cutis augendo, haud secus ac in tetano, epilepsia, commendabatur. Solebat etiam dari in arthritide anomala, ut excitatis viribus et diaphoresis et ipsi articulorum tumores renascerentur, cui fini

idoneum TRAMPELIUS invenit. An febribus intermittentibus obponi possit, ulterior experientia docebit. Usu ejus aliquot dierum, non modo leucophlegmaticus evanuit habitus; sed etiam febris ipsa plus simplici vice a me curata est; alienum tamen illis existumo, qui adtenuatis ventriculi viribus, aut saburra primarum viarum, aut splanchemphraxi, aut anarrhopia, laborant. Extrinsecus *Oleo olivo* mistum inungi suadent, isque tum, cuti admotus, sensum pungentem, urentem et ruborem producit.

D. Optime porrigitur ad octavam, aut rarius quartam grani partem in *emulsione*, vel *solutione oleosa*, ita, ut æger nequaquam ultra grani dosin intra nychthemeron sumat. Quindecim, verbi gratia, *Phosphori* grana solvuntur (digestione) in duabus unciis *Aetheris sulphurici*, atque huius solutionis guttæ decem exhibentur, vel grana quatuor *Phosphori* in *olei amygdalini* drachmis duabus soluta miscere expedit cum *gummi Acaciae verae* et *Sacchari* tanta copia, ut addita *aqua*, leviter *aromatica*, surgat *emulsio*. (Videsis *Emulsionem*.) Doses remedii hujus non sunt sæpe repetendæ, ne *Phosphorus* in ventriculo accumuletur, neque etiam magna sorbitionis copia ad semel paranda, ne is, adtracto *oxygene*, iterum præcipitetur. Oriuntur interdum, remedio insubide dato, æstus, anxietas, nimius sanguinis impetus, tormina, vomituritio, enteritis, gangræna, in mortem abitura, hinc provide et circumspecte administrandus.

V. *Emulsio phosphorata*; *Linimentum Phosphori ammoniatum*; *Solutio Phosphori aetherea*.

## PILULÆ ALLIATÆ.

### Пилюли чесночныя.

℞. *Radicis Allii sativi* recentis,
*Saponis oleosi*, utriusque semunciam,
*Radicis Glycyrrhizae glabrae* pulveratæ quantum satis sit,

ut fiat massa, e cujus singulis drachmis formentur pilulæ quindecim.

D. Pilulæ quinque (ad decem) bis terve de die porriguntur.

Si singulis dosibus *Submuriatis Hydrargyri* granum, vel duo, addideris, vis pilularum diuretica et anthelminthica intendetur.

## PILULÆ ALOËS.

### П. Сабурныя.

R. *Gummiresinae Aloës perfoliatae*, in pulverem subtilissimum tritæ,
*Saponis oleosi*, utriusque pares portiones,

quibus, si lubet, adde *Olei* cujusvis *carminativi* tantillum. Subige cum *syrupo simplici*, vel *mucilagine Acaciae verae*, ut fiat massa, ex qua formentur pilulæ pondere granorum trium.

D. Pilulæ tres (ad octo) hora decubitus Interdum additur *gummiresinae Myrrhae* tertia pars, et in alvo cum dolore suppressa sesquigranum (ad tria grana) *succi Hyoscyami spissati* singulis dosibus, addita autem decima grani parte *Tartratis Stibii* et *Potassae* (singulis dosibus,) vis *Aloës* cathartica mirum in modum intenditur; sed tum imminuendum est præbium.

## PILULÆ ALOËS et STALAGMITIDIS.

### П. Сабуро-гутоповыя.

R. *Massae pilularum Aloës* partes tres,
*Gummiresinae Stalagmitidis Cambogioidis* partem.
Misce, fiant pilulæ pondere granorum trium.

U. In obstipatione habituali rebelli pilulæ duæ dantur; si vero intentio est alvum semel, vel bis movendi, tum pilulæ quatuor hora somni, porriguntur.

## PILULÆ ALOËS FŒTIDÆ.

### П. Сабуро-вонючія.

R. *Gummiresinae Aloës perfoliatae*, vel
——————— ——— *spicatae*,
——————— *Ferulae Assae foetidae*,
*Saponis oleosi*, singulorum paria pondera.
*Olei Iuniperi* aliquot guttas,

Subige cum *Mucilagine Acaciae verae* in massam, ex qua fiant pilulæ pondere granorum trium.

U. Imbecillo ventriculo, dyspepsiæ, inflationi, compressæ alvo, adcommodatæ sunt, pilulis tribus (ad septem) bis de die propinatis.

## PILULÆ AMARÆ FERRATÆ.

### П. Горько-желѣзистыя.

R. *Bilis taurinae spissatae,*
*Extracti Gentianae luteae,*
*Radicis Rhei palmati* pulveratæ,
*Subcarbonatis Potassae,*
*Sulphatis Ferri* pares portiones.

Misce, fiant pilulæ *solutione Myrrhae*, si opus, excipiendæ; pondere granorum trium.

U. In acore ventriculi, dyspepsia, soda, (propinatis bis de die pilulis quatuor, sex et amplius,) valent.

## PILULÆ ASSÆ FŒTIDÆ COMPOSITÆ.

### П. Дурно-пахучія сложныя.

R. *Gummiresinae F. Assae foetidae* drachmas duas,
*Submuriatis Hydrargyri* grana decem,
*Camphorae* semidrachmam.

Misce fiant lege artis cum *mucilagine Acaciae verae* pilulæ pondere granorum trium.

U. In myodynia rheumatica (chronica,) arthrodynia et in primis coxalgia, propinatis sex, decem, bis de die, pilulis.

## PILULÆ CATHARTICO-DIURETICÆ.

### П. Слабительно-мочегонныя.

R. *Pulveris radicis Scillae maritimae* grana sex,
——— *Convolvuli Jalappae* grana decem,
*Submuriatis Hydrargyri* grana quatuor,
*Pulveris aromatici* grana sex.

Cum *syrupo Zingiberis*, vel *oleo pineo-laricino*, vel *Juniperi* fiant pilulæ quatuor granorum pondere, una vice, noctibus alternis, propinandæ, et *pulvis Supertartratis Potassae compositus*, quovis idoneo liquido solutus, mane insequenti exhibendus. Granum *Opii* subinde additum non erit alienum.

## PILULÆ CHELIDONII.

### П. Экстрактно-чистяковыя.

℞. *Succi Chelidonii spissati* unciam,
*Pulveris radicis Chelidonii majoris*,* quantum satis,
ad consistentiam massæ, e qua formentur pilulæ pondere granorum duorum, *pulvere* (*seminum*) *Lycopodii* conspergendæ.

U. Mane et vesperi, (per binas *pilulas*, sensim adscendendo ad decem,) sumtæ, efficaci sunt auxilio. Virtutes etiam *succi spissati Chelidonii*, quas in hydropisi præstat, confirmavit cl. Conradi.

## PILULÆ CHELIDONII COMPOSITÆ.

### П. Чистяковыя сложныя.

℞. *Succi Chelidonii spissati*,
*Saponis oleosi*,
*Gummiresinae Heraclei gummiferi*, singulorum drachmam.
Misce fiant pilulæ (per pondus) granorum duorum.

D. Decem (ad quindecim) pilulæ exhibentur.

## PILULÆ COLOCYNTHIDIS FERRATÆ.

### П. Колоцинто-желѣзистыя.

℞. *Extracti Colocynthidis compositi* drachmas tres,
*Gummiresinae Ferulae Assae foetidae*,
*Saponis oleosi*, vel
——— *pineo-oleosi*, vel
*Bilis taurinae spissatae*,
*Muriatis Ammoniae ferrati*,
*Succi Chelidonii spissati*, *singulorum* drachmam,

*Tartratis Stibii et Potassae* grana novem,
*Olei Chamomillae* guttas triginta.

Misce et lege artis fiat massa, in pilulas pondere granorum duorum dividenda.

D. Tres ad sex propinantur.

## PILULÆ COLOCYNTHIDIS STIBIATÆ.

### П. Колоцинто-сурьмяныя.

R. *Extracti Colocynthidis compositi* drachmas tres,
*Gummiresinae Heraclei gummiferi,*
——— *Ferulae Assae foetidae,*
*Saponis pineo-oleosi,*
*Succi Chelidonii spissati,* singulorum drachmam,
*Tartratis Stibii et Potassae* grana novem,
*Olei Chamomillae* guttas triginta.

Misce lege artis fiat massa, in pilulas per pondus granorum duorum dividenda.

V. Pilulæ utriusque compositionis; in primis vero hæ, sunt resolventes, aperientes, catharticæ, stimulo in viscera et intestina impresso, secretioni humorum, haud secus ac absorptioni calcar addunt, lentescentis in portarum vena sanguinis transmeatum reddunt expeditiorem; ast protracto usu corpus exinaniunt et infirmant.

U. In splanchemphraxi abdominali, infarctu intestinorum pituitoso, si indoles, aut complicatio mali expostulat. Formulis propositis haud inepte additur *Submuriatis Hydrargyri* drachma. Post singulum præbium non male bibitur *infusum specierum Chamomillae compositarum.*

Ď. Pilulæ tres ad sex dantur.

## PILULÆ DIGITALIS.

### П. Листовъ Наперстника.

R. *Pulveris foliorum Digitalis purpureae* scrupulum,

*Gummiresinae Ferulae Assae foetidae* (*Alcoholis diluti* ope ad aptam mollitiem redactæ), vel
*Roob Juniperi communis*, vel
*Extracti amari*, quantum satis,
ut fiat massa, in pilulas viginti æquales, dividenda.
D. Pilula (duæ) bis terve de die exhibetur.

## PILULÆ GUMMIRESINOSÆ FŒTIDÆ.

### П. Камедо-смолистыя вонючія.

R. *Gummiresinae Ferulae Assae foetidae*,
——— *Lauri Myrrhae*,
——— *Aloes perfoliatae*,
*Pulveris Juniperi Sabinae*,
*Carbonatis Ferri*, singulorum partes quatuor,
*Olei Succini* (*empyreumatici*) partem,
subige in massam cum sufficienti quantitate *syrupi* simplicis.
V. Tonica; antispasmodica, emenagoga, grana decem ad scrupulum, bis de die, porrigendo.

## PILULÆ GUAJACI COMPOSITÆ.

### П. Бакаутныя сложныя.

R. *Gummiresinae Guajaci officinalis* partes quatuor,
*Camphorae* partes duas,
*Succi Aconiti spissati*,
*Suboxydi Stibii hydrosulphurati*, utriusque partem,
*Alcoholis*, vel *Olei pineo-laricini*, si opus, quantum satis,
ut fiant pilulæ granorum quatuor pondere.
D. Pilulæ duæ.

## PILULÆ HUMULI LUPULI.

### П. Хмѣлевыхъ верхушекъ.

R. *Pulveris conorum Humuli Lupuli*,
*Extracti ejusdem* utriusque partes quatuor,

*Camphorae* partem,
Excipe *Tinctura Humuli Lupuli*, ut fiat massa, cujus grana quinque gradatim adscendendo ad scrupulum, vices *Opii* supplent. Myodyniæ etiam rheumaticæ et podagræ peridoneæ sunt.

## PILULÆ NITRATIS ARGENTI.

### П. Селитрокислаго серебра.

R. *Nitratis Argenti* grana quinque,
*Extracti Glycyrrhizae* scrupulum,
Misce, fiant pilulæ viginti æquales.
Usus in epilepsia probatus.

Pilularum dosis, ab una incipiendo, sensim sensimque quotidie augetur ad sex usque, (partitis vicibus,) vel donec nausea fuerit mota. Si vires intendere lubet, *Nitras Argenti fusus* præferri meretur eadem dosi propinandus.

## PILULÆ OXYMURIATIS HYDRARGYRI.

### П. Солепресыщенной ртути (сулемы.)

R. *Oxymuriatis Hydrargyri*,
*Muriatis Ammoniae depurati*, utriusque grana decem,
*Aquae destillatae* drachmam,
*Gummi Acaciae verae* pulverati scrupulos octo,
*Mellis* drachmam.
Fiat massa in pilulas octaginta æquales dividenda.

D. Duæ ad quatuor bis terve de die. Sumto singulo pilularum præbio, *mucilaginosa* potui danda vis *Oxymuriatis Hydrargyri corrosivae* obtundendæ causa. Interdum addere licet massæ superius indicatæ, *Opii* vel *Succi Aconiti*, aut *Conii* (*spissatorum*) scrupulos duos et *Tartratis Stibii* et *Potassae* grana octo, vel *Subphosphatis Calcariae stibiati* semidrachmam, et tum ostealgiæ (doloribus osteocopis) lenimen, in cutim vim medicamentosam exserendo, præstat.

## PILULÆ PICEÆ.

### П. Деготно-смоляныя.

R. *Olei empyreumatici pineo-sylvestris*, quantum vis,
*Pulveris radicis Glycyrrhizae glabrae* quantum sufficit,
ut fiat massa in pilulas granorum quinque dividenda.

V. Sudorifera; diuretica; antiseptica.

U. Scorbutus, fœditates cutis, psora, herpes, tinea etc.

D. Pilulæ quatuor, sex, bis terve de die, superbibendo DECOCTURAM SPECIERUM GUAJACI COMPOSITARUM.

## PILULÆ RHEI COMPOSITÆ.

### П. Ревеневыя сложныя.

R. *Pulveris radicis Rhei palmati* semunciam,
*Gummiresinae Aloës perfoliatae* drachmas tres,
——————— *Lauri Myrrhae* drachmas duas,
*Saponis pineo-oleosi* tantumdem,
*Olei Menthae piperitae* guttas quindecim.
Cum *Syrupo Zingiberis* subige in massam, ex qua formentur pilulæ pondere granorum trium.

U. Dyspepsia, inflatio, alvus adstricta.

D. Pilulæ quinque ad octo et amplius bis de die, superbibendo *aquam tepidam*, vel *infusum Matricariae Chamomillae*.

## PILULÆ SCILLÆ.

### П. Морско-луковыя.

R. *Radicis Scillae maritimae* sicatæ, et in pulverem subtilem tenuatæ,
*Gummiresinae Heraclei gummiferi* depuratæ, vel
——————— *Ferulae Assae foetidae*,
*Pulveris aromatici*, vel
——— *radicis Amomi Zingiberis*, vel
——— *seminum* ——— *Cardamomi*,

*Saponis pineo-oleosi*, singulorum pares portiones,
excipe:
*Tincturae Guajaci*, vel
*Olei Juniperi* sufficienti quantitate,
et subige in massam justæ spissitudinis, ex qua formentur pilulæ pondere granorum duorum.

U. Morbi pulmonum asthenici pituita stipati; hydrops.

D. Pilulæ quinque (ad duodecim) bis de die dantur.

## PILULÆ SCILLÆ COMPOSITÆ I.

### П. Морско-лук. сложныя 1.

R. *Submuriatis Hydrargyri* partem,
*Pulveris radicis Scillae maritimae* partes duas,
——— *aromatici* partes tres,
*Syrupi simplicis* quantum satis,
subige in massam, ex qua formentur pilulæ pondere granorum duorum.

U. Ut et præcedentium. Insuper in hypochondriasi, præsertim addito *Aloes* et *Saponis* pauxillo, commendari merentur.

D. Pilulæ tres ter de die, vel a quinque ad scrupulum et amplius, noctu dormituris et *pulverem Superturtratis Potassae* et *Stalagmitidis Cambogioidis* mane insequenti, addito interdum *pilulis*, *Opii* grano, præberi expedit.

## PILULÆ SCILLÆ COMPOSITÆ II.

### П. морско-лук. сложныя 2.

R. *Olei sulphurati cum pineo-laricino* drachmas tres,
*Gummiresinae Assae foetidae* drachmam,
*Submuriatis Hydrargyri*,
*Radicis Scillae maritimae*,
*Foliorum Digitalis purpureae* pulveratorum, singulorum scrupulum.
misce fiat massa, e qua formentur cum *Tinctura Digitalis purpureae*, vel *Aethere nitrico alcoholisato* (si opus) pilulæ pondere granorum duorum, pulvere *Lycopodii* conspergendæ.

U. Eximiæ sunt in hydropisi efficaciæ, si sex (ad duodecim) ter de die, exhibeantur.

## PILULÆ SODÆ.

### П. Углекислой соды.

℞. *Subcarbonatis Sodae depurati* exsiccati semunciam,
*Saponis oleosi* drachmas tres,
*Syrupi Zingiberis*, vel
—— *simplicis*, quantum satis,
ut fiat massa in pilulas, (per pondus) granorum quinque dividenda.

U. In urolithiasi valent propinatis duabus, tribus quatuorve pilulis de die.

## PILULÆ SUBMURIATIS HYDRARGYRI.

### П. Солекислой услащенной ртути.

℞. *Submuriatis Hydrargyri* grana sex,
*Camphorae* grana duodecim,
*Pulveris gummiresinae Guajaci officinalis* scrupulum,
*Mucilaginis Acaciae verae*, quantum satis,
ut fiat massa in pilulas duodecim æquales dividenda.

D. Pilulæ duæ ad quatuor bis de die. Quandoque quatuor *Opii* grana, aut *succi Aconiti* aut *Conii* (*spissatorum*) grana octo, vel *succi Hyoscyami spissati* tantumdem præcedenti massæ, pro rei necessitate, addi possunt. Præter effectus *Camphorae*, *Hydrargyri* etc., privos eosque multis modis inque variis morbis salutares, in trismo etiam dolorifico, attestantibus luculentis scriptoribus, laude sua non fraudantur.

## PILULÆ SUBMUR. HYDRARGYRI STIBIATÆ.

### П. Услащенной ртути сурьмяныя.

℞. *Submuriatis Hydrargyri*,
*Suboxydi Stibii hydrosulphurati*, utriusque partes tres, vel

*Subphosphatis Calcariae stibiati* partes quatuor,
*Extracti Gentianae luteae*, vel
——— *amari*,
*Saponis pineo-oleosi*, utriusque partem.

Duobus primis ingredientibus, simul tritis, adde *extractum*, *saponem* et *Tincturae Opii*, si opus, sufficientem quantitatem, ut fiat massa, ex qua formentur pilulæ pondere granorum duorum.

D. Pilulæ tres ad quinque. Vel

R. *Tartraris Stibii et Pottassae* grana quindecim,
*Submuriatis Hydrargyri*,
*Camphorae* (ope aliquot guttarum *Alcoholis* in pulverem redactæ), utriusque drachmam,
*Opii puri* semidrachmam, vel
*Succi Conii spissati*, vel
—— *Aconiti* — vel
—— *Hyoscyami* — scrupulos duos, vel
*Extracti Humuli Lupuli* drachmam.

*Mucilaginis Acaciae verae* quantum sufficit, ut fiat massa in pilulas sexaginta æquales dividenda.

U. In myodynia rheumatica, ostealgia syphilitica, porrectis duabus, aut tribus, et amplius, caute adscendendo, bis de die, pilulis, commendantur.

## PILULÆ SUBOXYDI HYDRARGYRI.

### П. ртутныя, (полуокиси ртутной.)

R. *Hydrargyri depurati* unciam,
*Balsami pineo-laricini* semidrachmam,

conterito, donec globuli *Hydrargyri* disparuerint, addendo, si opus fuerit, gradatim *Mucilaginem Acaciae verae*, tandem cum sufficienti quantitate *pulveris radicis Glycyrrhizae echinnatae*, vel *Amyli triticini* formentur pilulæ octaginta æquales.

D. Pilula, vel duæ, mane et vesperi ad ptysmatis lenioris adparitionem. *Pilulae* hæ *metallum* in minimo oxydationis gradu tenentes, vices *frictionum mercurialium* supplent.

## PILULÆ SUBOXYDI HYDRARGYRI NIGRI.

### П. Черно-ртутной полуокиси.

R. *Suboxydi Hydrargyri nigri* drachmas duas,
*Extracti Glycyrrhizae echinatae*, vel
*Mellis*, quantum sufficit,

ut rite conterendo fiant pilulæ centum viginti, conspergendæ *Lauri Cassiae corticis pulvere*. Interdum recte additur *Opii* dimidia quantitas, quæ *Suboxydi Hydrargyri nigri* est. Subinde loco hujus recte sumitur *Submurias Hydrargyri*, et tunc dosis minuenda est.

U. In syphilide, datis duabus bis de die, pilulis.

## PILULÆ SUBSULPHATIS CUPRI.

### П. Полуокиси мѣдно-аммiаковой.

R. *Subsulphatis Cupri* et *Ammoniae* grana sedecim,
*Micae panis* scrupulos quatuor,
*Subcarbonatis Ammoniae liquidi*, quantum satis sit,

ut fiat massa in pilulas triginta duas æquales dividenda. Vel

R. *Subsulphatis Cupri et Ammoniae* grana sedecim,
*Succi spissati Hyoscyami nigri*, vel
—— ——— *Conii maculati*, vel
—— ——— *Aconiti neomontani* drachmam,
*Pulveris radicis Valerianae*, quantum satis,

ut fiat massa, in pilulas triginta duas æquales dividenda. Quarum subinde singulis dosibus addantur *Oxydi Zinci* grana duo.

U. In epilepsia, porrigendo pilulam bis terve de die, sensim augendo dosin.

# POTASSA FUSA.

Kali causticum siccum *Ph. Bor*; Alcali causticum *Ph. Ross.*

Поташъ ѣдкій; щелокоприжигательной камень.

R. *Potassae liquidae* quantum velis.
Tamdiu in ferreo vase vaporet, donec instillata frigido lapidi guttula indurescat. Tum *sal* indatur crucibulo eique calor admoveatur, usque dum forma *olei* fluxerit, quod illico in canalem ferreum calentem, *olivo* illitum, effundatur, qui anserinæ pennæ magnitudinem habet. Denique in apta frustula secatur et vitro bene clauso servanda.

Q. Hic *acidi carbonici* orbus *sal kalinus*, *aëri* expositus, adtracto undique *carbonico acido*, deliquescit et per id causticitate sua privatur, adtractis aliis *acidis* exaestuat quidem; sed cum iis nunquam effervescit; cum *oleis* vero *unguinosis saponem* constituit. *Sapore* gaudet caustico linguamque excoriat, a *Potassa liquida* compagine tantum sua differt et prout *Soda*, *Ammonia*, *Baryta*, *Strontiana*, *Calcaria* aggere galvanico tractata metallicam indolem, secundum Davyana experimenta, manifestat.

V. Corrosiva, quippe quæ partes corporis organicas exest et destruit; ubi vero satis diluitur, actionem vasorum lymphaticorum nervorumque serosas arterias musculosque penetrantium, intendit, iisque stimulum impertitur, quo nervorum in secretionibus vis mutatur atque metasyncrisis efficitur.

U. Facultate sua caustica proficit adversus hypersarcosin, callosos inertesque ulcerum margines, verrucas, tumores cysticos etc., lentius quidem agendo, sed non causat adeo vehementes, ut alia, caustica dolores, serique effusionem promovet. Si ad aperiendos callos, tumores ulcerosos et verrucas necessitas incidit ejus adhibendæ, loca hæc prius *emplastro forato*, ne ultra foramen effectus caustici progrediatur, tegenda sunt. Porrigo, ut escharæ spissæ molliantur, removeanturque

non inepte lavatur drachma cum *olei* dupla portione in uncia *aquae* soluta. Ad radicalem hydropis tunicæ vaginalis testium curam, usus est Levretus injectione ex *solutione* duorum *ejusdem* granorum in selibra *aquae*. Dessaultius elychnia *solutione* ejusdem imbuta, vaginali tunicæ inserebat, arrosione suppurationem novam et coalitum, moliens. Quatenus extus admota activitatem lymphaticorum vasornm sollicitat intenditque, adhibetur ad resolvendos tumores adenemphracticos; sed in *solutione* adeo diluta, ne inflammationem excitet. Miasmatibus etiam et contagiis obviam it, vulnera a canibus rabidis inflicta, si neque exscindi, neque aduri commode queant, dilatata prius lavari suadet Medererus *solutione Potassae fusae* aliquoties de die atque dein *aqua* elui; vel vero vulneri, si non est sensibile, linteum carptum, *solutione* imbutum, admovetur. Hæc methodus Simonsio etiam arrisit. Remedio est etiam, attestante Fontana, adversus viperarum ictum, imo diluta ejusdem *solutio*, interne sumta, morsuræ venenatorum serpentum occurrisse fertur, haud secus ac eadem, illato stupro, confestim in urinæ iter injecta, (non neglecta glandis colis ablutione, blennorrhœam, teste Fordyce, averruncavit; Althofius tamen contrarium refert. Ulcera syphilitica incipientia identidem tractata *Potassa fusa* facilius curationem recipiunt. Intendendo actionem nervorum in serosis arteriis valet adversus neuroblaciam quarundam partium, cui interdum myodynia rheumatica et podagra originem debet. Hunc in finem proponuntur *topica*, pro adfecta parte, *balnea*, vel etiam *fotus* e *solutione ejusdem*. Haggenmüllerus *pediluvia* e *solutione ejusdem* cum successu opposuit podagræ, singulo vespere per semihoram primo; dein vero per horam administrata. Non male, si morbus is apyretus est, *Potassae fusae tinctura* interne subjungitur. Corrigendo morbosam secretionem proficit in ulceribus asthenicis flaccidis, putescentibus etc., in *solutione*, qua madefiunt. Secundum Stütz partes exulceratae *balneo calido*, in quo *Potassa* soluta est, per aliquot minuta fovendæ sunt, quo inertes ulcerum margines lacessiti, sensim

meliorescunt, novamque benigni puris secretionem admittunt. In fistulis etiam lacrimalibus aliisque fistulosis ulceribus administrari potest *solutio* per modum *injectionis*. In blennorrhagia urethræ a Girtannero, Mönchio, Weikardio etc., diluta *solutio* pro *injectione* commendatur; injicitur autem incipiente ea, ita, ut granum *Potassae fusae* in *aquae destillatae* uncia solvatur, ne alium, quam fugacem æstus sensum in urethra producat. Girtannerus initio primi blennorrhagiæ stadii injiciebat *solutionem* e *Potassae fusae* drachma et *aquae destillatae* libra; sed concentratior *solutio* aptior est blennorhϣæ, quam præcedenti. *Opium* non male additur. Ad sollicitandos etiam nervorum organicorum fines valet, ut consumtio imponderabilium acceleretur, spasmatibusque hac ratione finis ponatur. *Balnea* scilicet parantur, quæ quotidie semel vel bis in trismo, scelotyrbe aliisque id genus nervorum distentionibus imo et eclampsiis infantum commendantur. Recenter adversus tetanum traumaticum proponitur tale, una cum usu interno mutuo *Opii* et *Subcarbonatis Potassae*, nec non *fomentum* (Stütz.) Solvitur *Potassae fusae* uncia sensimque concedente morbi natura, unciæ duæ in semicupio, quod ex *lixivio* fit, quale e communi *lignorum cinere* parari solet (*Salzb.. Mediz. Chir. Zeitung.*) Pro *fomento* adhibetur *Potassae fusae* uncia in *aquae destillatae* mensura sesquialtera soluta, quod ventri adplicatum spasmum gravidæ clonicum submovit (Brünninghausen.) *Acidum uricum* prædominans mitigando idque neutralisando, laudes tulit in urolithiasi (Home, Blane,) tumoribus arthriticis (Swieten,) rigiditate articulorum post sclopetaria vulnera.

D. Ad tangendas partes, vel in substantia, vel in *solutione*, vel cum *simplici* quopiam *digestivo unguento* adhibetur. Pro *solutionibus* adhibetur *aqua destillata*. In blennorrhagia incipiente, vel in ipsa blennorrhœa semigranum, vel duo grana solvuntur in uncia *aquae* pro *injectione*, in ulceribus granum; si vero ea insensibilia sunt, duo vel quatuor, pro vulnere a rabido cane inflicto cauterisando semidrachma pro uncia *aquae* sufficit. Si adhibenda est pro interno usu, subsistere oportet gra-

nis tribus, incipiendo ab uno, eaque solvi, vel in *aqua*, vel in *mucilaginosis*, aut *jure carnium*. Utentes hoc remedio vitare debent *acida*, aut *oleosa* nutrimenta; alvus vero, si dura est, emollientibus ducenda est lotionibus. Connubium ejus cum *acidis*, aut *Salibus metallicis*, omnino damnandum.

*V. Solutio Potassae camphorata; Tinctura Potassae fusae.*

## POTASSA LIQUIDA.

LIQUOR KALI CAUSTICI *Ph. Bor.*; LIXIVIUM CAUSTICUM SAPONARIORUM *Ph. Ross.*

Щелокъ ѣдкопоташный, мыловарный.

R. *Subcarbonatis Potassae depurati* bilibram,
vasi ferreo inditis adfunde:
*Aquae communis* fervidæ decuplum,
successive adde:
*Calcariae* pulveratae libras tres,

coque per quadrantem horæ spathula movendo. Si liquor cum *acido* quocunque commistus, nullam producit effervescentiam, *Calcaria* addatur. Cola per linteum. Liquor vitreis lagenis obturatis infusus, ubi subsederit, decantetur atque evaporet, donec ejus unciæ quatuor vas compleverint, quod capax foret unciarum trium *aquae simplicis*. In lagenis minoribus obturamento vitreo adcurate muniendis, usui servetur.

Q. *Potassa liquida*, si rite parata est, *coloris* et *odoris* expers habetur, nec cum *acidis* effervescit, nec cum *aqua Calcariae* lactescit, nec ab addito *Subcarbonate Potassae* turbatur. Si lactescit super *Calcaria* denuo colanda est; si turbatur *Subcarbonas Potassae liquidus* tamdiu instillandus est, donec nulla amplius fiat præcipitatio.

V. Cuticulam adurens, eamque erodens. *Dilutae*: fibram muscularem vellicans, lotium movens, acidum adtrahens, eoque etiam, ut verisimile est, lithontriptica.

U. ejus in urolithiasi, (præeuntibus Jurine & Chittik) invaluit; examinata enim, adcurata mentis trutina, calculorum urinariorum natura, inconfesso est, quosdam eorumdem e solo *Urate Ammoniae* aut *acido urico* (*lithico*) compositos, *Potassa*, seu *acido carbonico* juncta, seu eodem orbata, dissolvi posse; quantum enim experiri licuit, nullum de *urici acidi* in calculis praesentia dubium est, præcipitatum quippe *Acido muriatico* in reddita urina exortum, postquam ægris administrata fuit *Potassa*, id extra omnem dubii aleam ponere videtur. Vulnera a cane rabido inflicta eluuntur apte *Potassa liquida*, haud secus ac ulcera, quæ cacoëthe vocant, maxime syphilitica, quae per hydrargyrosin malum characterem sunt adepta, delibuuntur cum successu eadem. Apta quoque est *injectio* ejus *dilutae* in tunicam vaginalem testis, si hydrocele occupatur. Nervorum resolutiones cum neuroblacia conjunctæ sat bene cedunt *fricationibus* cum eadem institutis.

D Guttæ decem ter vel quater de die in urolithiasi, vel ne ventriculum gravet, guttæ quindecim in *jusculo* e *Carne vitulina* exhibentur. *Solutio*, quæ ad Cohenium refertur, habet *Potassae liquidae* guttas decem vel viginti, *decocturae baccarum Iuniperi* libram, per diem sumenda. Inter usum ejusdem internum portio adæquata e guttulis *Potassae* viginti, *aquae destillatae* libra, dilutis, matutino tempore reddito *lotio*, catheteris ope, tepore 90 gr. *Th.* F. urocystidi a Rittero est injecta.

V. *Potassa fusa.*

## POTUS ACIDUS MINERALIS.

### Питье окисленное сѣрною кислотою.

R. *Decocturae Furfuris*, vel
——— *Hordei*, vel
*Aquae panis biscocti* bilibram,
*Acidi sulphurici diluti* drachmam,
*Mellis despumati* semunciam, vel

*Syrupi simplicis*, vel
*Roob Oxycocci* unciam.

U. Synocha, synochus miliaris, varicella, et alii sthenici morbi; sub initio pemphigus.

## POTUS ACIDUS VEGETABILIS.

### П. окисленное винокаменною солiю.

R. *Decocturae Furfuris*, vel
——— *Hordei*, vel
*Aquae panis biscocti* bilibram,
*Supertartratis Potassae* unciam,
*Syrupi simplicis*, vel
*Mellis despumati* semunciam.

U. Idem, ut et præcedentis. Huic tamen recte substituitur *posca*, Ruthenice квасъ, dicta.

## POTUS PICEUS.

### П. Деготно-смоляное.

R. *Olei empyreumatici pineo-sylvestris* partem,
*Aquae depuratae* partes quatuor,

Commisce, et bacillo ligneo valide per bihorium agita, dein liquor stet in vase ligneo per biduum, et tandem per subsidentiam depuratus effundatur.

V. Diuretica; sudorifica.

U. In humorum dyscrasia: scorbuto (Ellis;) psora; chlorosi; leucorrhœa; hydrope; ulcere renum, aut urocystidis; morbis viscerum pituitosis; hypochondriasi (quadrio) videsis: Oleum pineo-laricinum.

D. Unciæ tres et plus, ter de die, administrantur.

## POTUS REFOCILLANS.

### П. Ободряющее.

R. *Aetheris sulphurici alcoholisati* drachmas duas,

*Aquae fontanae*, vel
*Decocturae Furfuris*, vel
——— *Hordei* bilibram,
*Sacchari puri* semunciam, vel
*Mellis flavi* unciam,
frigide commisceantur.

U. Typhus, aliique consimiles morbi. In vicem hujus *potio gentilitia*, *збитень* ruthenice dicta, adjectis *aromaticis herbis*, ex *melle* et *aqua* decoctis, aut ex *melle*, admisto *fructus Piperis*, vel *Capsici annui* tantillo, pro re nata, etiam cum *Alcohole diluto* facta, non est despicatui ducenda, præsertim, ubi adtenuatis armigerorum, longinqua itinera facientium, viribus, succurendi necessitas incidit.

## PULPA POMORUM.

### Мякоть яблочная.

R. *Pomorum dulcium*, quantum vis,
coque ex *aqua* et transprime per cribrum.

U. Pro *Cataplasmate ophthalmico*.

## PULPA PRUNORUM.

### M. Сливеная.

R. *Fructuum Pruni domesticae*, exemtis *nucleis*, quantum lubet.

In sufficienti quantitate *aquae* ebulliant ad idoneam parenchimatis mollitudinem, quod per setaceum trajectum ad *mellis* crassitudinem evaporet, et addendo singulis libris, duas *Sacchari* uncias, leni igne ulterius inspissando, fiat *pulpa*.

D. Interne: a semuncia ad duas uncias, modo sola, modo cum alio medicamine, soluta in *aqua*, *sero*, aut simili *vehiculo*, jam sub forma *electuarii* cum aliis ingredientibus *catharticis*, ut *Supertartrate Potassae*, *Sulphate Magnesiae*, *foliis Cassiae Sennae*, *radice C. Jalappae*, et similibus. Vices aliarum *pulparum*, ut *fructus Cassiae Fistulae*, *Amlicae indicae* haud mediocri

œconomiæ emolumento supplet, addito inprimis, ut posteriori sit analoga, *Supertartrate Potassae*, vel *Acido tartarico*, absque mistione *Sacchari*.

V. *Electuarium Sennae*.

## PULVIS ABSORBENS.

### Порошокъ всасывающій.

R. *Carbonatis Calcariae* pulverati,
*Farinae avenaceae*, utriusque pares portiones.
Misce.

U. Extus erysipelati, erythemati abmovetur. Sub initium horum vitiorum plerumque antisthenica (antiphlogistica,) præcipue cathartica, diaphoretica, refrigerantia, interne sumta, actionem vascularem et sensilitatem inhibentia, conveniunt; procedenti vero tempore, simulac metus typhi gravioris, vel gangrænae subest, vel oppressionis encephali indicia, puta: apathia, stupor, urgent, scire licet mala hæc, jam retrograda, vesicantibus nuchæ admovendis, stimulantibus aliisque internis pharmacis revocanda esse. Singulis *Absorbentis pulveris* selibris *Oxycarbonatis Plumbi* semuncia et semidrachma *Camphorae* addita, eundem reddit efficaciorem et quibusdam in casibus aptiorem.

## PULVIS ADSTRINGENS.

### П. вяжущій.

R. *Sulphatis Ferri*,
*Succi Eucalypti concreti*, vel
*Extracti Tormentillae erectae*, vel
——— *Catechu*, utriusque pares portiones;
misce. Vel

R. *Supersulphatis Aluminae* et *Potassae* partes quatuor;
*Succi Eucalypti concreti*, vel
*Extracti Tormentillae erectae* partem.
Redigantur in pulverem tenuissimum.

V. Prioris adstringens; tonica.

U. Extrinsecus præcipuus. Uterque pulvis externe ad sistendum sanguifluxum minorum vasorum, ad coërcenda ulcera scorbutica, atonica, adspergendo idoneus.

## PULVIS ALUMINIS COMPOSITUS.

### П. квасцовый сложный.

R. *Supersulphatis Aluminae* et *Potassae* fusi,
*Oxydi Hydrargyri rubri*,
*Acetatis Cupri*, singulorum partem,
*Summitatum ramorum Juniperi Sabinae*, vel
*Radicis Rhei palmati*, vel
——— *Acori Calami*, vel
——— *Colombae* partes duas, vel
*Carbonis lignarii* tantumdem.
Fiat pulvis perquam subtilis.

V. Excitans; adstringens; rodens admodum.

U. Ulcera supercrescentia, phagedænæ, rhagades, verrucæ, psoriasis et alia similia vitia.

## PULVIS AROMATICUS.

### П. пряный.

R. *Seminum Amomi Cardamomi*,
*Radicis* ——— *Zingiberis*,
——— *Acori Calami*,
*Fructus Piperis longi*, vel
——— ——— *nigri*, singulorum partes æquales.

Tere simul in pulverem tenuissimum, in vase bene obturato, servandum. Vel

R. *Corticis Lauri Cassiae* pulverati,
*Seminum Amomi Cardamomi*,
*Radicis* ——— *Zingiberis*, singulorum pares portiones

In pulverem subtilissimum tenua, in vase vitreo probe obturato, servandum.

V. Stimulans; calefaciens; peptica.

U. Dyspepsia, inflationes. Supervenietem scarlatinæ anginosæ aliisque febribus asthenicis alvi resolutionem, ægro discrimen minitantem, *vino* nuptus, cohibet.

D. A granis decem ad scrupulum et amplius per se, sæpius in connubio aliorum.

V. *Tinctura aromatica.*

## PULVIS ASPIDII COMPOSITUS.

### П. папоротнаго корня сложный.

R. *Pulveris radicis Filicis maris* drachmam,
——— ——— *Convolvuli Jalappae,*
——— *Gummiresinae Stalagmitidis Cambogioidis,*
——— *foliorum Centaureae benedictae,*
*Subphosphatis Calcariae,* singulorum semidrachmam.

Misce fiat pulvis subtilissimus in tres partes æquales dividendus.

U. Nisi eliminetur tænia prima dosi, post bihorium altera et sic porro tertia, sumenda est, sumto videlicet pridie PULVERE SUBMURIATIS HYDRARGYRI COMPOSITO. Hi duo *pulveres,* pro *remedio antitaenioso,* habiti, ab exc. BECK Archiatro Petropolitano, publici juris, facti sunt.

## PULVIS CARBONIS ACIDULUS.

### П. Угольный кисловатый.

R. *Carbonis lignarii* scrupulum ad drachmam,
*Acidi citrici concreti* grana quinque,
*Pulveris Gummi Acaciae verae,*
*Sacchari,* utriusque scrupulum.

Misce fiat pulvis tenuissimus, ter de die propinandus.

U. Alvi dejectionibus, fœtidis, dysenteria declinante, quandoque idoneus. Loco *Acidi citrici concreti, succus Citri,* sumto *pulvere,* (parvo cochleari,) convenit.

## PULVIS CINCHONÆ SUCCEDANEUS.

### П. Хину замѣняющій.

R. *Corticis Aesculi Hippocastani*,
——— *Salicis cujuslibet*,
*Radicis Gentianae luteae*,
——— *Acori Calami*,
——— *Gei urbani*, singulorum quantum vis.
Misce, fiat pulvis subtilissimus, in vitro obturato, servandus.
D. Scrupulum (ad duo) datur.

## PULVIS GUAJACI COMPOSITUS.

### П. Смолы бакаутной сложный.

R. *Gummiresinae Guajaci officinalis*,
*Elaeosacchari Foeniculi*, utriusque scrupulum,
*Camphorae* grana sex,
*Nitratis Potassae depurati* grana octo,
Misce fiat pulvis, cujus altera dimidia pars mane, altera vespere sumenda. Loco *Nitratis Potassae*, grana quatuor *Subphosphatis Calcariae stibiati*, persæpe non inepte, adhibentur.

## PULVIS GUAJACI AMMONIATUS.

### П. Бакаутно-аммïаковый.

R. *Gummiresinae Guajaci officinalis* scrupulum,
*Subcarbonatis Ammoniae* grana quinque,
*Elaeosacchari cujuslibet* scrupulum.
Contere, ut fiat *pulvis*, ex *melle*, vel *Syrupo simplici*, dormituro noctu, porrigendus. Quandoque et huicce grana *Camphorae* tria, quatuor addita, non officiunt.

U. Myodynia rheumatica, astheniæ notam ferens, arthrodynia, exanthemata asthenica retropulsa.

## PULVIS GUAJACI OPIATUS.

П. Бакаутно-опiатный.

R. *Gummiresinae Guajaci officinalis* grana decem,
*Pulveris Ipecacuanhae opiati* grana quinque ad decem.
Misce.

V. ut præcedentis, præstantior tamen; huic interdum adduntur:

*Camphorae*, (ope aliquot guttarum *Alcoholis* pulveratæ) grana quatuor,
*Sacchari albi* grana decem.
Pro dosi propinatur.

## PULVIS GUAJACI STIBIATUS.

П. Бакаутно-сурьмяный.

R. *Gummiresinae Guajaci officinalis* drachmam,
*Tartratis Stibii* et *Potassae* granum,
*Supertartratis Potassae* drachmas duas.
Misce fiat pulvis subtilissimus.

V. Excitans; sudorem et alvum movens.

U. In myodynia rheumatica egregius.

D. A scrupulo ad semidrachmam e *syrupo opiato*, vel alio convenienti.

## PULVIS JALAPPÆ COMPOSITUS.

П. Ялапный сложный.

R. *Pulveris radicis Convolvuli Jalappae*,
*Supertartratis Potassae*, vel
*Sulphatis ejusdem*, utriusque pares portiones.
Misce, fiat pulvis subtilissimus.

U. Alvo compressa exhibendus.

D. Scrupulum ad semidrachmam. Loco *radicis Jalappae*, *Rhei palmati radix* substitui potest, tunc detur compositionis semidrachma ad drachmam. *Elaeosacchara* eidem addi queunt.

## PULVIS JALAPPÆ et SUBMURIATIS HYDRARGYRI.

### П. Ялапно-ртутный.

R. *Pulveris radicis Convolvuli Jalappae* scrupulum,
*Submuriatis Hydrargyri* grana quinque,
Misce, fiat pulvis tenuissimus pro dosi e *syrupo*, vel *melle* sumendus mane; cui interdum adduntur:
*Gummiresinae Stalagmitidis Cambogioidis* grana duo ad sex.

V. Cathartica; anthelminthica, diuretica.

U. Alvus adstricta, hydrops, mania, vermes intestina occupantes.

## PULVIS IPECACUANHÆ.

### П. Рвотнаго корня.

R. *Radicis Callicoccae Ipecacuanhae* pulveratæ,
*Sacchari albi*, utriusque scrupulum.
Misce, fiat pulvis una vice administrandus, vel divide in quatuor partes æquales, quarum una omni quadrante horæ, donec vomitus insequetur, sumenda est.

## PULVIS IPECACUANHÆ OPIATUS.

### PULVIS DOVERI.

### П. Ипекакуаны опіатный.

R. *Pulveris radicis Callicoccae Ipecacuanhae*,
*Opii*, utriusque partem,
*Sulphatis Potassae* partes octo.
Tenua in subtilissimum pulverem.

V. Excitans; sedans; eximie sudorifica; antispasmodica.

U Myodynia rheumatica, aliive morbi a perfrictione oriundi; diarrhœa; dysenteria; hydropisis, ubi exhalatio cutanea supprimitur, vel eandem provocare expedit.

D. A granis decem ad scrupulum. Sumto remedio nil illico

bibendum, ne vomitiones provocentur. Si loco *Sulphatis Potassae*, *Subcarbonas Sodae* accipiatur, tunc præcedenti valentior erit in pertussi, præsertim præmisso *vomificio* quoniam *stibiato*, et tum pro ratione ætatis, quarta quaque hora, per aliquot dies, ex *syrupo* exhibetur. Si vero, sub usu ejusdem, alvus est compressa, eandem *Sybmuriate Hydrargyri* et *radice Rhei* subduci juvat. Idem effectus cum *Tinctura Opii*, *Vino Ipecacuanhae* et *Subcarbonate Potassae*, habita proportionis ratione, in formula liquida commistis, produci potest. (PEARSON.)

## PULVIS IPECACUANHÆ STIBIATUS.

### П. Ипекакуаны сурьмянный.

R. *Pulveris radicis Callicoccae Ipecacuanhae* scrupulum,
*Tartratis Stibii* et *Potassae* granum.

Misce, ut fiat pulvis subtilissimus pro dosi sumendus, superbibendo affatim tepidam *aquam*, *infusum florum Chamomillae*, vel *Centaureae benedictae*, simulac vomitiones fuerint provocatæ.

## PULVIS MURIATIS AMMONIÆ STIBIATUS.

### П. Солекислаго Аммiака сурьмянный.

R. *Muriatis Ammoniae depurati* unciam,
*Suboxydi Stibii hydrosulphurati* semidrachmam,
*Elaeosacchari Chamomillae* drachmas quinque,
*Radicis Glycyrrhizae glabrae*,
——— *Acori Calami*, utriusque drachmam, duas,

*Pulverata* commiscentur, in vase vitreo epistomio munito, ne humiditatem attrahant, usui servanda.

U. Febribus intermittentibus gastricis dicatur. Datur extra paroxysmum, aut immediate post eundem (corpore adhuc madente, qnod vomitum a majori dosi *Suboxydi Stibii*, metuen-

dum præcavet,) secunda quaque hora, dosi cochlearis minoris, (usui *infusi Theae* destinati.) cum *aqua*; si nausea conatusque vomendi subsequuntur, scopo vomitum ciendi, eàdem dosis quavis semihora porrigitur, *aquam tepidam* superbibendo. Quo facto febris plerumque cessat, et tum vires attenuatæ *Cortice Cinchonae* integrandæ sunt.

## PULVIS NITRATIS POTASSÆ COMPOSITUS.

### П. Селитряный сложный.

R. *Nitratis Potassae depurati,*
*Sacchari albi*, utriusque semunciam,
*Gummi Acaciae verae* unciam, ad sescunciam.
Misce, fiat pulvis.

D. Drachma ad sesquidrachmam, sæpius aut rarius, pro scopo, qui intenditur.

## PULVIS PRO SUFFITU.

### П. Курительный.

R. *Gummiresinae Juniperi Lyciae*,
*Succini*, utriusque partes tres,
*Florum Lavandulae Spicae* partem.
Misce.

*Baccae Iuniperi communis*, super prunas ustæ, odorifera virtute, præcedenti *suffitui*, æquiparabiles.

## PULVIS QUERCUS COMPOSITUS.

### П. Дубовой корки сложный.

R. *Pulveris corticis Quercus Roboris*,
——— *radicis Acori Calami*,
*Foliorum Anthemidis nobilis,*
*Muriatis Ammoniae depurati*, singulorum partes æquales.
Misce, fiat pulvis subtilissimus, cui adde, (si vis,)

*Pulveris corticis Lauri Cassiae,* vel
——— *aromatici* dimidiam, quæ singulis ingredientibus inest, quantitatem.

V. Tonica; peptica; lexipyreta.

U. Ut succedaneus *Cinchonae,* intermittentes febres, sæpe curat.

D. Scrupulum (ad drachmam,) secunda vel tertia quaque hora, tempore apyrexias, exhibendum est.

## PULVIS RHEI COMPOSITUS.

### П. ревенной сложный.

R. *Pulveris radicis Rhei palmati,*
*Subcarbonatis Magnesiae,*
*Sulphatis Potassae,* singulorum scrupulum (ad duo,) vel
*Tartratis Potassae* tantumdem,
*Pulveris Ipecacuanhae* granum ad duo,
—— *aromatici* grana decem ad scrupnlnm.

In pulverem quam maxime subtilem tenua,

V. Est stomachicus; absorbens leniter; vi, (qua pollet,) stimulante, alvum movens.

U. In cruditatibus, inflatione ventriculi, intestinorum et alvi profluvio ab iisdem proveniente, utile remedium.

D. A drachma ad duas ex quovis apto vehiculo. Si vim catharticam augere ejusdem placuerit, *radicis Jalappae* additamentum decem granorum, erit proficuum.

## PULVIS RHEI ET SUBMURIATIS HYDRARGYRI.

### П. ревено-ртутный.

R. *Pulveris Radicis Rhei* scrupulum,
*Submuriatis Hydrargyri* grana sex.

Misce, fiat pulvis, pro dosi e *Melle* vel *Syrupo,* dandus alvo coacta, vel tribus vicibus intervallo duarum, trium, quatuor, vel quinque horarum. Subinde, si huicce *pulveri, Jalappae* grana decem addideris, multis casibus omnino aptior erit.

## PULVIS SABINÆ COMPOSITUS.

### П. сабинный сложный.

R. *Summitatum Juniperi Sabinae,*
*Carbonatis Ferri praecipitati,*
*Radicis Amomi Zingiberis,* vel
*Pulveris aromatici,* singulorum partem.
Misce, ut fiat pulvis.

U. Hypochondriasis, dyspepsia, amenorrhœa, dysmenorrhœa.

D. Semidrachma (ad scrupulos duos,) bis de die. Interdum adduntur singulis dosibus, *gummiresinae Myrrhae* grana sex ad decem, vel *Aloës perfoliatae* grana quinque separatim, vel conjunctim.

## PULVIS SALICIS COMPOSITUS.

### П. вербной корки сложный.

R. *Corticis Salicis* uncias novem,
*Radicis Gei urbani* uncias duas,
——— *Gentianae luteae* unciam,
——— *Rhei palmati* semunciam,
*Olei aetherei cujusvis* drachmam, vel duas,
Simul contrita et tenuata, vasi bene clauso, committantur.

V. U. et D. eadem, ac Cinchonæ officinalis.

## PULVIS SPONGIÆ COMPOSITUS.

### П. жженой Губки сложный.

R. *Carbonis Spongiae officinalis* scrupulum,
*Submuriatis Hydrargyri* grana duo,
*Radicis Rhei palmati* grana octo,
*Muriatis Ammoniae ferrati* grana sex,
*Corticis Lauri Cassiae* grana quatuor.
Misce, fiat pulvis subtilissimus.

U. Infestante struma pulvis per septimanam bis cum tantillo jujuslibet *Syrupi* a dormituro noctu capiatur. Præterea sumantur,

ut præscriptum est, TROCHISCI SPONGIÆ COMPOSITI, admotis EMPLASTRO ad STRUMAM et LINIMENTO BILIS SALINO.

## PULVIS SUBMURIATIS HYDRARGYRI COMPOSITUS.

### П. услащенной Ртути сложный.

R. *Submuriatis Hydrargyri* scrupulum,
*Sulphureti Hydrargyri Stibii rubri* (vulgo *Cinnabaris Antimonii*,)
*Subphosphatis Calcariae*, utriusque grana decem,
Misce fiat pulvis subtilissimus.

U. Infestante tænia hora quarta, vel quinta pomeridiana sumendus. Vesperi superbibantur *Olei amygdalini* unciae duæ; insequenti vero die mane sumatur jejune PULVIS ASPIDII COMPOSITUS. Videsis: PULVEREM ASPIDII COMPOSITUM.

## PULVIS SULPHURIS COMPOSITUS.

### П. очищенной Сѣры сложный.

R. *Sulphuris sublimati* partes duas,
*Supertartratis Potassae* partes tres,
*Pulveris radicis Amomi Zingiberis*, vel
——— *aromatici*, vel
*Elaeosacchari Cari Carvi*, vel
————— *Anethi Foeniculi* partem.

V. Leniter alvum sollicitans; zooctona.

U. Fœditates cutis, psora, achores, non neglectis externis remediis; morbi pulmonum pituitosi; hæmorrhois.

D. Drachma ad duas, e *syrupo* idoneo hora decubitus. Quandoque *Supertartras Potassae*, pro re nata, omittitur.

## PULVIS SUPERTARTRATIS POTASSÆ COMPOSITUS.

### П. винокаменной Соли сложный.

R. *Supertartratis Potassae* semunciam,

*Gummiresinae Stalagmitidis Cambogioidis* grana duo, ad quatuor,

*Pulveris aromatici* grana decem, vel

—— *radicis Amomi Zingiberis* scrupulum.

In subtilissimum pulverem tenua et usui serva, cui, si lubet, *Nitratis Potassae depurati* grana decem & *radicis Scillae maritimae* grana duo (ad tria) addi possunt.

U. Hydrops, anasarca, ascites.

D. Semuncia (ad unciam) summo mane ex *Infusi baccarum Juniperi*, vel *decocturae Hordei cyatho* administratur.

## PULVIS SUPERTARTRATIS POTASSÆ et DIGITALIS.

П. винокаменной Соли съ Наперстянкою.

R. *Supertartratis Potassae* scrupulum,

*Pulveris foliorum Digitalis purpureae* granum ad sesquigranum,

—— *radicis Amomi Zingiberis* grana decem, vel,

*Elaeosacchari Juniperi* scrupulum.

Misce, fiat pulvis perquam tenuis.

V. Sedans; diuretica; cathartica; aliquando emetica.

U. Hydropisis, anasarca, hydrothorax.

D. A semidrachma sensim sensimque dosin augendo ad sesquidrachmam bis terve de die.

## PULVIS TANACETI COMPOSITUS.

П. Пижмовыхъ цвѣтовъ сложный.

R. *Florum Tanaceti vulgaris,*

*Seminum Artemisiae Judaicae,* utriusque sesquidrachmam,

*Sulphatis Ferri* semidrachmam,

*Pulveris radicis Valerianae officinalis* drachmam.

Misce, fiat pulvis, cujus scrupulum (ad duo) adversus lumbricos præcipue valet, bis de die, exhibendum et post aliquot dies *catharticon* fortius propinandum est.

## ROOB CAROTÆ.

### Кисель морковный.

R. *Radicum Dauci Carotae* recentium quantum placet, mundatas et concisas, dimidio *aquae* superfusas coque in vase stanneo, ut mollescant; dein exprime *succum*, quem semel ebulliendo clarifica et leni calore ad *mellis* consistentiam evapora.

V. *Cataplasma Carotae compositum.*

## ROOB JUGLANDIS.

### К. воложско-орѣховый.

R. *Succi e fructibus immaturis Juglandis regiae* expressi,
*Mellis*, utriusque partes æquales.

Coque ad debitam mollitiem.

U. Morbi cutis rebelles; pseudosyphilis (ulcera oris et faucium ex *Hydrargyro*) huic persæpe cedunt.

D. Videsis: JUGLANS REGIA.

## ROOB JUNIPERI.

### К. можжевеловый.

R. *Baccarum Juniperi* recentium maturarum conquassatarum partes octo.

Ex sufficienti quantitate *fontanalis aquae*, donec mollescant, decoque, tum paulum exprimantur per setaceum. *Succus* hinc obtentus, cum parte una *Sacchari*, vel *mellis*, leniori calore ad crassitudinem idoneam redigendus est.

V. Eadem, quæ *baccarum Juniperi communis.*

D. Ad uncias duas. L. B. a SWIETEN *Roobis Juniperi* unciam in *aquae* ejusdem selibra, dilutam, addita *Alcoholis Juniperi diluti* semuncia, exhibuit, propinatis ægrotanti tertia quaque hora duabus unciis.

## ROOB OXYCOCCI.

### К. клюквенный.

R. *Succi baccarum Vaccinii Oxycocci* maturarum partes sex,
*Sacchari* (vel potius *Mellis*) partem,

Calore leni, sub jugi motu, ad aptam redige spissitudinem.

D. Ad unciam.

## SAPO GUAJACINUS.

### Мыло бакаутное.

R. *Potassae liquidae* partem.

*Aquae ferventis* partes duas,

sub ebullitione leni (movendo massam continuo) successive inspergito:

*Gummiresinae Guajaci officinalis* pulveratæ, quantum solvi potest.

Dein cola, caloreque leni ad consistentiam massæ pilularis evapora.

## SAPO PICEUS.

### М. дегОтное.

R. *Potassae liquidae*,

*Olei empyreumatici pineo-sylvestris*, utriusque pares portiones.

Commisce *Oleum pineo-sylvestre* cum *Potassa* lenique calore sub perpetua agitatione in sartagine ferrea coque ad consistentiam *saponis*. Est semper mollis, niger.

V. *Cataplasma maturans*.

## SAPO PINEO-OLEOSUS.

### М. скипидарное.

R. *Balsami pineo-laricini* partes duas,

*Olei* ——————— partem,

—— *amygdalini* (si præsto est,) vel

—— *olivi* optimi,

*Subcarbonatis Potassae*, utriusque partes duas.

*Balsamum pineo-laricinum* cum *oleis* leni commisceatur calore; dein vero *Subcarbonas Potassae*, addatur. Post dies decem in saponem coalescet.

V. Lotium cit, uropoëtici systematis relaxationem (incitando) corrigit.

U. In blennorrhœa (gleet,) ischuria asthenica, myodynia rheumatica, et arthrodynia (chronica Martin) est efficax.

V. *Linimentum Saponis rubefaciens.*

## SAPO STIBIATUS.

M. сюрьмяное.

R. *Suboxydi Stibii hydrosulphurati* unciam,
digerendo
in *Potassae liquidae* sufficienti quantitate,
solvito;
in liquido dein triplici *aquae destillatae* quantitate diluto
dissolve:
*Saponis oleosi* rasi selibram.

Leni calore ad crassitudinem massæ pilularis evaporent, addendo, si massa rubet, tantum *Potassae liquidae,* quantum satis est, ut colorem ex albido cinereum præ se ferat. Videsis: Suboxydum Stibii hydrosulphuratum.

U. Ejusdem in splanchemphraxi, adfectibus arthriticis, hæmorrhoidariis, scrofulosis, fœditatibus cutis rebellibus, non spernendus optimeque conjungitur in *pilularum* formam cum *gummiresina Guajaci officinalis*, *Heraclei gummiferi*, *Assae foetidae* et pro re nata, aliis. Utimur eo, e. g. in adfectibus scrofulosis cum *gummiresina Haraclei,* utriusque ad drachmam, quibus duæ drachmæ *extracti Centaureae benedictae* adjiciuntur, ut inde *catapotia* granorum duorum calescant, quorum duodecim mane et vesperi ingerenda. In pseudo-syphilide et præcipue, quum stases lymphæ cum herpeticis arthriticis, aliisque adfectionibus male habent, *Sapo, Stibiatus* cum *succo*, vel *Conii*, vel *Aconiti* (*spissatis*,) *Camphora* et *gummiresina Convolvuli Scammoniae*, præsentaneo est remedio. Expedit quoque eundem in *aqua stillatitia foliorum Pruni Laurocerasi*, si præsto est, solvere, ejusque *solutionis* guttas viginti gradatim adscendendo ad quadraginta in pervicaci vincique nescia, splanchemphraxi (spasmis, convulsionibus et ceteris abnormitatibus systematis nervosi stipata,) administrare.

D. A quinque ad octo grana ter de die optime in forma *pilularum* administratur.

## SERUM LACTIS ACETATUM.

### Сыворотка уксусная.

R. *Lactis vaccini*,
*Aquae purae*, utriusque bilibram.
Expone igni, ut ebulliant, dein adde:
*Acidi acetici diluti impuri* sescunciam,
aufer coagulum. Subinde *Acido acetico* substitui possunt;
*Supertartratis Potassae* drachmæ duæ, vel
inter coquendum:
*Fructus Amlicae indica, si* præsto est, vel
*Succi antiscorbutici* unciæ duæ.

V. Acidulum, frigerans, alvum liquans.

D. Unciæ tres, octo et amplius, quibus ad gratum saporem *Saccharum*, si lubet, addito.

## SERUM LACTIS ALUMINATUM.

### С. квасцовая.

R. *Lactis vaccini* recentislibram,
*Supersulphatis Aluminae* et *Potassae* pulv. drachmam.
Coquito paulisper, etaufer coagulum; liquori autem
colato adde:
*Sacchari albi* unciam.
Fit autem limpidum et pellucidum, quod addito *Albumine ovi*, vel *Cornu Cervi* raspato, efficitur.

V. Nutriens, mitis tonica.

U. In laxitate solidorum, in primis ex hæmorrhagiis orta (Lentin;) in profluviis diuturnis; hæmorrhœis (sanguinis profusionibus asthenicis,) et febribus putridis (Stroem).

D. A sescuncia, ad duas, tres uncias, bis terve de die propinatur.

## SERUM LACTIS.

### С. сладкая.

R. *Lactis vaccini* recentis (per duodecim horas loco frigido a *Cremore Lactis* separati) libras sex.

*Supertartratis Potassae* drachmas sex, vel quantum satis sit.

In vase fictili cooperto stent per aliquot horas super calidis cineribus, donec *lac* dense coagulatum fuerit. *Sero* separato et per linteum colato admisce: *Albumina* trium *Ovorum*, in spumam agitando, coacta. Bulliant paulum, *serumque* iterum per linteum coletur, ut evadat clarificatum.

V. Dulcescens; frigerans; alvum liquans; leniter nutriens.

U. Cachectis, phthisiscentibus, asthenicis alvi profluviis laborantibus, aptum. Ex eo subinde, ineunte vere, varia *extracta*, sic dicta *resolventia*, puta: *L. Taraxaci*, *Fumariae off.* etc., vel eorundem *succi expressi* propinantur, Videsis: Bos Taurus.

D. A quatuor unciis ad libram et amplius datur.

## SERUM LACTIS SINAPINUM.

### С. Горчичная.

R. *Seminum Sinapeos* pulveratorum unciam,
terendo successive affundito:
*Lactis vaccini* libram,
dein adde:
*Vini Rhenani;* (si præsto est,) vel
*cujusvis eidem* similis, quantum sufficit,
ut fiat coquendo coagulum, dein cola.

V. Excitans systema vasculare; peptica.

U. Myodyniæ rheumaticæ, nevroblaciæ, paralysi, morbis viscerum asthenicis, pituitosis, stomacho imbecillo, dyspepsiæ, peridoneum.

D. Selibra summo mane et tantumdem hora, decubitus, bibitur.

## SERUM LACTIS VINOSUM.

### С. винная.

R. *Seri Lactis vaccini* libras tres,
*Vini albi* generosi selibram ad libram.
Commisce.

V. Nutriens; leniter excitans.

U. In asthenico pneumonitidis stadio ad promovendos screatus a cl. Reil laudatur.

## SOLUTIO ACETATIS CUPRI et MURIATIS AMMONIÆ.

Aqua ophthalmica cœrulea *Ph. Ross.*

Растворъ уксусо-кислой мѣди и солекислаго Амміака.

R. *Aquae Calcariae* recentis uncias octo,
*Muriatis Ammoniae depurati* scrupulos duos,
*Acetatis Cupri* grana quatuor.

Misce et digere per viginti quatuor horas, dein per chartam cola.

U. Externus: phagedæna, palpebræ exulceratæ. *Aquae* duplici quantitate diluta, ophthalmitidem asthenicam, maculas corneæ curat.

## SOLUTIO ACETATIS ZINCI.

Р. уксусо-кислаго Цинка сложной.

R. *Sulphatis Zinci* drachmam,
*Aquae destillatae* uncias decem.
Solve et dein
R. *Superacetatis Plumbi crystallisati* scrupulos quatuor,
*Aquae destillatae* uncias decem, solve.

Commisceatur utraque *solutio*, quiescat paulisper, *ut Sulphas Plumbi* præcipitetur, dein *solutio Acetatis Zinci* coletur.

V. Adstringens; sedans, ut Solutionis Sulphatis Zinci.

U. Videsis: Sulphatem Zinci.

## SOLUTIO ARSENICI et NITRATIS POTASSÆ.

P. мышьяко-селитряной.

R. *Oxydi Arsenici albi* scrupulum,
*Nitratis Potassae depurati* scrupulos duos,
*Aquae fontinalis* (pondere) uncias decem.

Committito vitreæ lagenæ, subere, ut *vapores* evadere queant; leviter occlusæ, quæ in ducentorum duodecim graduum calore thermometri Fahrenheitiani, vel octaginta Reaumuriani posita, aut suspensa in *bulliente aqua*, interdum lagena agitetur quoadusque *Oxydum Arsenici* perfecte fuerit solutum; dein per chartam colatis adde:

*Tincturae A. Calami* guttas ducentas, (plus vel minus,) ut pondus *solutionis* decem unciarum, et drachmæ (unius) sit accuratum.

U. In primis (sordibus importunis primarum viarum subductis,) febribus intermittentibus adcommodata; præterea in laude eidem ponitur, quod psoriasi, phthiriasi, elephantiasi, porrigini, impetigini, herpetibus, achoribus propulsandis sit par. Pertussi Simmons; nuper vero alii epilepsiæ opposuerunt.

D. Hujus *solutionis* guttæ viginti, (sensim sensimque, idque cautissime, dosin ad quadraginta augendo, guttas) dentur. Simulac, aut nausea, aut vomitus, (qui perraro occurrunt,) provocati fuerint, aut tormina, vel alvi profluvium supervenerit, *diluentes potiones* interponere juvat; a medicamento vero interea abstinendum. Ex quovis vehiculo conveniente sumitur. Attenuatis viribus debilitatis medicamina (*roborantia*) interponere, apyrexias tempore, expedit, ut iisdem, quæ labefactæ fuerunt integratis, ad præcedens remedium tuto confugiatur. Alvus, si adstricta est, liquanda congruis remediorum adminiculis, ut, e. g. *pilulis Aloës, radice Rhei palmati*, aliisque. *Oxydum Arsenici album*, arbitratu Darwini, in systema absorbens agit, ventriculum stimulat, torporem systematis arteriosi cohibet, & sic dialeipyras propulsat, cui opinioni, num adstipulari liceat, subactiori aliorum judicio relinquimus. Haec *solutio*, in variis

morbis; præsertim vero in curatione dialeipyrarum, cautim tamen adhibita, nullo non tempore mihi respondit, ita quidem, ut milleni febrientium non sine voluptatis sensu, salutem suam huic remedio in acceptis retulerint, idque brevissimo tempore. (Videsis: *Observationes Medico-Chirurgorum Rutheni Imperii Petropoli*, 1805 *p.* 197.) Medicamen efficax, ne noxas inferret, satius est a Medentibus ipsis, qui salutem suorum ægrorum cordi habent, præparari & præberi, quam administris credere.

## SOLUTIO ARSENITIS POTASSÆ.

### Р. мышьяко-поташной.

R. *Oxydi Arsenici albi,*
*Subcarbonatis Potassae depurati*, utriusque grana duo,
*Aquae destillatae* uncias quatuordecim.

Priora duo ex *aqua* in vitrea coquito lagena, donec soluta fuerint; frigefactum *liquorem* cola per chartam, dein adde:
*Tincturae aromaticae* uncias duas.

D. Semuncia (ad unciam) bis de die exhibetur.

*Solutio* hæc (Fowleri) ad Chemiæ regulas exactior quidem est; sed quoniam virtutem ejusdem medicamentosam, nequaquam explorare mihi licuit, *illam Oxydi Arsenici* & *Nitratis Potassae*, experientia multiplici nixam, lubens præfero.

## SOLUTIO ASSÆ FŒTIDÆ.

### Р. вонючей камеди.

R. *Gummiresinae F. Assae foetidae* drachmas duas,
solve l. a. in
*Aquae fontanae*, vel
——— *Menthae crispae*,
——— *Anethi Foeniculi* unciis octo.

V. Stimulans; antispasmodica; pituitam & catamenia sollicitans; anthelmintica.

U. Pertussis, dyspepsia, amenorrhoea, chlorosis, dyspnoea, hysteria, tympanitis, helminthiasis.

D. Uncia (vel duæ) bis terve de die, porrigitur.

V. *Mistura Assae foetidae composita.*

## SOLUTIO HYPEROXYMURIATIS POTASSÆ.

P. соле-пресыщеннаго Поташа.

R. *Hyperoxymuriatis Potassae* drachmam,
*Aquae destillatae* libram,
Misce et solve.

U. Ulceribus herpeticis, atonicis, penicillo, aut linteo carpto, excepta, adplicetur semel, vel bis de die. Si loco libræ quantitas *aquae* trilibris sumatur, fiet *potio oxygenata*, quæ in asthenia generali, cachexia, scorbuto, hepatitide chronica, herpete, psora etc., laudatur.

U. Libra *potionis* ad bilibram de die; *solutionis* vero tertia pars administratur.

## SOLUTIO MURIATIS AMMONIÆ ACETATA.

P. нашатыро-уксусный.

R. *Muriatis Ammoniae depurati* unciam,
*Acidi acetici diluti impuri* uncias duas,
*Aquae communis* uncias quatuor.
Misce.

D. Drachma, (continens *Muriatis Ammoniae* grana decem) ad semunciam, vel etiam sex drachmas detur. Attamen maxima dosis intra nychthemeron solummodo semel est danda.

## SOLUTIO MURIATIS BARYTÆ.

P. солекислаго Тяжелозема.

R. *Muriatis Barytae* partem,
*Aquae destillatae* partes sex.
Solve.

D. Guttæ decem, viginti, administrantur.

## SOLUTIO MURIATIS CALCARIÆ.

P. соле-кислой Извести.

R. *Muriatis Calcariae,*
*Aquae communis* pares portiones.
Solve.

D. Guttæ quadraginta (ad drachmam) in uncia *aquae* adversus scrofulam præbentur.

## SOLUTIO NITRATIS ARGENTI.

P. селитро-кислаго Серебра.

R. *Nitratis Argenti* scrupulum,
*Aquae destillatae* semunciam.
Misce, et solve.

U. Interne eximius in epilepsia a guttis tribus sensim sensimque dosin augendo usque ad guttas sedecim bis terve de die ex quovis idoneo *potu.* Externe: ulcera sordida aliave rebellia linteo eadem madido marginem tangendo; *aquae* autem libris tribus diluta, ulcera oris, blennorrhœam curat. *Solutionis* hujus guttæ tres continent gr. $\frac{1}{4}$, duodecim guttæ, granum, sedecim guttæ granum $1\frac{1}{3}$. Si vim remedii intendere lubet *Nitras Argenti fusus* omnino præferendus est.

## SOLUTIO NITRATIS ARGENTI OPIATA.

P. селитро-кислаго Серебра опіятный.

R. *Nitratis Argenti fusi* drachmam,
*Aquae communis* libram,
*Tincturae Opii* drachmam.

U. Ulcera, luxuriante carne, fœda, efficacissime curat.

## SOLUTIO OXYMURIATIS HYDRARGYRI,

Liquori van swietenii *aequiparabilis.*

P. солеперекислой Ртути.

R. *Oxymuriatis Hydrargyri* grana sex,

*Muriatis Ammoniae depurati* grana duodecim,
solve in
*Aquae destillatae*, vel
*Alcoholis diluti* libra.

D. Drachmæ duæ (ad unciam) bis de die ex *decocturae Guajaci specierum compositarum* unciis tribus sumuntur.

## SOLUTIO PHOSPHORI ÆTHEREA.

### P. Фосфора эфирный.

R. *Phosphori* granum,
*Aetheris sulphurici* drachmam,
*Olei Menthae piperitae* guttas decem.

Fortiter agitando inter solvendum, in vase vitreo, fiat solutio.

V. Egregie sub initio excitans; narcotica; actionem morbosam totius systematis nervosi illico tollens; alteram vero secundam eidem substituens, hac ratione in quibusdam morbis adhibetur, præcipue dialeipyris non male opponitur, myodyniæ etiam rheumaticæ occurrit; accuratissime tamen præparari et cautissime exhiberi debet.

D. A decem ad viginti guttas, id est singula præbia a sexta ad tertiam (*Phosphori*) partem grani habere debent.

## SOLUTIO POTASSÆ CAMPHORATA.

### P. Поташа камфорный.

R. *Potassae fusae* drachmam,
*Camphorae* scrupulum,
*Sacchari albi* unciam,
*Aquae fontinalis* libram.

U. Hac *solutione* ulcera, callosa inveterata, carne luxuriosa, livida, obducta, utiliter eluuntur.

## SOLUTIO SAPONIS.

### P. мыльный.

R. *Saponis sebacei* uncias quatuor,

*Alcoholis diluti* bilibram.

Fiat solutio, et si opus, coletur.

U. Extrinsecus: myodynia rheumatica, arthrodynia, contusura, distorsio.

V. *Linimentum Saponis ammoniatum.*

## SOLUTIO SUBACETATIS CUPRI.

### Р. уксусо-кислой Мѣди.

R. *Acetatis Cupri* drachmam,

*Ammoniae liquidae* unciam.

Misce fiat solutio.

U. Ulcera syphilitica et similia, additis singulis *aquae* frigidæ unciis, decem hujus *solutionis* (plus vel minus) guttis, linteum carptum hacce *aqua* madidum, iisdem sæpius imponendo, curantur, præmissis, ubi ulcera recentia sunt, ne ab initio, quod fieri adsolet, irritando, virus resorbeatur, *mercurialibus*, vel interne per aliquot tempus sumendis, vel extus *fricatione* ingerendis.

## SOLUTIO SULPHATIS ZINCI.

### Р. сѣрнокислаго Цинка.

R. *Sulphatis Zinci* scrupulum,

*Aquae ferventis* sescunciam.

Fiat solutio, sumto *veneno*, confestim, ubi prompta exinanitio ventriculi opus est, pro dosi, exhibenda.

## SOLUTIO SULPHATIS ZINCI ALUMINATA.

### Р. Сѣрнокислаго Цинка квасцовый.

R. *Sulphatis Zinci*,

*Supersulphatis Aluminae* et *Potassae*, utriusque semunciam.

*Aquae fervidae* bilibram.

Misce in vase vitreo, ut fiat solutio et cola.

U. Vulnera, ulcera phagedænica, cutis vitia, ophthalmitis, blennorrhœa. Ceterum eadem, quæ supra, sunt observanda.

## SOLUTIO SUPERACETATIS PLUMBI.

### Aqua vegeto-mineralis *Ph. Ross.*

### Р. Уксусо-свинцовый.

R. *Superacetatis Plumbi liquidi* drachmam,
*Aquae destillatae* vel
——— *fontanae* selibram. Misce.

U. In inflammationibus topicis, adustis, pernionibus, erysipelate a contusionibus, vulneribus et ulceratione partium valet; in blennorrhagia etiam pertinaci, inflammatione testiculorum, quæ eam excipere solet et phimosi proficit. In ulceribus pedum inveteratis cum *Camphora* profuit, imo etiam in psorophtalmiis; minime tamen, (ut Arnemannus et Himly scite observant,) idonea est ulceribus corneæ.

## SOLUTIO SUPERACETATIS PLUMBI ALCOHOLISATA.

### Р. Уксусо-свинцовый спиртный.

R. *Superacetatis Plumbi liquidi* scrupulos quatuor,
*Alcoholis diluti*, vel
——— ——— *impuri*,
*Acidi acetici diluti*, vel
——— ——— ——— *impuri*, utriusque uncias duas,
*Aquae destillatae*, vel
——— *fontanae* libram.
Misce et solve.

U. Commendanda est in inflammationibus, vi extrinsecus illata, motis, hinc (constrictis revehentibus vasis,) proficit in sugillationibus, quæ plagas et contusiones concomitantur, in

ambustis, inflammationibus oculorum, œdematibus, quæ causis mere topicis excitantur, atque in humorum cursu, e laxitate topica oriente, reprimendo, quem in finem *Solutio Superacetatis Plumbi alcoholisata*, ne vasa nimis constricta efficaciam eludant, magni æstimatur.

V. *Cataplasma Superacetatis Plumbi.*

## SOLUTIO SUPERSULPHATIS ZINCI.

P. Сѣрноперекислаго Цинка.

R. *Sulphatis Zinci* grana sedecim,
*Aquae fontanae* uncias octo,
*Acidi sulphurici diluti* guttas sedecim.

Solve *Sulphatem Zinci* in *aqua*, dein addito *acido*, per chartam cola.

U. Frequentissime adhibetur in blennorrhœa, leucorrhœa, ophthalmitide atonica, fistula lacrymali (operatione peracta) ast *adstringentes solutiones ophthalmicae*, non nisi præmissis catharticis, vel pro re nata, sanguinis detractione (vel incisa vena, scarificationibus, vel sanguisugis,) superato jam primo inflammationis acutæ stadio, morboque, si toti corpori inest, congruis remediorum adminiculis propugnato, adcommoda esse possunt.

## SOLUTIO TARTRATIS STIBII.

P. Винокислой сурьмы.

R. *Tartratis Stibii* et *Potassae* grana tria,
*Aquae destillatae* uncias totidem.
Solve.

V. Emetica, nonnunquam cathartica. Latibulante in ventriculo cruditatum colluvie porrigenda.

D. Uncia, singulis horæ quadrantibus, donec vomitiones motæ fuerint, est danda.

SOLUTIO TARTRATIS STIBII CAMPHORATA.

P. Винокисл. сурьмы камфорный.

R. *Tartratis Stibii* et *Potassae* drachmam,
solve in
*Aquae ferventis* libra,
adde:
*Camphorae mucilagine gummi Acaciae* tritæ semiscrupulum,
*Alcoholis* unciam.

Panno xylino, hac solutione imbuto, pectorique demum admoto stenocardia (angina pectoris) cessisse fertur. Adhiberi extrinsecus potest, ubicumque irritationem dermaticam derivationemque a partibus internis moliri expedit. *Linimentum* quoque *stibiatum* adversus stenocardiam fuit efficax.

SPECIES ALTHÆÆ COMPOSITÆ.

Сборъ Просвирняка сложный.

R. *Radicis Althaeae officinalis* concisae,
*Herbae Tussilaginis Farfarae*, utriusque partes tres,
*Radicis concisae Inulae Helenii*,
——— ——— *Glycyrrhizae glabrae*,
*Florum Arnicae montanae*,
*Capsularum seminalium Papaveris* contusarum, singulorum partem.
Misce.

U. *Specierum* semuncia in bilibra *aquae* ad selibram decoquitur, sumiturque cyathus sæpius de die in morbis pectoris.

SPECIES AROMATICÆ.

З. Ароматическій.

R. *Herbae Artemisiae Absinthii*,
——— *Menthae crispae*,
——— *Origani vulgaris*,

—— *Thymi Serpylli*,
*Florum M. Chamomillae*, singulorum pares portiones.
Concisa misceantur.

U. Extus *cataplasmatibus* et *fomentis* variis, pro re nata, admovendis, inserviunt, variisque morbis internis, nec non ulceribus putescentibus, cacoëtheis, sinuosis, conveniunt.

V. *Fomentum aromaticum*; *Infusum* ——.

## SPECIES CHAMOMILLÆ COMPOSITÆ.

### З. Ромашковый сложный.

R. *Florum Matricariae Chamomillae*,
*Radicis Valerianae officinalis*,
*Herbae Chenopodii Ambrosioidis*, singulorum unciam,
—— *Menyanthidis trifoliatae*,
—— *Achilleae Millefolii*,
*Seminum Anethi Foeniculi*, vel
—— *Pimpinellae Anisi* singulorum drachmas duas.
Concisa, contusaque misce, ut fiant species.

V. Leniter peptica; carminativa; antispasmodica.

D. Sescuncia pro *infuso* in *aquae ferventis* libra, pro potu.

## SPECIES GUAJACI COMPOSITÆ.

### З. Баккаутный сложный.

R. *Scobis ligni Guajaci officinalis* partes tres,
*Radicis Arctii Lappae*,
—— *Caricis arenariae*,
—— *Saponariae officinalis*, singulorum partes duas.
*Stipitum Solani Dulcamarae* partem.

V. Videsis: DECOCTURAM GUAJACI et
—— —— cum MEZEREO.

## SPECIES PINI COMPOSITÆ.

### З. Сосновый сложный.

R. *Turionum pineo-sylvestrium*,
*Herbae Achilleae Millefolii*,
——— *Fumariae officinalis*,
——— *Menyanthidis trifoliatae*,
*Rasurae ligni Juniperi communis*,
*Radicis Acori Calami*, singulorum pares portiones.

U. Inservit ad *decocturam* earundem parandam, in scorbuto proficuam.

V. *Decoctura antiscorbutica*; — *Malti composita I*; — — — *II*.

## SPECIES RESOLVENTES.

### З. разрѣшительный.

R. *Radicis Leontodontis Taraxaci*,
——— *Saponariae officinalis*, utriusque uncias duas,
*Herbae Gentianae Centaurei*,
——— *Marrubii vulgaris*, utriusque unciam,
*Florum Tanaceti vulgaris* semunciam,
——— *Matricariae Chamomillae* sescunciam,
concisæ, fiant species.

U. Adhibentur pro *clystere* in infarctibus abdominalium viscerum, eorumque obstructionibus, hypochondriasi, melancholia, et aliis, e viscerum infarctibus, pendentibus morbis, laudante impensius Kæmpfio, Zimmermanno. Videsis: Misturam Taraxaci, et — — compositam. Circa *clysteres resolventes*, et *sopientes* (videsis: Species sopientes) notare expedit sequentia: Mane alvo, vel sponte, vel *clystere irritanti*, subducta, *clyster* hic injicitur tepide, ad plenariam consumtionem retinendus. Decoctura debet esse saturatissima, et ut crassioris fiat consistentiæ, cuilibet *specierum* unciæ *Furfurum triticeorum* vel *siligineorum* drachmæ duæ admiscendæ; quan-

titas vero subterdanda, non debet selibram transgredi, et quotidie per certum tempus injicienda est, donec porta malorum pulsata, contumacium obstructionum claustra, fuerint perrupta. Interdum KAEMPFIUS hasce *resolventes species aqua* etiam *Calcariae* decoqui jusserat.

## SPECIES SOPIENTES.

### З. успокоивающій.

R. *Radicis Valerianae officinalis* uncias tres,
*Foliorum Citri Aurantii* uncias duas,
*Herbae Achilleae Millefolii* unciam.
Ex incisis grosso modo fiant species pro *clysteribus.*

U. Ad ductum ill. KAEMPFII et ZIMMERMANNI, in illis pertinacibus nervorum morbis, qui cum infimi ventris obstructionibus, conjuncti sunt, præscribuntur. Ab addita *gummiresina Assae foetidae*, quæ ad plures drachmas, fuit præscripta, in solvendis infarctibus et compescendis spasmis, magna vidit PIDERITUS. Videsis: MISTURAM TARAXACI, et —— COMPOSITAM.

D. Hæ *species* in *aqua communi* decoquuntur, et quidem, quam saturatissima expetitur *decoctura*; ad *aquae* unciam, specierum drachmæ tres veniunt, et sic *clyster* injicitur. Videsis: SPECIES RESOLVENTES.

## SPONGIA CERATA.

——————— PRÆPARATA *Ph. Ross.*

### Губка Грецкая вощаная.

R. *Spongiae officinalis* quantum vis,
ab heterogeneis adhærentibus probe purgatam coctione sufficienti, in *aqua fontis* lotam, dein perfecte siccatam, *cera flava* liquefacta imprægna et inter folia chartæ ceratæ fortiter expressam, in portiones variæ magnitudinis et formæ concide, usuique serva.

U. Adhibetur pro *turundis*, quæ angustis vulnerum, ulcerum et fistularum orificiis, inditæ, eadem intumescendo dilatant, purique exitum conciliant.

## STIBIUM.

STIBIUM PURUM *Ph. Bor.* REGULUS ANTIMONII *Ph. Ross.*

Сюрьма.

R. *Frustulorum Ferri puri* selibram,
immitte in crucibulum amplum, atque igne intenso furni anemii urge ad candescentiam, tum addito:

*Sulphureti Stibii nativi* grossiuscule comminuti uncias octodecim.

Colliquescant simul, dein sensim adjice:

*Nitratis Potassae* perfecte siccati uncias quatuor.

Simulac ad instar *aquae* fluxerint, effunde in conum fusorium leniter concutiendum, ut subsidat *metallum* reductum. Ubi refriguit, a scoriis separa, eique in pulverem tenuato adde:

*Nitratis Potassae* perfecte siccati partem octavam,

denique igne validiori colliqua, et in conum fusorum transfunde, atque post refrigerationem *metallum* purum a scoriis separatum, usui serva.

Q. Sic surgens crystallos effingit lucidas, dendriticas, vel octaëdras, *odoris saporisque* est expers, nec ad *aërem*, nec in *aqua* mutationem subit. *Igne* leni et accedente *aëre* in pulverem griseum hemioxydatum fatiscit, auctiori (igne) in albidum vaporem sublimatur, tandem splendidis acubus solidescentem.

V. Emetica; cathartica; sudorifica.

U. Ejusdem internus, quum sit neutiquam tutus, in desuetudinem abiit, prælatis ejusdem melioribus formis, in quibus ratio oxydationis, quam *Stibium* subiit, definiri potest; sed etiam *praeparata* caute et circumspecte adhibenda sunt; constat enim novissimis cl. BRODIE experimentis, ea vi vitali insidias struere, atque in primis cor et cerebrum adfligere, imo

etiam, quæ pro mitioribus habentur, ut *Tartratem Stibii et Potassae*, *Vinumque stibiatum*, infantibus administrata, citra vomitum, alvique purgationem, lethifera exstitisse.

V. *Suboxydum Stibii fuscum.*

## SUBCARBONAS AMMONIÆ.

AMMONIUM CARBONICUM *Ph. Bor.*; SAL VOLATILE SALIS AMMONIACI *Ph. Ross.*

Аммiакъ углекислый.

R. *Muriatis Ammoniae depurati* siccati et pulv. partem,
*Carbonatis Calcariae nativi* ——— — ——— partes duas.

Commista accurate in retortam collo amplo præditam immitte. Adaptato excipulo capaci, *aquae frigidae*, ubi opus fuerit, renovandæ immerso et juncturis leviter clausis, sublimationem in balneo arenæ instituito, igne ab initio leni, sub finem auctiori; sublimatum vase vitreo clauso serva. Ubi vasa conservare interest, in vicem *Carbonatis Calcariae*, *Subcarbonas Potassae* adhiberi potest proportione partium trium ad partem *Muriatis Ammoniae*. Singulis *Subcarbonatis Ammoniae* drachmis, additis, sex *Olei pyro-animalis*, guttis, *Subcarbonatem Ammoniae pyro-oleosum* (*Salem volatilem Cornu Cervi*) obtinebis.

Q. Continet in centenis partibus *Ammoniae* 43, *Acidi carbonici* 45, *aquae* 12, sistit crystallos tetraëdras aëris afflatu fatiscentes, cum *acidis effervescentes*, *Alcohole diluto* et dupla *aquae* quantitate solubiles; minime vero *Alcohole*, *Aethere*, *oleis unguinosis aethereisque*. Est *odoris* penetrantis peculiaris; *saporis* lixiviosi, pungentis.

V. Excitans; (systema sanguiferum usque ad ipsos ramos minimos,) resolvens; diaphoretica; absorbens.

U. Cerebrum stimulando in deliquiis animi (a nervorum debilitate,) apoplexia (citra sanguinis impetum et extravasationem in cerebro,) nervosa cephalalgia, vertigine, le-

thargo passim adhibetur. Potenti, penetrante et pœne universali stimulo, quo totum systema nervorum, organicum et encephalicum incitatur in pure nervoso typho cum spasmis, vel aliis astheniæ symptomatibus, sub pulsu tremulo, æquali, intermittente, nec duro (Frank,) magnæ est efficaciæ. In dialeipyris nervosis non male additur, sub ipso algoris accessu *Tinctura Opii*. In paralysi (*fumigatione*,) amaurosi (admotu *vaporum* oculis,) spasmis, tetano, trismo, gangræna, necrosi tentatus est cum successu. Stimulando pulmones asthmati convulsivo, pertussi, auxilio fuit; organon vero cutis, exanthemata, aut inertia protrusit, aut retrograda resuscitavit. In febri urticaria, pemphigo, zona etc., partes adfectas lavari *solutione* suadent. In arthrodynia et podagra, si potens ad promovendam cutis exhalationem, stimulus opus est, vel ubi arthritica (morbifica) causa interiora penetravit, non male datur intrinsecus. Tracheitidi ipsi cum æqua *Camphorae* portione et sextuplo pulveris *gummi Acaciae verae*, sub initium tamen, obponitur exhibitis pro dosi tribus granis. Irritando vasa absorbentia, topici *resolventis* vices gerit, ejusque utilitas in primis enitet in hydrope locali, post erysipelas, myodyniam rheumaticam etc., exorto, quem in finem, vel siccis *fomentis* additur, vel forma *vaporum* admovetur. In tumoribus glandularum confit *unguentum* ex *eodem* et *Camphora*; in cysticis vero *solutio*, vel *vapores* valent. *Injectio* in paracusi et cophosi in tubam eustachianam, si obstructa est, efficax. Manifesta etiam est ejusdem chemica actio in prævalentia acida, et acrimoniam enim *succi gastrici* mitigat, et *oxyda metallorum* noxifera, domat. Virus animale viperarum, serpentum, canumque rabidorum, tollere experiundo dedicimus. Caute adhibendum est hoc remedium interne; a tenero autem ventriculo haud raro vomitu rejicitur variique effectus spastici, tussis et nervorum distentiones sequuntur; prohibendum etiam est, quum multum febris est, aut ingens sanguinis abundantia, aut distributio, aut congestio ejus abnormis, ne vel priora mala augeat, vel nova forsitan graviora efficiat.

D. Nunquam in pulveris forma datur; sed semper solutus a grano ad quatuor, in *aquae* unciis tribus, vel in *infuso Valerianae officinalis*, vel *decoctura Cinchonae officinalis*. Forma etiam *vaporum* in adfectas partes extricatur. Commiscetur pars *Muriatis Ammoniae* cum duabus partibus *Subcarbonatis Potassae*, vel potius *Calcariae*, fitque hac ratione *Sal Anglicanus volatilis extemporaneus*, in vitro probe clauso, servandus, qui non modo extus nares ferit et sensorium commune simul incitat, sed etiam *fomentis aromaticis* in paralysi artuum, eorumque rheumatica adfectione potest.

V. *Acetas Ammoniae liquidus; Gargarisma ammoniatum; Nitras Ammoniae; Subcarbonas Ammoniae liquidus.*

## SUBCARBONAS AMMONIÆ LIQUIDUS.

### Liquor Ammonii carbonici aquosus *Ph. Bor.*

### Spiritus salis Ammoniaci aquosus *Ph. Ross.*

### Углекислый Аммiякъ жидкiй.

R. *Subcarbonatis Ammoniae* unciam,
*Aquae destillatae* uncias tres.
Solve.

Q. Est liquor clarus, admodum redolens *Ammoniam*, cum *acidis*, quin sedimentum ponat, effervescens.

V. Eadem, quae præcedentis.

U. Idem, qui præcedentis. Laudatur in primis contra morsum viperæ et effectus deleterios *acidi prussici*. Exanthemata etiam a locali et cutaneo vitio oborta, cedunt sæpe *lotioni* ex eodem. In hydrencephalo semel Oderius ad aliquot guttas utiliter administravit.

D. Exhibetur *aqua* dilutus, a triginta ad sexaginta guttas.

V. *Alcohol ammoniatum; Gargarisma* —.

## SUBCARBONAS MAGNESIÆ.

MAGNESIA CARBONICA *Ph. Bor.* MAGNESIA AËRATA *Ph. Ross.*

Углекислая магнезія.

R. *Sulphatis Magnesiae*,
*Subcarbonatis Potassae* utriusque pares portiones,
*Aquae destillatae* calidæ duplum,
solve separatim atque per chartam cola, dein commistis statim adjice:
*Aquae bullientis* octuplum,
denique bulliat paulisper moveaturque *liquor* ac post brevem quietem, imminuto videlicet paulum calore per linteum coletur, super quod remanens *Subcarbonas*, *aqua pura*, vel potius *destillata* fervida, donec insulsus fuerit, eluatur, siccetur usuique servetur.

Q. Est pulvis candidus, admodum levis, laxus, *saporis odorisque* expers. Constat e *Magnesiae* p. 0,45 *Acidi carbonici* 0,25 et *aquae* 0,30, cum *Acido sulphurico* effervescit, et in *diluto* aliquantum *eodem* solvitur.

V. Egregia (acidum rancidumque absorbens; *succo Citri* saturatæ: blande purgans; eccoprotica; *carbonicum* explicans *acidum* antiseptica, (ut quibusdam videtur;) lithontriptica vero productioni *acidi* in ventriculo et interaneis remoram ponendo.

U. Idem ac *Magnesiae* et præcipue ad omnia valet, quæ acido primarum viarum originem debent, hinc in inflatione, ructibus, pyrosi, vomitionibus etc., efficax, proinde etiam hypochondriacis, hystericisque, huic obnoxiis incommodo, commendabilis. Rachiticis, scrofulosis, arthriticis ab eadem causa, haud secus ac infantibus ægre dentientibus, alvo in primis viridi, vel achore laborantibus, mollimentum non spernendum præstat. Hæmorrhoicis alvi liquandæ causa opportunus. Sæpe ob *gas acidum carbonicum*, in ventriculo extricatum, flatus, enterodyniam et anxietatem causat, hinc *Magnesiam* in genere præferendam reor.

D. Provectæ ætatis hominibus a scrupulo ad drachmam, absorbendi scopo; alvi autem purgandæ ergo a drachma ad duas, vel in *aqua*, vel in *infuso Theae* ditioribus. *Saccharum* etiam recte *eidem* additur; subinde vero res exigunt circumstantes, ut stimulantibus, vel tonicis conjunctus, majorem promittat utilitatem, aciditate videlicet veluti effectu ab imbecillitate orta. Ubi *gas carbonicum* extricari e re est, cum *acido citrico*, vel *acetico* effervescat oportet. Infantibus ad unciam *syrupi* quatuor scrupuli cochlearibus parvis sæpius in die propinantur.

V. *Magnesia; Mistura ejusdem; Murias ejusdem.*

## SUBCARBONAS POTASSÆ DEPURATUS.

KALI CARBONICUM *Ph. Bor.*; CINERES CLAVELLATI *Ph. Ross.*

Углекислый Поташъ очищенный.

R. *Subcarbonatis Potassae venalis* quantum vis, in vas ferreum immitte et affunde tantundem *frigidae aquae*, atque spathula ferrea sæpius agitando tere simul, donec omnes partes *Subcarbonatis Potassae venalis* dilabantur. Solutum a non soluto per linteum novum separa et fluidum limpidum colatum vas ferreum ad evaporandum transmitte et donec cuticula salina supra manifestetur sustine, tunc per diem, aut biduum loco frigido repone et postea fluidum a residuo effunde, dumque illud, non uti *Alcalia*; sed uti *Sulphas*, aut *Murias Potassae* saporem habet, tunc evaporatio *liquidi* iterum ad cuticulam salinam condensam repetenda est et in frigidulo loco ad crystallisandum reponendum est; si quidem iterum crystalli non sunt, *sal* purum *alcalinum*, tunc adhuc simili modo bis aut ter cum fluido remanente descripta operatio repetenda est, donec *Subcarbonas Potassae* purus sine aliis heterogeneis *salibus* restat. Sic modo *Subcarbonas Potassae*, obtentus, et ab aliis, quantum possibile, *salibus* depuratus, in vase ferreo puro ad siccitatem evaporet, in phialam bene obturatam siccam immittatur et ad usum in loco sicco servetur.

Q. Hac ratione obtentus constat crystallis prismaticis, rhomboideis, regularibus, in *aëre* haud raro liquescentibus, sublixivioso et peculiari *Potassae sapore* prææditis, quæ habent *Potassae* p. 30, *Acidi carbonici* p. 43, *aquae* p. 17 secundum PELLETIER.

V. Humanum corpus desoxydans, prævalentem morbose acorem, quum in alimentari canali, tum etiam in remotis partibus infringens, *mucum* et *gelatinam* solvens; diuretica ; varia *salia metallica venenosa*, ut verbi gratia, *Oxymuriatem Hydrargyri* (decomponendo) obtundens.

U. Multum prodest in sanando ventriculi acore, aut ejusdem rancore et hinc pullulantibus malis, puta: colluvie pituitosa, viriditate excrementorum, pyrosi, cardialgia, gastrodynia, enterodynia, aphthis, excoriatione etc. Ratio docet et experientia ostendit, eum aliis etiam morbis prodesse, qui, vel oriuntur ab acore, vel conjunguntur cum eo, cujus rei ratio a natura illorum morborum petenda. Laudatur proinde in lymphaticis grandularum tumoribus, pancreatemphraxi, atrophia, scrofulis (præsertim in connubio *amaro-aromaticarum tincturarum*) rachitide cum *cortice Cinchonae officinalis* (THEDEN, ABILGAARD.) Acidum in uriniferis viis figendo secretiones lotii auget, eoque ádversus stranguriam et ischuriam potest; in urolithiasi (FORDYCE, HUFELAND, BLANE) laudes tulit concrementis calculosis obicem ponendo eaque solvendo. Non est etiam laude sua orbanda *Aqua mephitica kalina*: *e Subcarbonatis Potassae* drachmis duabus in *Aquae Selteranae*, *Geilnaviensis*, aut alius *acidulae* libra, rite solutis, paranda, quæ *potio* intra nychthemeron consumitur. In remediis pollet contra *venena acida*, *Oxydum Plumbi et Hydrargyri sales*; inprimis vero *Oxymuriatem Hydrargyri*, *Oxydum Arsenici album*, *Acidum nitricum* (DUMONCEAU, PLANCHON.) MITCHILLIUS initio febrium malignarum exhibuit eundem, ut *acidum septicum*, a quo illas derivavit, redderet neutrum; sed commentitia hæc sententia explosa est. In morbis vasorum absorbentium glandularumque utilitatem promittit miti incita-

mento, stases systematis lymphatici, soluturo. In metastasibus lacteis (Tissot,) impetiginibus et diuturnis exanthematibus proficit interno externoque usu. In hydrope, præsertim ascite, prodest conjunctus cum *gummiresina Heraclei et extractis amaris*. In ulceribus inveteratis, fungosis cum callosis marginibus (Saviard, Conradi,) syphiliticis (donec immunda sunt,) ulceribus vesicæ et renum (Thomann,) phthisi ulcerosa (Barker,) interno usu in furunculis (Hunter,) non minoris est efficaciæ. In spasmodicis affectionibus magni fit, quatenus energiam nervorum, musculis providentium erigit, et exhibetur heic suasu Stützii cum *Opio* alternatim sumtus; sic in tetano, hystericis nervorum distentionibus, asthmate spasmodico, pertussi, epilepsia, catalepsi, scelotyrbe, raphania, singultu, rabie hydrophoba etc., si videlicet scrupuli duo *Subcarbonatis Potassae* in *aquae destillatae* unciis duabus soluti, sic sumuntur, ut secunda quaque hora cochlearia duo alternentur cum grano *Opii*, sensim aucta dosi, immisso etiam ægroto in *balneum lixivii caustici*, alvoque per *aquam saponatam*, addito *Subcarbonate Potassae* eluta.

D. In chronicis morbis a duobus ad decem grana, in urolithiasi drachma ejusdem in bilibra *aquae* soluta quotidie datur. In spasmodicis adfectionibus grana decem ad scrupulum; in veneficio a semidrachma ad drachmam porrigitur. Pro externo usu in uncia *aquae* scrupulus ejusdem (vel duo) solvitur. In *pulvere*, aut *pilulis* nunquam exhibendus; sed semper solvendus est. Interdum cum *diureticis* conjungitur, aut *Opio*; quandoque *catharticis* additur, præsertim si acoris metus subest.

V. *Acetas Potassae liquidus; Aqua Supercarbonatis Potassae; Haustus carbonicus; Hyperoxymurias Potassae; Infusum Chamomillae kalinum; — Rhei; Mistura Acetatis Potassae juniperina; — Citratis Potassae stibiata; Subcarbonas Potassae liquidus; Sulphas Potassae.*

## SUBCARBONAS POTASSÆ LIQUIDUS.

Liquor kali carbonici *Ph. Bor.* Oleum Tartari per solutionem *Ph. Ross.*

Растворъ углекислаго Поташа.

R. *Subcarbonatis Potassae depurati* libram,
*Aquae destillatae* bilibram,
solve et filtra; vel

R. *Subcarbonatis Potassae depurati*, quantum velis.
In loco humido, aëri expone, ut sensim deliquescat.

V. Ut præcedentis.

U. Ut præcedentis; præprimis tamen commendari meretur in colluvie pituitosa canalem alimentarem gravante, si quindecim ejusdem guttæ, paulatim aucta dosi ad triginta, ter quotidie cum *aqua destillata* sumantur, quo per aliquot hebdomadas continuato, ingens pituitæ copia cum salinis concrementis excernitur. Simplicissimus est etiam isque adcommodatissimus eundem miscendi modus cum *Infuso Rhei* (*Tinctura Rhei aquosa*,) cujus mistionis cochlear unum aut alterum exhibetur in variis asthenicis (longis morbis,) puta: atrophia, rachitide etc. In dysenteria populari, si ructus acidi, prasina alvi excrementa, vomituritioque similis, præsto sunt urgentque, haud inepta est ejus cum *gummi Acaciae verae* miscela (Causland, Rademacher.) Tumores lactei, recens e frigore excepto, vel terrore, vel pressu exorti, si, vel lavantur eodem, vel fricantur, cedunt (Consbruch.) Idem etiam in tumoribus et tophis arthriticis observatum est.

D. In chronicis morbis, verbi gratia, arthrodynia decem, viginti guttæ quarta quaque hora exhibentur. In convulsionibus secunda quaque hora viginti, vel quadraginta guttæ sufficiunt. In veneficio singulo quadrante horæ quinquaginta, imo centum guttæ, exhiberi possunt; sed pro interno usu *aqua* diluendus est, e. g. singula dosis cum semuncia, vel uncia *Aquae florum Citri Aurantii*, aut *Lauri Cinnamomi*, vel *florum M. Chamomillae*, vel *mucilaginosarum potionum* administranda.

## SUBCARBONAS SODÆ DEPURATUS.

NATRUM CARBONICUM *Ph. Bor.*; ALCALI MINERALE *Ph. Ross.*

Углекислая Сода очищенная.

R. *Muriatis Sodae* vel
*Sulphatis* ——— partes triginta duas,
*Subcarbonatis Potassae* partes quatuordecim.

*Sulphati Sodae*, in lebete *Stanno* obducto, *aquae fervidae* sexaginta quatuor partibus soluto, *Subcarbonatem Potassae* in æquali ejus quantitate *aquae* solutum sub continuo (spathula ferrea aut lignea) motu adde, ut *liquor* bulliat, quem a præcipitato, tempore coctionis forma pulveris, *Sulphate Potassae*, in unum aut plura argillacea cratera effunde, atque ad refrigerandum et crystallisandum per 24 horas repone. Postea *liquorem* a residuo defecatum ad cuticulam salinam supranatantem evapora et evaporationem, refrigerationem et crystallisationem liquoris eousque repete, donec prorsus ea (crystallisatio) cessat. Sic obtentas crystallos *Subcarbonatis Sodae* in vas ferreum purum immitte et sensim sensimque aucto, sub jugi motu, igne, donec omnes crystalli in *aqua* crystallisationis diluantur, coque, ac post brevem quietem, imminuto paulum calore, ut heterogenea *salia* præcipitentur, permitte: liquorem cautissime in lebetem *Stanno* obductum effunde et adde $\frac{3}{4}$ *aquae purissimae* pondere, utque bulliat, decoque, et per linteum cola, atque in frigidulo loco ad crystallisandum depone; supranatantem *liquorem* effunde et repete evaporationem supradictam, donec nullæ crystalli *Subcarbonatis Sodae* concrescant. Crystalli simul accumulatæ in aëre libero, ne fatiscant tamen, siccentur in charta bibula, in vase idoneo bene occluso ad usum serventur.

Q. *Subcarbonas Sodae* purus, hac ratione surgens, constat: e *Sodae* p. 20, *Acidi carbonici* p. 16 et *aquae* p. 64, sistitque crystallos octaëdras cum angulis duobus acutis et obtusis, *quae Acidum carbonicum* prompte; nullum tamen ex *aëre* humorem adtra-

hunt; sed fatiscunt potius albido pulvere, tripla *aquae destillatae* portione, solubiles.

V. Eadem, quae *Subcarbonatis Potassae.*

U. In omnibus morbis, in quibus *Subcarbonas Potassae* laudatus fuit, etiam hic efficax est, et ob mitiorem indolem sæpe pro usu interno præferendus pauloque majori dosi sumitur. Hinc a cl. UDENO (per excellentiam) maritatur *solutionibus extractorum:* (Академическія чтенія о хроническихъ болѣзняхъ. С. Петербургъ, 1814.) Aphthis lactentium præcipue infantum, ut succedaneus *Subborati Sodae*, obponitur; eæ enim, quum haud raro a gingivis incipientes, palatum totumque os occupant, tum ad uvam faucesque descendunt, atque his obsessis, periculum minitantur, recte datur ad purganda hæcce ulcera, devorandus. Pustulosis etiam ab eadem causa ficisque laborantibus, aut achore, rachitide, scrofulis, exhibetur (HAMILTON,) nec in infarctibus glandularum mesenterii mucosis atrophiaque infantum frustrari fertur, imo ad curandas podagras aptus esse censetur (TODE,) nec injusta spes est, ut calculo urinario, *acido urico* compaginem debenti, prævertat. *Venenorum* etiam *acria acida* continentium est antidotus celebratissima, quapropter adversus *Oxymuriatem Hydrargyri*, *Oxydum Arsenici album* per *cibos*, vel *potiones* corporibus nostris inserta, valens. Extrinsecus forma *balnei*, *fotus*, *lotionis* etc., in tumoribus glandularum ex *lacte*, aliisque causis, orchiocele scirrhosa, psora, herpetibus, tinea capitis, scrofulis, imo ulceribus syphiliticis, proficit.

D. Auctior, an exigua sit danda, ex ratione quantitatis *acidi* absorbendi et ætatis ægri, æstimari oportebit; plerumque tamen a quinque ad quindecim grana, usque ad semidrachmam adultioribus datur cum congruis remediorum additamentis, vel in *solutione*, habita semper soluti ad solvens ratione. *Subcarbonas Magnesiae*, vel alii pulveres, nulla *acida*, aut ferentes, aut extricantes, ut *Saccharum* etc., recte adjunguntur *eidem*. In *pilulis*, *extracto amaro*, debili inprimis stomacho, excipitur utiliter; urgentibus autem aphthis solutus ex *melle*

devorandus propinatur, et in urolithiasi cum *Sapone oleoso* vices *Aquae Supercarbonatis Sodae* supplet. Ubi usus ejusdem protrahendus est, ut in urolithiasi, infarctu glandularum et intestinorum, achore, rachitide, et id genus aliis, tum magna cura cavendum, ne, dum salutem molimur, majori dosi ægrotis struamus insidias.

*V. Aqua Supercarbonatis Sodae; Pilulae Sodae; Subphosphas —; Sulphas —.*

## SUBMURIAS HYDRARGYRI.

HYDRARGYRUM MURIATICUM MITE *Ph. Bor.*; MERCURIUS DULCIS *Ph. Ross.*

Солекислая услащенная Ртуть.

R. *Oxymuriatis Hydrargyri* partes quatuor.

In mortario vitreo, aut lapideo cautim tere *Alcoholis* aliquot guttulas interdum adspergendo; dein adde:

*Hydrargyri depurati* partes tres,

misce terendo, donec globuli *Hydrargyri* perfecte disparuerint, dein pulvis in cucurbitam vitream oblongam, cujus tertiam duntaxat partem impleat, inditus, ex arena sublimetur calida. Massa sublimata teratur et denuo sublimetur, tandem in pulverem subtilissimum redigenda, *aqua destillata* fervente lavandum et pro usu medico siccandum.

Q. Sic paratus tenet CHENEVIXIO teste: *Hydrargyri hemioxydati* p. 88, *Acidi* vero *muriatici* p. 11 e centenis, formatque crystallos prismaticas, tetraëdras, candidissimas, nec *aqua*, nec *Alcohole* solubiles, *saporis* expertes, *phosphorica* luce, si in tenebris terantur, micantes; luce autem solari, dum *Acido muriatico* orbatæ sunt, nigrescentes.

V. Stimulans; resolvens; antiphlogistica; anthelminthica; antisyphilitica; sialagoga; chologoga; verbo, secretiones et excretiones fere omnes promovens; cathartica in primis.

U. Omnium e *Hydrargyro praeparatorum* præstantissimum æque, ac usitatissimum est, *Submurias Hydrargyri*, et delicatis matronis, et teneris infantibus, et febrientibus, si circumspecte administretur, adcommodum. Quatenus heterogenea, organismo per contagionem illata, potis est destruere, tutum præbet in salutari nobis professione refugium administratio ejus adversus syphilidem, quacumque demum sub forma, manifestam, latissime ergo patet usus *ejusdem* nominatim: in ulceribus, tumoribus mollium et solidarum partium, excrescentiis, pseudo-organisationibus, ostealgia etc. Si tamen malum jam est inveteratum, organismus torpet et quædam insensibilitas observatur, tum fortiora e *Hydrargyro* præparata, ut *Oxymurias Hydrargyri*, exiguntur, vel etiam mitiora, si insignis pulmonum, vel ventriculi debilitas, vel irritabilitas male habet, neque alterna remediorum plus, vel minus oxydatorum, exhibitio, interdum pro re nata, necessaria, officit laudibus *Submuriati Hydrargyri* adstructis. Quibusdam præcipue irritabilibus, aut acore ventricuti vexatis, si tormina et diarrhæam causat, addito *Opio* subvenire licet, quo etiam actioni ejusdem in glandulas salivales prævertitur. Eodem nomine adversus fœditates cutis (*Dermatodes*,) sive illæ forinsecus accessere, seu in penetralibus corporis exortæ sint, commendatur, valetque plurimum in psora, herpete, tinea capitis, crusta lactea, lepra, pemphigo etc., externo et interno usu, vel utroque simul. Non male tum additur *Oxydum Stibii hydrosulphuratum* et *decoctura corticis radicis Daphnes Mezerei*, aut *Tritici repentis* etc.; extrinsecus autem *unguentum sulphuratum*, *pulvis radicis Veratri albi* etc. Trichomati etiam obponitur. Canibus ad salivationem usque datus adversus rabiem hydrophobam profuit, nec minus hominibus a talibus demorsis. In helminthiasi (Rush, Andry) et quidem in ipsa tænia laudabatur, partim zooctono, partim cathartico scopo, atque etiam ingreditur hunc in finem decantata quædam *specifica*. Febres, quæ miasmati originem debent, plerumque typhodes, atque maxima ex parte adfectione alicujus visceris, puta: ventriculi, intestini dodecadactyli, jeci-

noris, pulmonum, glandularumve, stipatæ, optime curantur *Submuriate Hydrargyri*, præsertim ferentibus subsidiariam opem *Opio*, *Camphora*, *Valeriana officinali*, *Aristolochia Serpentaria*, *Angelica Archangelica*, *balneis tepidis*, *topicis frictionibus* per modum *unguenti* ex eodem. In peste etiam efficacia ejusdem rite administrati non est spernenda; in febri vero americana flava (Rush, Clarke) unicum fere est et eximium artis præsidium, maxime cum *Oxydo Stibii hydrosulphurato*, aut *Tartrate Stibii* et *Potassae*, *Camphora* etc. Valet etiam in febribus malignis, typhodibus (Murray, Lind,) pneumonitide typhode (Hamilton.) In dysenteria (Wilson, Pringle,) usus ejusdem suadendus est, si, vel rheumatica est, vel inflammatoria et nervosa. Vis *Submuriatis Hydrargyri*, antiphlogistica extra omnem dubii aleam posita, nititur incitatione vasorum absorbentium multumque potest adversus inflammationes topicas, rheumaticas e nervorum ataxia, seu irregulari conductione, profectas; sed non illico incipiente malo, dum energia nimiusque sanguinis impetus urget, sed præmissa sanguinis detractione, admotis sanguisugis, eluta alvo, cuteque congruis *potionibus* laxata, prodest. Exhibetur hoc facto cum *Opio* ad granum auctis sensim dosibus in encephalitide, cumprimis ea, quæ febrim nervosam comitatur. Proficit etiam in opthalmitide rheumatica, scrofulosa, syphilitica (Warner, Richter,) si in pneumonitide, prægressa methodo antiphlogistica, respiratio ægri non est liberior, doloris vero vehementia remittit quidem; sed is prementior fit, tussis manet sicca, tum *Submurias Hydrargyri* præsentaneo est remedio, exhibeturque secunda, vel tertia quaque hora a duobus ad tria grana, maritatus cum semigrano, vel integro *Opii*, *succo Hyoscyami spissato*, partim, ut aucta pulmonum irritabilitas minuatur; partim vero, ut catharticæ ejus vi prævertatur. In hepatitide internus ejusdem usus adjuvatur externo, adfricto adfectæ parti *linimento Suboxydi Hydrargyri* (Clarke, Lind.) Eadem ratione gastritidi, enteritidi et metritidi (Hamilton) obponitur. *Balneis tepidis* et *fotu* remedii actio intenditur. In tracheitide (angina mem-

branacea,) auctoritate præsertim Britannorum et Americanorum valet plurimum; Ruyschius profecto habet eum pro *specifico* adversus hoc malum. Puerulis porrigitur secunda quaque hora a duobus ad tria grana adfricto simul *unguento* colli parti. Non male tum conjungitur cum *Camphora* vel *Opio*, ne, vel catharsin, vel salivationem moveat. In febribus exanthematicis, scarlatina (Baillie, Michaëlis,) variolis (Lettsom,) morbillis, præsentanea præstat commoda, si status putrido-nervosus urget, vel topica inflammatio accedit; in primis vero in copula *Camphorae*, *stibiatorum*, *balnecrum*. Stimulando periphericos nervorum fines contribuit ad curationem convulsionum et spasmorum; nam, vel causam summovet rheumaticam, promota perspiratione; vel metasyncrisin producit. Peropus est tum, si votis perfrui lubet, eidem *Opium* et *Oxydum Stibii hydrosulphuratum* jungere, tum magnis dosibus ad grana quinque, vel sex porrigere, nec extimescere salivationem, quæ interdum impediri nequit, tum simul ab *acidis* abstinere, victumque functionibus cutaneis restituendis parem, eligere. Haud desunt exempla tetani (Renaut,) trismi (Monro,) eclampsiæ (Clarke,) dysphagiæ et ischuriæ spasmodicæ (Gilchrist, Percival,) hac ratione curatæ. Agendo in fines hæmatophororum vasorum myodyniæ rheumaticæ (chronicæ) obponitur, in coxalgia autem et prosopalgia (Stark,) et interno et externo usu efficax (Lentin.) Id ipsum etiam de podagra, si syphiliticæ indolis est, intelligendum. Non male his in casibus additur ei *Oxydum Stibii hydrosulphuratum*, *gummiresina Guaiaci officinalis*, *succus spissatus Aconiti*, *Camphora*, *Opium* etc. Incitando enixius fines vasorum, stases jecinoris, lienis, venæ portarum, pancreatis, mesenterii etc., reserat, quo vis ejus eminet in ictero, melancholia, dialeipyris splanchemphracticis refractariolis, in primis quartanis (Selle,) ubi cum *cortice Cinchonae officinalis*, *Suboxydo Stibii hydrosulphurato*, aut *Opio* conjungitur, ita etiam in hydropisi cum *Scilla maritima* et inprimis hydrocephalo (Dobson, Percival.) Iuvat etiam in debilitate et stasibus lymphatici et glandularis systema-

tis, hinc laudatur in atrophia (CHEYNE,) scrofulis (ROWLEY,) struma etc. Ab initio datur per se; dein vero in connubio *Stibiatorum*, *Conii maculati*, vel, pro re nata, *Opii*, subjunctis tandem *tonicis*. Commendatur etiam adversus indurationes, inflammationibus prægressis, superstites, e. gr. ventriculi cum *Opio*, *Conio maculato*, *Arnica* etc., aut *veneficio plumbeo* ortas, rigiditatem articulorum etc. Secretiones corrigendo pollet in remediis adversus inveterata ulcera, præsertim, si aut syphiliticæ, aut scrofulosæ indolis sunt; minime vero putescentia, aut scorbutica. Carcinoma scrofulosæ indolis curationem, ejus usu, recepisse apud GATACKER legimus. CLUTTERBUCK habet eundem pro antidoto *Plumbi*. Scopo purgandi datur in variis morbis, ubi, vel cruditates subducere, vel plethoræ in abdominalibus organis occurrendum est, interdum tale purgans in splanchemphraxi, spasmodica enterodynia, ileo, herniis incarceratis etc., utile est. Plerumque cum aliis *catharticis* conjungitur, e. g. *radice Rhei palmati*, vel, si validiore opus est pulvere, *radicis Convolvuli Jalappae*, *extracto Colocynthidis composito* etc. Sæpe et lumbricos eorumque nidum mucosum educit.

D. Ad excitandum stimulum præsertim in chronicis morbis datur a semigrano ad granum adscendendo, si opus sensim sensimque ad octo. Infantibus ab $\frac{1}{4}$ ad semigranum porrigitur. Ad exitandum in acutis morbis stimulum, e. g. inflammationibus, exhibetur secunda, vel tertia quaque hora a grano ad tria. Infantibus porrigitur, e g. in febri scarlatina ter de die granum; in hydrocephalo autem omni vespere tantundem. Observandum est in genere acutis morbis plenas doses adcommodatiores, easque gradatim imminuendas esse; in chronicis vero a refractis incipiendum esse et sic sensim ad majores progrediendum. Scopo cathartico adulti grana quinque ad sex sumant; infantibus vero grana duo ad quinque sufficiunt. Infestante tænia majores doses, imó scrupulum datum fuisse legimus. Plerumque in connubio *Sacchari lactis*, *radice Glycyrrhizae glabrae* etc., administratur. Persæpe additamentum *Opii* juvat, ad-

singulam, e. g. dosin grani, adjicitur grani *Opii* quarta, vel sexta pars. In arthrodynia, myodynia rheumatica et morbis cutaneis peradcommoda est additio *Oxydi Stibii hydrosulphurati*, sumunturque, vel utriusque pares portiones, vel *Submuriatis Hydrargyri* duæ et *Oxydi Stibii hydrosulphurati* una, atque granum, duo, sensim augendo, datur. Non malum est connubium *Camphorae* prævertende salivationis causa. Lœfflero copula *C. Ipecacuanhae* arridet. Cum *salibus* non est miscendus, aut iis, quæ *Acidum muriaticum* tenent, vel *kalinis salibus*, aut *terris*, vel *Hydrosulphureto Potassae*. Pro interno usu, vel *pulveris*, vel *pilularum* forma idonea, sumitur, e. g. *Extracti Glycyrrhizae glabrae* drachma et *Submuriatis Hydrargyri* (*Calomelanos*) semidrachma, fiuntque sexaginta *catapotia* mane vesperique singulatim (quotidie duo) ingerenda. Pro externo usu confit *unguentum* e duobus *Submuriatis scrupulis*, et semuncia *Cerati.* Quandoque permiscetur etiam cum *melle rosato.* Si secretio salivæ apud ægrotum non est morbosa, tum *Submurias Hydrargyri* cum saliva permistus infricatur, neque proinde spernendum est Clarii consilium eundem ope *salivae* ad internas genas inungere, præsertim, si locales oris adfectus curandi sunt. Pulveratus pro inspersione perraro adhibetur; pro provocandis vero sternutamentis, ubi usus est, in connubio congruorum potest. *Injeetio* non est commendanda; facile enim in *solutione* fundum petit.

*V. Pilulae Submuriatis Hydrargyri; — — — stibiatae; Pulvis Submuriatis Hydrargyri compositus.*

## SUBNITRAS BISMUTHI.

Nitras Bismuthi; Bismuthum oxydatum album *Ph. Bor.*

Селитрокислый Висмутъ; Окись Висмутовая.

R. *Acidi nitrici diluti purissimi* quantum vis,
*Bismuthi* quantum satis.

*Bismuthi* in frustula difracti, vel in subtilissimum pulverem tenuati, exiguæ portiones *Acido nitrico* partitis vicibus injici-

antur, donec *metallum* fuerit solutum; solutio ab insolubili nigricante residuo per chartam bibulam filtratione separetur, et vas vitreum, *aquae destillatae* viginti partes jam in se continens, infundatur. Liquor natans decantetur in aliud vitrum, cui *solutio Subcarbonatis Potassae*, seu *Sodae* successive instilletur ad perfectam *Oxycarbonatis Bismuthi* præcipitationem; denique utraque hæc præcipitata, *aqua destillata* edulcorentur et loco umbroso, nec non calido, exsiccentur ac serventur.

V. *Subnitras Bismuthi* in *aquae* non nisi *bullientis* ingenti quantitate solubilis, olim *cosmeticis* adnumeratus fuerat; nunc vero jam *antispasmodicis* accensetur.

U. Laudatur in asthmate spasmodico, pertussi, gastrodynia, vomituritione cardialgia nervosa, quæve nimiæ ventriculi teneritati et irritabilitati ortum debet (Beaume, Carminati, Odier,) in helminthiasi (Kerksig.) Externe in psora etc., (Hahnemann,) et odontalgia tentatus.

D. A grano adscendendo gradatim ab decem, scrupulum per se, vel cum *Saccharo*, *gummi Acaciae verae*, vel *amarorum*, pro re nata, vel in haustu *aquae*, vel *syrupo*. Odierus brevi ante prandium exhibebat. Maioribus dosibus, anxietatem, vomitum, alvi obstructionem, aut fluxum, producit.

## SUBOXYDUM FERRI PRÆPARATUM.

### Rubigo Ferri præparata.

### Желѣзная окись приготовленная.

*Ferrum limatum* sæpius *aqua* humectetur, ut fatiscat in *rubiginem*, quæ siccata in mortario ferreo tenuetur in pollen.

U. Idem ac *Ferri limati*; solubilius vero hoc.

V. *Tinctura Muriatis Ferri*.

## SUBOXYDUM HYDRARGYRI NIGRUM.

HYDRARGYRUM OXYDULATUM NIGRUM *Ph. Bor.*; MERCURIUS SOLUBILIS *Ph. Ross.*

Ртутная черноосадочная окись.

R. *Acidi nitrici diluti* partes tres;
admisce gradatim:
*Hydrargyri depurati* partes duas.

Commista per aliquot dies maneant in phiala leviter clausa (vase in *aqua frigida* suspenso, ne inter solvendum calor augeatur,) interdum agitando, donec *Hydrargyrum Acido nitrico* nuptum, in crytallos concrescat. Crystallos collectas in copiosiori quantitate (20 partibus) *aquae*, solvito. *Liquori* limpido a sedimento ægre solubili, decantato, sensim instilla: *Ammoniam liquidam* tamdiu, nec ultra, quam *praecipitatum* inde enatum, colore nigro adparet. Pulverem subsidentem *aqua destillata* perfecte abluito, solita temperatura, locoque umbroso, siccato, atque in vitro probe obturando, serva. Convenit cum hoc, *Suboxydum Hydrargyri cinereum Ph. Edinb.*, seu *Subnitras Hydrargyri* et *Ammoniae*, eoque duntaxat differt, quod in vicem *Ammoniae liquidae* ad præparationem ejus *Subcarbonas Ammoniae* adhibeatur. Talis etiam forma est SAUNDERI, quam Collegium Londinense, ejus consilium sequens, adoptavit, *Submurias* nempe *Hydrargyri* in *aqua Calcariae* coquitur, donec *Suboxydum cinereum* subsidat.

Q. Est *oxydulum* admodum parum *Ammoniae* et *Acidi nitrici* tenens. In *aqua* insolubile; in *Aceto* autem bulliente et facile et perfecte solvitur.

V. Antisyphilitica, *Submuriati Hydrargyri*, subpar; multo minus salivam et alvum ciens, quam alia *praeparata*.

U. In adfectionibus syphiliticis; cum *Opio* autem in inflammationibus topicis valet, imo a LOEFFLERO myodyniæ rheumaticæ cum successu obpositum. Simulac æger *eo* utens, febrit, inalgescit; gingivæ vero tument, indicium est salivatio-

nem instare, ejusque usu supersedendum esse, vel pauxillum *Hydrosulphureti Potassae* vel *Sodae*, in dilutioribus *acidis*, propinandum esse. Hahnemannus, ad quem hoc remedium refertur, adserit ea, quæ esui potuique dantur, insulsa esse oportere, imo et a *pomis* ejusdem suasu, abstinendum esse. Extrinsecus per modum *unguenti, frictionis*, fœditatibus cutis: psoræ, herpetibus, etc; imo adversus oculorum valetudinis genera idoneum esse perhibetur medicamen.

D Exhibetur in syphilide a semigrano adscendendo sensim ad grana quinque vel sex. In typho et inflammationibus majores doses e re sunt et brevioribus intervallis repetendæ. Fortioribus intra nychthemeron sex ad decem grana; debilioribus vero quinque, vel sex exhibentur, atque portio hæc in tria, vel sex præbia, dividitur. Plerumque administratur in pulvere, sed nunquam in copula *salium*; ast, vel cum *Saccharo, radice Glycyrrhizae gl.* etc., vel pro re nata cum *Opio, Camphora, Ipecacuanha* etc. Forma pilularis chronicis præcipue morbis adcommoda. *Unguentis* etiam addi potest, aut cum *saliva* et *bile* inungi; monendum tamen, si cum animalibus humoribus teritur, reduci, ut globuli *Hydrargyri* iterum adpareant.

V. *Unguentum Suboxydi Hydrargyri nigri*; — — — — *compositum*; *Pilulae Suboxydi Hydrargyri nigri.*

## SUBOXYDUM STIBII FUSCUM.

Stibium oxydulatum fuscum *Ph. Bor.*; Crocus Antimonii *Ph. Ross.*

Темно-сюрмяная окись.

R. *Sulphureti Stibii nativi,*
*Nitratis Potassae depurati* et *siccati*, utriusque par pondus,

in pulverem tenuata et exacte commista per vices candenti crucibulo indantur. Post detonationem materia metallica gravior, hærens in fundo crucibuli, ab albicantibus *scoriis* separetur,

atque in pulverem redigatur, repetita *aquae ferventis* adfusione rite abluendum ac siccandum.

Q. Est imperfectum *Stibii oxydum* ad vitreata (*Stibii oxyda*) referendum. Mistum est cum *Potassa*, *Acido hydrothionico* et *Sulphure*. *Potassa liquida* perfacile solvitur et plurimis *acidis*.

V. Violenter vomificia.

U. Internus respuitur, nec nisi etiamnum ad parandum *Tartratem Stibii* et *Potassae* adhibetur. videsis: Tartratem Stibii et Potassæ.

## SUBOXYDUM STIBII HYDROSULPHURATUM.

Sulphur stibiatum aurantiacum *Ph. Bor.*; Sulphur auratum Antimonii *Ph. Ross.*

Окись сѣрносюрьмянная златоцвѣтная.

R. *Sulphureti Stibii laevigati* partes duas,
*Sulphuris sublimati* partes tres,
*Potassae liquidae*,
*Aquae pluviatilis*, utriusque partes triginta duas.

*Lixivio aqua* diluto in lebete ferreo ebullienti addito *Sulphur* et *Sulphuretum Stibii*, rite in pulverem tenuata commistaque coquito spathula movendo ad plenariam solutionem, *aquam* evaporatione consumtam subinde restituens. *Liquori* refrigerato et per chartam colato instilla successive: *Acidi sulphurici diluti* sufficientem quantitatem ad *Hydrosulphuretum* omne dejiciendum, quod per chartam separatum, *aqua* tepida abluatur et tandem leni calore in loco umbroso siccetur, usui servandum. Ut a *Suboxydo Stibii hydrosulphurato rubro-fusco* (*Kermete minerali Ph. Ross.*) distingui queat, *Suboxydum Stibii hydrosulphuratum aurantiacum*, adposite dicitur.

Q. Continet in centenis: *Oxyduli Stibii* p. 68, *Sulphuris* p. 12, *Acidi hydrothionici* p. 18; et *aquae* p. 2, colorem præ se fert aurantiacum, saporis odorisque est expers.

V. Vasa absorbentia incitans; resolvens; sudorifica; maiori dosi, vel dum *acida* obvia sunt, vomitum ciens.

U. Ejusdem non spernendus in splanchemphraxi, quæ etiam pituitosa colluvie stipatur, quapropter laudatur etiam in dialeipyris, ab his stasibus profectis, præcipue in connubio *Sulphatis Potassae*, *Muriatis Ammoniae depurati*, *florum M. Chamomillae*, *extractorum amarorum*, et (dum major irritabilitas est,) *Opii*. Maxime autumnalibus et quartanis convenit. Sensibilibus et irritabilibus *Sapo stibiatus* adcommodatior est. Proficit etiam in sequelis harum febrium, ictero (cum *gummiresina F. Assae foetidae*, *oleo pineo-laricino* etc.,) hydrope, vel stasibus organorum, vel prægressis exanthematibus, emergente, cum *extracto Menyanthidis trifoliatae*, *Sulphate Potassae* (Selle.) Incitando vasa capillaria tunicæ mucosæ, fistulam spiritalem obvestientis, prodest in adfectibus pulmonum spasticis nuptum *Opio*; videtur enim symbolam suam contribuere *hydrogenis sulphurici* evolutio ad resolvendos stagnantes humores et tollendas constrictiones spasticas, quem in finem et *Sulphatis Potassae* additio non est vana. In catarrhis inveteratis (citra inflammationem) laxitate tunicæ mucosæ sustentatis præsentanea præstat commoda cum *extracto Centaureae benedictae*, — *Glycyrrhizae glabrae*. Peculiarem commendationem meretur in pneumonitide asthenica chronica (citra sanguinis orgasmum) stasibus glandularum bronchialium ac laxitati tunicæ mucosæ natales debente, quo in casu et *radicem Polygalae amarae* et *Senegae* etc., addere juvat; dum vero nervosa urgent symptomata, aut spasmi, aut torpor notabilis est, tum, vel *Camphora*, vel *Opium*, vel *gummiresina Heraclei*, subsidiariam opem ferunt. In asthmate etiam et incipiente hydropisi pectoris cum *radice Scillae maritimae* et *extracto Arnicae montanae* laudes tulit, uti nec in tracheitide (angina membranacea,) imminuta videlicet inflammatione et tenaci muco gravante, frustratum est. In prima phthiseos periodo, si aut scrofulosa, aut herpetica diathesis est, aut stasibus abdominalibus sustinetur, vel post acutas pectoris adfectiones exorta est, omnino utilitatem promit-

tit conjunctum cum *cortice Cinchonae off.* vel *gummiresina Guajaci off.* vel *extractis amaris*, vel *Opio* etc. In spasticis adfectionibus pectoris e. g. in pertussi, *narcoticis* jungitur *remediis*, e. g. cum *Opio*, *succo Hyoscyami spissato* etc., vel cum *Moscho etc.* Etiam in stenocardia (angina pectoris) a WICHMANNO tentatum. Agendo in vasa dermatica fœditates cutis profligat, syphiliticas nimirum cum *Submuriate Hydrargyri*, herpeticas cum *Solano Dulcamara*, psoriasin cum *Sulphure sublimato.* In arthrodynia et myodynia rheumatica cum *Camphora*, *Opio* et *Guajaco off.*, valet. Tandem curatio etiam metasyncritica, quæ permutationem totius systematis motorii et sensorii complectitur, haud raro optime absolvitur *eo* cum *Submuriate Hydrargyri*, copulato. Exinde contribuit ad curationem ataxiæ, quæ incipientes nervosas febres stipare solet.

D. Pro adultis granum, vel duo; infantibus vero porrigitur ab $\frac{1}{4}$ ad semigranum ter de die. Si vero immobilitas nervei systematis est, aut pervicacia stasium id exigit, dantur interdum quatuor, vel sex grana, imo etiam plura in chronicis malis. Pulveris forma omnino præferenda est, et tum apte conjungitur cum *Saccharo*, *Saccharo lactis*, *radice Glycyrrhizae gl.* etc. dum æger irritabilis est, viresque ventriculi adtenuatas sentit, non male *aroma* additur; ubi vero acoris metus subest *Magnesiam* addendam suadent. Forma etiam pilularum adhibetur, præsertim in chronicis morbis, excipiturque tum, vel *Sapone*, vel *extractis*, quorum dupla quantitas nubitur. *Acidorum* in genere connubium, haud secus ac *salium acidorum*, culpatur.

V. *Sapo stibiatus*; *Pulvis Muriatis Ammoniae stibiatus.*

## SUBPHOSPHAS CALCARIÆ.

### CORNU CERVI USTUM.

### Фосфоро-кислая известь.

R. *Frustorum Cornu Cervi*, quantum lubet.

Integra, vel, (si horum copia est,) ramenta, a quibus omne volatile abstractum est destillatione candefactis in furno *carbo-*

*nibus* exponantur, donec tota etiam diffracta albescant; dein terantur in mortario, et pulvis trajiciatur per tenue cribrum.

Q. Continet tum *Acidi phosphorici* gr. 0, 41, et *Calcariae* 0, 59. Ustione *gelatina* (pars 27) evertitur superstite *Subphosphate Calcariae* cum pauxillo (parte centesima) *Carbonatis ejusdem.*

V. Ossa restaurans?

U. In rachitide. Titubantem *ejus* in hoc morbo famam BONHOMME sustinet; exhibuit enim *eum*, et *Subphosphatem Sodae* adversus hoc malum manifesto cum effectu, sed adhibuit etiam ad lotiones externas *aquam destillatam*, in cujus libra soluta fuit *Subcarbonatis Potassae* semuncia. In Germania etiam laudata est nuperrime vis *Subphosphatis Calcariae* medicatrix a cl. GÖLIS. Negantibus tamen quibusdam *Subphosphatem Calcariae* solvi posse *liquoribus* corporis humani (utut, *eum* in *Sero lactis*, et *seminali liquore* inveniri FOURCROY et VAUQUELIN contenderint) adhuc de agendi modo, et specifica ejus utilitate, sub judice lis est.

D. Grana decem, viginti porriguntur.

*V. Acidum phosphoricum concretum; Subphosphas Calcariae stibiatus.*

## SUBPHOSPHAS CALCARIÆ STIBIATUS.

*Pulveri: Iames's. Powder,* æquiparabilis.

**фосфорно-сюрмяная известь.**

R. *Sulphureti Stibii laevigati* in grossiusculum pulverem redacti,

*Cornu Cervi Elaphi* rasi, utriusque pares portiones.

Misce atque ollæ ferreæ latæ injicito ad rubedinem calefactæ, ac assiduo agita, donec colore cinereo fuerint. Ubi materia refrigeraverit in pulverem teratur ac loricato immittatur crucibulo. Huic crucibulum aliud inversum, cui parvum sit foramen in fundo, conjunge luto ignemque subministra ad rubedinem sensim auctiorem et ita auctum serva per duas horas; tandem frigefactam massam in subtilissimum pulverem tere.

V. Stimulans; sudorifica.

U. Febres ex perfrictione, astheniæ notas ferentes (ad crisin in primis promovendam,) typhus mitior, remittens, dysenteria, subductis prius sordibus.

D. Grana quinque ad octo, semel, vel pro re nata etiam bis in die; major vero dosis, vel emesin, vel alvum cit, quapropter his subsistere (dosibus) expedit. Persæpe in connubio *Submuriatis Hydrargyri* et *Camphorae* datur. Si paulum *Supertartratis Potassae* adjectum fuerit, tum vis ejusdem et cathartica et vomificia efficacius emicat; sudorifica autem additione *Subcarbonatis Ammoniae*, *Camphorae*, *Opii* etc. Utentibus eo *diluentes* largæ *potiones* sunt commendandæ.

## SUBPHOSPHAS SODÆ.

Natrum phosphoricum *Ph. Bor.*

Фосфоро-кислая сода.

R. *Acidi phosphorici aquae* duplo diluti, quantum lubet.
Sensim admisce:
*Subcarbonatis Sodae depurati*, *aqua* soluti, quantum satis, vel etiam, quod melius est, majorem quantitatem. Humorem cola per chartam, dein evapora, donec gutta crystallos excutiat ad marmor frigidum; dein iterum cola et ad crystallisandum sepone. Collectas crystallos etiam post repetitam evaporationem siccato, vaseque obturando serva.

Q. Ex *Acidi phosphorici* p. 15, *Sodae* p. 19. et *aquae* p. 66 coalescens, crystallos sistit rhomboidales, elongatas cum obtusis angulis, quæ ad aërem fatiscunt; *aqua* vero quartam earundem partem solvit.

V. Blande laxans.

U. In saburra canalis alimentaris, ubi cathartica lenia atque debili constitutioni, labefactis præcipue viribus, adcommoda, e re sunt. Videsis: SUBPHOSPHATEM CALCARIÆ.

D. Uncia pro præbio ex *aqua*, vel *jusculo vitulino*. Decomponitur *Acido sulphurico*, *Potassa*, *Sulphate* et *Muriate Ferri*.

## SUBSULPHAS CUPRI et AMMONIÆ.

CUPRUM SULPHURICO-AMMONIATUM. *Ph. Bor.*

CUPRUM AMMONIACALE *Ph. Ross.*

Сѣрнонашатырная Мѣдь.

R. *Supersulphatis Cupri*, subtilissime pulverati, partem,
*Ammoniae liquidae* partes tres et semis.

In vitro pharmaceutico bene obturato conquassetur, donec *Supersulphas Cupri* prorsus fuerit solutus. *Liquori cyaneo* jam per chartam bibulam filtrato, adde: *Alcoholis* partes quatuor, vel

R. *Supersulphatis Cupri* partes duas,
*Subcarbonatis Ammoniae* partes tres,
*Aquae communis* partes quatuor.

In mortario rite subigito, donec effervescentia finita placide in violaceum coiverit liquorem; liquori a sedimento in aliud vitrum, decantato admisce: *Alcoholis* partes quatuor, vel amplius, crystallosque ex utroque liquore excussas, cæruleas, aciniformes, lenissimo calore siccato, in vitro probe obturato, servandas.

Q. Est *sal* triplex: *Sulphatem Ammoniae*, *Supersulphatem Cupri*, *et Ammoniam* continens; crystallos sistit læte cæruleas, saporis nauseosi, ammoniacalis, metallici, in *aquae* sesquitanta copia solubiles; in majori vero discidium patientes.

V. Pro varia dosi, irritans; adstringens; tonica; antispasmodica.

U. In spasmodicis morbis ad metasyncrisin efficiendam utiliter adhibetur, ita profuisse fertur: in epilepsia (ARETÆUS, DUNCAN, GREGORY,) scelotyrbe (WALKER, WILLAN,) hystericis insultibus (THUESSINK,) tussi spasmodica (BELL,) spasmo ventriculi (BRERA,) dialeipyris refractariolis (CAUSLAND, BRERA.) Extrinsecus *solutio* ejusdem ad purganda cacoëthea

ulcera ac pterygia oculorum, (licet tenellas partes plerumque admodum irritet,) laudatur.

D. Initio ad semigranum per se, vel cum quovis idoneo *anodyno* et *radice Valerianae* datur; dein vero dosis sensim augetur ad tria vel quatuor grana, vel donec nausea (non tamen vomitus) mota fuerit, administratis simul *demulcentibus potionibus. Pilularum* etiam forma est idonea.

V. *Pilulae Subsulphatis Cupri.*

## SUCCUS COCHLEARIÆ COMPOSITUS.

### Сокъ хрѣновый сложный.

R. *Succi radicis Cochleariae Armoraciae* bilibram,
— *herbae Veronicae Beccabungae,*
— — *Sisymbrii Nasturtii,*
— — *Fumariae officinalis,* singulorum libram,
— *fructus Citri Aurantii* uncias viginti,
*Tincturae Acori Calami* selibram.
Misce,

et cum subsederint fæces, liquorem effundito et cola.

V. Leniter stimulans; diuretica; antiscorbutica; persæpe alvum leniter sollicitans.

D. Ab uncia ad duas, quatuor, bis terve de die, in cachexia, scorbuto etc., administratur.

## SUCCUS OXYCOCCI NITRATUS.

### С. клюквенный селитряный.

R. *Nitratis Potassae depurati* unciam,
*Succi baccarum Vaccinii Oxycocci* libram.

Misce, cui, si libet, duas, vel tres *tincturae Acori Calami* uncias, utiliter addes.

V. Refrigerans; actionem cordis, et micatus arteriarum minuens; parum diuretica; antiseptica. Majoribus in dosibus antiscorbutica esse fertur?

U. Scorbutus; dysenteria scorbutica? In morbis inflammatoriis, myositide rheumatica, haud inefficax.

D. Uncia ad selibram partitis vicibus portionibusque quotidie datur. Patterson usque ad libram per diem optato cum succesu propinavit. Ubi nauseam, enterodyniam et oppressionem ventriculi producit, tunc *Camphora* a grano ad quatuor, singulis dosibus, addi debet. *Succus Oxycocci*, vel *fructus Citri medicae*, *Aceto* a Patterson commendato, praeferri merentur. Extus *lotionis* forma in ecchymosi crurum utilitatem promittit.

## SUCCI PLANTARUM SPISSATI.

### SUCCUS FOLIORUM ACONITI NEOMONTANI SPISSATUS.

Extractum Aconiti *Ph. Ross.*

С. прострѣльной травы сгущенный.

R. *Foliorum Aconiti neomontani* recentium, ante anthesin collectorum, quantum vis.

In mortario lapideo, adspergendo *aquae* paulum, contundito; dein exprimito *succum*, quem statim absque defæcatione, in balneo *aquae*, movendo spathula, ad crassitudinem *mellis* evapora. *Succus* hic, ne noceat, sit recens, neque super anni tempus, paratus; iners enim evadit. Methodus cl Iaenisch, Professoris Mosquensis, *succos narcoticarum plantarum* densandi, ea est, ut ii in vasis minime profundis, in stratis cum *Muriate Calcariae* alternatim positi, aëre antlia pneumatica exantlato, evaporent, quo, imminuto calore, humor absorbetur a *Muriate Calcariae succus*que spissatur, cunctis plantæ virtutibus, ne *pigmento* (*materia colorante*) quidem excepto, retentis, et quidem in pressiori forma.

U. Præeunte stoerckio in arthrodynia laudatur dosi grani (cum *Saccharo*) sensim sensimque augenda; non male etiam *succi spissati* semidrachma in *Vini stibiati* uncia solvitur, atque *solutio* hæc ad triginta et plures guttas præbetur (Richter.) Bergius effectum ejus expertus est (*Mat. med. t.* 1. *p.* 483) in ischiade, myodynia rheumatica, febribus intermittentibus

protractis cum statu leucophlegmatico, hæmorrhœa uteri (chronica.) In cephalalgia serosa Kæmpfius cum successu exhibuit. In oculorum morbis: ophthalmiis rheumaticis chronicis, cataracta incipiente, guttæ serenæ metu, solutio (drachmarum duarum *succi* in *Vini stibiati* uncia) profuit.

D. A grano gradatim adscendendo usque ad tria et quinque datur, ter de die, vel in pilularum forma, vel *Saccharo* mistus. Stoerckius haud raro cum *succo Conii spissato* miscuit, interdum etiam his *mercurialia* addidit, alii in connubio *extracti Gentianae* obtulerunt. Videsis: Aconitum neomontanum.

## SUCCUS FOLIORUM HYOSCYAMI NIGRI SPISSATUS.

Extractum Hyoscyami *Ph. Ross.*

С. Бѣлены сгущенный.

U. Illustris Stoerckius in melancholia, mania; Fothergil etiam in mania melancholica et puerperarum utilem reperit, et quidem, ut relatum accepimus, summa cum euphoria, exhibitum; a Gredingio autem atro carbone notatus est. Forsitan majori cum fructu exhiberi potest in omni nervorum nimia irritabilitate, morbis convulsivis et spasmodicis, ut epilepsia (Stoerck.) cardiopalmo, pertussi, catarrhali tussi, mera pulmonum sensibilitate, protracta, (quo in casu *linctibus* admiscetur, e. g. sumitur *pulveris gummi Acaciae verae*, *Aquae florum M. Chamomillae*, utriusque semuncia, *succi Hyoscyami spissati* semiscrupulum, *syrupi Althaeae*, vel alterius congrui, uncia, atque quavis hora cochlearculum (Wollkopf) præbetur. Hæmoptoicis etiam et phthisiscentibus commendatus ad infringendam irritationem, et præ *opiatis*, quod alvi excretionem non supprimat, et in somno et quiete inducenda aliquando potentius agat, prærogativam habere censetur; laudibus his et Collinus (*Observat. T.* 2. *p.* 148) subscripsit. Laudatur quoque in menstruis dolorificis, stranguria, ischuria et doloribus post partum. Infantibus et tenuioris texturæ hominibus, præ *Opio*, commendandus (Hufeland.) Videsis: Hyoscya-

MUM NIGRUM. Huic etiam *extractum Humuli* sæpe potest, ut *Opio*, subrogari, ita parandum, ut decocta *strobilorum* (*conorum*) *Humuli Lupuli* parte, in *aquae fontis* partibus sedecim, ad octo, liquor dein, adhuc calens, colatus, ad idoneam densitatem spissetur.

D. A grano pedetentim ad quinque est dandus.

V. *Collyrium Hyoscyami opiatum.*

## SUCCUS HERBÆ ATROPÆ BELLADONNÆ SPISSATUS.

### С. сонной Одури сгущенный.

U. In epilepsia habituali tentatus, atque levamen conciliasse fertur *succo spissato* cum *pulvere foliorum* (in massam commistis,) ad grana tria pro dosi, porrecto, in ictero etiam profecit, qui hepatemphraxi natales debuit, oblata mane vesperique sesquigrani pilula (GREDING in LUDWIG. *Advers.*) Videsis: ATROPAM BELLADONNAM.

## SUCCUS HERBÆ CHELIDONII MAJORIS SPISSATUS.

### С. Чистяка сгущенный.

Videsis: CHELIDONIUM MAJUS.

V. *Mistura Chelidonii majoris.*

## SUCCUS HERBÆ CONII MACULATI SPISSATUS.

EXTRACTUM CONII MACULATI *Ph. Ross.*

### С. Омега сгущенный.

Videsis: CONIUM MACULATUM.

## SUCCUS PUTAMINIS IMMATURI JUGLANDIS REGIÆ SPISSATUS.

### С. Грецкихъ незрѣлыхъ орѣховъ сгущенный.

R. *Putaminum immaturorum Juglandis regiae* comminutorum quantum vis,

*Aquae communis*, quantum sufficit.

*Putamina* in mortario lapideo, adspergendo *aquam* paulatim, contundito in massam pultaceam; dein *succum* per linteum no-

vum exprime, quem in balneo mariæ, movendo spathula, ad *extracti* mollioris spissitudinem evapora.

Videsis: JUGLANDEM REGIAM.

V. *Mistura Juglandis.*

## SULPHAS FERRI.

FERRUM SULPHURICUM CRYSTALLISATUM *Ph. Bor.*

VITRIOLUM MARTIS. *Ph. Ross.*

СѢРНОКИСЛОЕ ЖЕЛѢЗО.

Quum venalis, plerumque *Cupro* contaminatus sit, satius est eum præparari a Pharmacopœis, quod fit sequenti modo:

R. *Ferri limati*, quantum lubet,
per vices in vitrea cucurbita immittito in
*Acidi sulphurici* quantitatem sufficientem, *Aquae* quadruplo, dilutam.

Ubi fervere cessarit, liquorem supra calentem arenam per horam digerito, tum filtra et post exhalationem debitam sepone, ut crystalli formentur, clauso vase et in obscuro loco, servandæ.

Q. Hæ læte virides, sunt prismata lateribus rhomboidalibus, saporis austeri aciduli, peradstringentis. Centenis partibus insunt: 39 *Acidi*, 38 *aquae* ac 23 *Oxyduli Ferri*, ad aërem, adtracto *oxygene*, fiunt opacæ et flaviusculæ, in *aquae tepidae* æqua fere portione solvuntur, fatiscunt facile cum pelluciditatis, formæ et cohæsionis jactura, in ochraceum, si *igne*, (quo satis modico opus est,) liquantur, primo album, ulteriori (*igne*) in flavum, extrema vero *ejusdem* vi, (qua omnis fere *aqua* et *Acidum* expellitur,) per varias flavedinis et rubedinis tincturas, in profundo rubrum pulverem. Discidium patiuntur a principio *scytodepsico*, *Potassa*, *Soda*, *Ammonia*, *Nitrate Potassae*, *Acetate Ammoniae*, *Muriate ejusdem*, *Aqua Calcariae* et *Sapone*.

V. Ejusdem adstrigens; tonica; anthelmintica; lexipyreta.

U. Sacra olim anchora fuit in profluviis sanguinis sistendis, (ne scorbuticis quidem, ubi *limatum Ferrum* nil juvat, exceptis,) quo fine, tum interne, quum etiam extrinsecus, partibus sanguinem fundentibus ipsis, adhibitus fuerat.

Interne mira præstitisse decantatur, paucorum quamvis granorum pondere deglutitus in hæmaturia et sanguinis ex utero secessu, præsertim periculosissimo illo, qui partus violentos, abortus, molæ excretiones, sequitur. In aliis etiam morbis a nimia partium debilitate atque relaxatione ortis, et interno usu, et pro re nata, in *balneis*, proficit, ex. gr. in pollutionibis nocturnis, enuresi, polyuria (diabete,) hydrosi, chlorosi, rachitide, atrophia etc., opem tulit. Egregium præstat usum in bradypepsia (torpore digestionis) et colluvie pituitosa, quæ generandis lumbricis favet, recteque tum conjungitur cum *seminibus Artemisiae Iudaicae, cortice Cinchonae officinalis*, et *radice Valerianae officinalis*, vel *pulveris*, vel *electuarii* forma: grana duo, vel quatuor pro dosi adultis sufficiunt. Ill RUSCH tantum vermifugæ ejus virtuti tribuit, ut tæniæ profligandæ parem esse, se usu cognovisse, fateatur. Dialeipyris epidemicis, præcipue autumnalibus MARX cum successu opposuit? Adversus phthisin nervosam, quæ homines lustris vinoque confectos, corripit, imo etiam pituitosam laudatur (STANGER;) sed aptius in formula, quæ ad GRIFFITHIUM refertur, convenit. Quidam ob corrodentem virtutem vomitumque cientem, vix unquam, nisi a temerariis in usum internum vocari posse, existimant.

D. Propinatur pulveris forma, granum, duo, ad quinque præsertim *Saccharo* intertritus; in helminthiasi tamen ab initio duo etiam grana porrecta sunt; alii solutum in *aqua* et *syrupo* quodam edulcatum, præbent, aliis *electuarium* præplacet; sed quum ob ingratum saporem repugnanter sumatur, *pilularum* forma, meo arbitratu, aptissima esse videtur. Pro *balneis* duæ drachmæ ad semunciam pro infantibus sufficiunt; progredientibus vero ætatibus uncia ad sescunciam et tum addere licet *flores M. Chamomillae*, — *Lavandulae Spicae, herbam Origani Majorannae*, — — *vulgaris*, — *Thymi Serpylli*, — — *vulgaris*, — *Melissae officinalis*, quæ in Russia, præcipue australi, vel spontaneæ sunt, vel in hortis cultura vigent.

V. *Carbonas Ferri praecipitatus; Pulvis adstringens.*

## SULPHAS POTASSÆ.

KALI SULHURICUM. *Ph. Bor.*; TARTARUS VITRIOLATUS *Ph. Ross.*

### Сѣрнокислой Поташъ.

R. *Acidi sulphurici*, *aquae* sextuplo pondere, *diluti*, quantum lubet.

In amplum vas vitreum infunde ac gradatim *Subcarbonatis Potassae depurati*, sextuplo *aquae* soluti pondere, sufficientem quantitatem ad perfectam *acidi* saturationem instilla. Finita effervescentia, *liquorem* filtra, atque evapora ad punctum crystallisationis et postea sepone in loco frigido, ut crystalli formentur. Commode fit quoque *Sulphas Potassae* ex residuo post destillatum *Acidum nitrico-nitrosum*, in *aqua calida*, *soluto* et *Subcarbonate Potassae* saturato.

Q. Continet *Acidi sulphurici* p. 0,40, *Potassae* p. 0,52, *aquae* p. 0, 08, sistitque crystallos hexaëdro - prismaticas in *aquae frigidae* decupla fere, in *ferventis* vero quadrupla quantitate solubiles, ad aërem non fatiscentes; intensiori vero igne liquescentes. *Sulphas Potassae* in particulas constituentes secedit admisto *Acido tartarico*, *Muriate Barytae*, *Nitrate Argenti*, *Acetate Plumbi*, et id genus aliis.

V. Leniter alvum ducens; resolvens.

U. Quum minus crystallisationis *aquae* et plus *Potassae* teneat, stimulum omnino præbet tunicæ ventriculi intestinorumque mucosæ, quo torpida incitantur viscera, digestio secretioque *bilis* augetur, pituitosa colluvies resolvitur, hinc multivaria præstat commoda in stasibus abdominalibus, ictero, atrophia, rachitide, hydropisi etc., quo in casu *aromatica* eidem non male junguntur et interdum, pro re nata, *radix Rhei*, vel *extracta amara*. Ablactantibus etiam feminis suadetur ad secretionem *lactis* minuendam; posse tamen eum a metastasibus lacteis præcavere, dubito. Tandem scopo purgandi com-

mendatur adversus pervicaces alvi constipationes, spasmis, aut flatulentia incommoda, stipatas.

D. Scopo digestivò datur a granis decem ad drachmam; pro laxante duæ (ad sex drachmas) sufficiunt, subjuncta *aquae calidae* potione. In primo casu et *pulveris* et *solutionis* forma adcommoda; in secundo autem *pulveris* forma præstat; multum enim *aquae* ad *solutionem salis* requiritur; *aqua* vero *calida* solutus, haud bene sumitur.

## SULPHAS SODÆ.

NATRUM SULPHURICUM CRYSTALLISATUM *Ph. Bor.*; SAL MIRABILIS GLAUBERI *Ph. Ross.*

Сѣрнокислая Сода.

Invenitur, ut naturæ productum in Russia; præsertim vero in provincia Astrachanensi, ubi sub vulgari nomine *Salis Astrachanensis*, prostat venalis, ita etiam in aliis Europæ regionibus, in America, nominatim in provincia Kentucky, in Japonia, etc; si tamen præparandus est, fit sequenti ratione:

R. *Subcarbonatis Sodae depurati aqua frigida* soluti, quantum lubet,

*Acidi sulphurici diluti*, quantum satis ad saturationem.

*Liquorem* ad neutrum statum reductum colatumque, calore leni evapora, donec gutta frigido marmori immissa, spiculas crystallinas emittat, dein in frigido loco sepone, ut fiant crystalli. Obtinetur etiam, si quidquid *acidi* ex destillatione *acidi muriatici* superest, in *aqua communi* solvatur, addito *Subcarbonate Sodae*, ad perfectam saturationem. *Lixivium* præcipitata *Magnesia* et adhibito *Subcarbonate Sodae*, obtentum, dat *Sulphatem Sodae*.

Q. Sic pronatus tenet *Sodae* p $\frac{13}{100}$. *Acidi sulphurici* $\frac{27}{100}$ et *aquae* $\frac{68}{100}$ effingitque crystallos prismaticas. In *aqua* promtissime solvitur requiritque tres ejusdem *frigidae* partes et unam *ferventis*. Crystalli loco calido, sicco expositæ aëri, in album

æquabilem *pulverem* fatiscunt (*Sulphas Sodae siccus.*) Additis *acidis* non decomponitur; facile vero, quum, aut *Potassa*, aut *sales* eam tenentes, adjunguntur.

V. Stimulans; resolvens; lotium movens; cathartica.

U. Minoribus dosibus scopo digestivo et resolvente in pituita primarum viarum plurimum valet, haud secus, ac in splanchemphraxi abdominali atque hinc emergente ictero, rachitide, atrophia, hydrope (Lange) etc. Sed tum apte addi possunt *amara aromaticaque.* Juvat etiam eo alvum ducere in biliosis, si turgent, sordibus et pituitosis, utilis etiam est in inflammationibus topicis, rheumaticis, in ophthalmitide, quæ derivando, usu ejus, si leves sunt, curantur. Nec in erysipelate, ac in exanthematibus febrilibus irritus. Scarlatina primo statim insultu levatur, si *Sulphas Sodae* minoribus detur dosibus, imo etiam variolarum suppuratio, si morbus est benignus, haud male cedit, si febrienti nil, nisi huius *salis solutio*, cum *Acidi sulphurici* prævalentis pauxillo, porrigatur. Weigelius ejusdem multa *aqua* diluti protracto usu, tæniam fuisse expulsam, adseverat. In hæmorrhoide variisque adfectibus a menstruorum cursu, vel intercepto, vel irregulari, oriundis, eo potissimum nomine expedit, quod, vel nimium impetum sanguinis compescat, vel emphraxes et pituitam, quæ plerumque conjuncta est, solvat educatque. In synocha rarius adhibetur ad reactionem arteriosi systematis minuendam eique hoc in casu *Nitras Potassae depuratus* merito præfertur. Pro antidoto, adversus *Barytae* et *Plumbi praeparata*, habetur.

D. Scopo digestivo a decem granis ad duos scrupulos imperatur; ad sthenicas febres moderandas duo scrupuli ad binas drachmas administrantur; si vero pituita solvenda est, et intestina mitius incitanda, ad drachmas aliquot paulatim ingeritur. Scopo cathartico a semuncia ad sescunciam porrigitur, plerumque in *solutione*; si vero *pulveris* formam adhibere lubet, tum *Sulphas Sodae siccus*, præferri meretur; sed minori dosi, quum fortius agat, propinandus. Utrobique additamenta *aromaticorum* non sunt inutilia. *Mannae* etiam, aliisque

*catharticis*, stimuli mitioris instar, sociatur.

V. *Clyster communis.*

## SULPHAS ZINCI.

ZINCUM SULPHURICUM *Ph. Bor.*; VITRIOLUM ALBUM *Ph. Ross.*

Сѣрнокислой Цинкъ.

R. *Acidi sulphurici depurati* uncias quatuor,
*Aquae depuratae* uncias decem,
*Zinci Indici* in frustula comminuti, vel granulati quantum sufficit ad saturitatem.

*Acido, aqua diluto*, per vices *Zincum* granulatum immittito, donec plane saturatum fuerit, solutionem calentem per chartam cola, et per evaporationem, atque subsequens refrigerium crystallos excutito, in bibula siccandas, ac clauso vase servandas.

Q. *Sulphas Zinci*, hac ratione obtentus, præter quadraginta partes *Acidi sulphurici*, totidem *aquae* ad formandas crystallos idoneæ et viginti e centenis partibus *Oxydi Zinci* continet, crystallis prismatico-tetraëdris coalescens, quæ se ad aërem friant et ad gr. 10 *th. Reaum.*, in duabus *aquae* partibus solvuntur, additis *Alcalinis* et plerisque *salibus* discidium patiuntur. Sunt *sapore* styptico, sub-acidulo.

V. Parvis præbiis adstringens; tonica; aucta vero dosi, emetica.

U. A priscis jam diu in usum tractus, jamque ætate nostra abiisset in desuetudinem, ni Britannorum encomiis ornatus, revixisset jure meritoque. In febribus, sic dictis putridis, ubi *mineralia acida* indicantur, præsertim nervosis symptomatibus stipatis, interdum profuit; sed dum acor ventriculi subest, alienus est ejus usus, nec facile in resolutione humorum, suasore WIEL, concedendus. In dialeipyris efficacior, subductis prius cruditatibus, si a duobus ad tria grana in *infuso Matricariae Chamomillae* administretur. Præcipuus sane est in ve-

neficiis (a narcoticis,) variisque morbis spasmodicis, dum sumitur, nauseam movet, qua continuata, it obviam spasmis; hinc in epilepsia, adfectionibus hystericis atque nervorum distentionibus a grani $\frac{1}{4}$ p. adscendendo ad integrum granum, juvat. Dum hunc in finem in pilulis datur, recte ei addun tur: *gummiresina Assae foetidae*, *radix Valerianae*, et *extracta amara*, quarum quæque quartam grani partem, contineat, oportet. In dyspepsia idonea cum amaris consociatione, datur, magna cura cavendo, ne vel nausea, vel vomitus oriantur, quod adaptatis rite præbiis præcavetur. Communior receptiorque *Sulphatis Zinci* usus est externus: in ulceribus scorbuticis, flaccidis, saniosis, blennorrhœa obscœnarum partium, tum etiam lacrymali, e laxitate et torpore lacrymalium ductuum, orta, in inflammationibus oculi glandulosis, asthenia productis, quibus varices vasorum conjunctivæ accedunt, per modum *collyrii* in illis, *collutorii* in anginis serosis, aphthis (Armstrong, Plenck,) *injectionis* pro re nata. Laudatur etiam in fœditatibus cutis, psora humida, herpete, porrigine. Sanguinis etiam profusiones e naribus, gingivis, sistit. *Sulphas Zinci* non adeo acer et venenatus est, quin satis tuto, vomendi scopo, dari possit, et simul adeo validus est, ut quasi puncto temporis plenissimam cieat vomitionem, ideoque præ omnibus fere hujus generis remediis convenit, si quid perniciosi aut venenati in ventriculum fuerit ingestum, vel si hunc quacunque de causa, subito et plene exinanire expedit. Antidotum ejus *Sapo*, *Conchae praeparatae*. Decomponitur *Calcaria*, *Magnesia*, *Potassa* et *Soda*.

D. Scopo roborandi a grano, ad duo, e quovis vehiculo conveniente bis, terve de die; emetico autem a granis decem, ad quindecim, scrupulum administratur.

V. *Solutio Acetatis Zinci*; — *Sulphatis Zinci*; — *Supersulphatis Zinci*; — *Sulphatis Zinci aluminata*; *Oxydum Zinci*.

## SULPHUR SUBLIMATUM.

Sulphur depuratum *Ph. Bor.*; Flores Sulphuris *Ph. Ross.*

Сѣра очищенная.

R. *Sulphuris* (vulgo venalis) quantum lubet, in clauso vase balneo arenæ sublima; dein magna quantitate *aquae* ferventis probe ab omni *Acido Sulphurico* adhærente abluito, siccato, usuique servato.

Q. Videsis: Sulphur.

V. Nervos organicos, præcipue finibus arteriarum et vasis capillaribus providentes, incitans; exhalationem cutis, et pulmonum promovens; resolvens præcipue stases in vena portarum; majoribus dosibus alvum laxans; zooctona, cumprimis antipsorica. Illud in systema recipi indicat, et odor exhalationis *gas hydrogenium sulphuratum*, sub usu *ejus*, redolens, et effectus *ejus* in *metalla* propinqua *eo* nigrescentia.

U. Adhibetur ubi vasorum superficialium, et systematis venæ portarum actio intendenda est. Sic pulmonalem halitum augendo, in morbis asthenicis pectoris, asthmate pituitoso, catarrhis, tussi a perfrictione (Werlhoff, Sims, Thilenius,) in organon cutis agendo, est in psora remedium fere specificum, acoros enecans, quod *in et externe* in usum trahitur. Sub actione *ejus* impetigo ex initio plerisque magis prorumpit, dein evanescit. *Internus usus*, tum præcipue indicatur, ubi psora, vel *perfrictione*, vel intempestiva *inunctione* retrogressa est, atque pectoris, et alia interna mala, excitavit; sæpe hocce auxilio illa in pristinam sedem restituitur. Exhibetur autem *Sulphur sublimatum* simul cum *unguento Sulphur* excipiente; sufficit per aliquot dies scrupulum ejusdem tertia quaque hora ingerere; *unguentum* vero e *Sulphure* et duplæ *suillae adipis depuratae* portione, partibus adfectis admovere; ubi vero rebelle, et inveteratum cutis vitium est, juvat addere æquam portionem *Sulphatis Zinci unguento*; *Sulphuri* autem ingerendo grana quinque *Sulphureti Hydrar-*

*gyri nigri* (*Aethiopis mineralis Ph. Ross.*) Laudatur etiam in herpete (POUPART,) crusta lactea, (præsertim puerperarum (LOEFFLER,) tinea capitis, trichomate (LAFONTAINE,) variolis ægre prorumpentibus (PFAFF,) haud minus in arthrodynia et myodynia rheumatica (BARTHEZ,) in connubio *gummiresinae Guajaci off.*, etc. (QUARIN.) In his sane adfectibus imperfecte solutis, quibus, vel œdemata, vel nervorum distentiones accedunt, magni æstimatur *Sulphur* cum *Stibiatis*, *Ipecacuanha Opioque.* Laudatur etiam ad sananda glandulosarum partium ulcera, et ad pannos oculorum tollendos a WINTERO (*Observationes Medico-Chirurgorum Rutheni Imperii, Petropoli.* WIEN 1805) Dum venosas congestiones in systemate venæ portarum mutat, proficit etiam in stasibus abdominalibus, malorumque hinc pullullantium caterva. In hypochondriasi valet additis congruis remediorum adminiculis, etiam hæmorrhoidi subvenit hic simul alvum leniter, additis præsertim *salibus*, exstimulando, dolores et alia mala ab obſtructione pendentia, tollit; restituit quoque suppressum eorum fluxum. Feminis etiam, quibus sanguis per menstrua non respondet, utile (STARK.) Aduersus dysenterias cum *gummi Acaciae* utiliter exhibebatur (WEDEKIND.) Ptyalismum quoque ex usu *Hydrargyri* sistit. Pro antidoto tandem *Oxydi Arsenici albi*, *Oxymuriatis Hydrargyri*, *Plumbi* et *Cupri* habetur (NAVIER;) *Hydrosulphuretum* tamen *Potassae* est hoc scopo præferendum. *Sulphur* sub diathesi hyper sthenica, plethora et sub proclivitate ad hæmoptysin, hæmorrhagias alienum. *Extrinsecus* per modum *unguenti*, vel *balnei*, adhibetur.

D. *Sulphur sublimatum* plerumque per se datur in *pulvere*, rarius in *pilulis*, perraro in *mistura*, idque a granis decem, scrupulo aliquando usque ad drachmam, aut simpliciter *Saccharo* unitum, aut *Supertartrati Potassae*, pulveri *radicis Rhei palmati*, aut aliis, pro re nata, *stimulantibus*, *roborantibus*, vel in *electuario*. *Sulphuris* connubium cum *oleis* et *unguinosis* et *volatilibus*, non est despicatui ducendum; sunt enim illa præsertim *unguinosa* haud imparia solvendo *eidem*, si coquantur, idque quater

copia superant; successu nempe *Oleorum*, *Sulphuri carbonicum* et *gydrogenes* impertitur.

V. *Hydrosulphuretum Potassae*; *Oleum sulphuratum*; *Pulvis Sulphuris compositus*; *Sulphuretum Calcariae*; — — *Ferri*.

## SULPHURETUM CALCARIÆ.

### CALCARIA SULPHURATA *Ph. Bor.*

### Сѣрно-известная печень.

R. *Calcariae* partem,
*Sulphuris sublimati* partem unam cum dimidia.

Commista in crucibulo probe tegendo, per quadrantem horæ calcinentur, eo dein (crucibulo) ab igne remoto, massa adhuc calens in vas vitreum probe claudendum immittatur usuique servetur.

Q. *Sulphuretum Calcariae* est albo-flavescens, solvitur plenarie sedecim partibus *aquae* bullientis, e solutione hac citrina, *ova* putrida redolente, *acida* omnia (excepto *nitrico* et *oxymuriatico*) multum *gas hydrogenii sulphurati* evolvunt et *Sulphur hydrogenatum* (*Lac Sulphuris*) præcipitant.

U. Antacida; diaphoretica; *salia metallica*, eorumque indolem causticam, infringens, auferens.

U. Internus respuitur; MÖNCHIUS tamen etiam interne id exhibuit, utut non citra quædam incommoda, etiam adversus *metallica veneficia* valet, in primis vero *Cuprum*; optime tamen adhibetur in *balneis*, si unciæ ejusdem duæ in totidem *aquae* libris coctæ *balneo* adfunduntur. Talia *balnea* utilitatem promittunt in pseudosyphilide (sequelis hydrargyroseos) artrodynia anomala, scrofulis.

D. Pulveris grana duo (ad decem) exhibentur, vel *Sulphureti Calcariae* drachma in *aquae* ferventis unciis duabus solvitur, atque cochleari parvo (rarius magno) datur. Aptius et tutius adhibetur hæc solutio, vel dilutior, ad abluenda ulcuscula psorica, brevi sic curationem, admissura.

V. *Aqua hydrosulphurata acidula*.

## SULPHURETUM STIBII LÆVIGATUM.

**Stibium sulphuratum nigrum lævigatum** *Ph. Bor.*, **Antimonium crudum præparatum** *Ph. Ross.*

Сюрьма пріуготовленная.

*Sulphuretum Stibii* electum, in mortario ferreo contritum, super lapidem expolitum et durum, adfusa paululum *aqua*, lævigetur, ut fiat pollen subtilissimum, loco tepido, siccandum.

Q. Videsis: Sulphuretum Stibii nativum.

V. Minori dosi agit in systema lymphaticum , functionem cutis, pulmonum et renum lente promovet, majoribus dosibus vomitum cit, vel alvum ducit.

U. Agendo in vasa peripherica exhibetur in fœditatibus cutis, ut in psora, herpete, tinea capitis, crusta lactea, præsertim si cum statu scrofuloso, vel arthritico hæcce mala conjuncta sint, nec non, ubi illa (mala) retropulsa fuere atque exinde spasmi etc., provenere, et tum apte conjungitur cum *succo Conii, Aconiti* (*spissatis*,) *gummiresina Guajaci officinalis*, *Hydrargyro*. In arthrodynia et myodynia rheumatica (asthenica,) diuturna, præcipue cum morborum cutaneorum impedita solutione cohærente; in malis *Plumbo* et *Arsenico* productis, uti paralysi et contracturis (Klein, Gesenius.) In pertinacibus dialeipyris quotidianis et quartanis, si cum cachectico scrofulosoque statu procedunt, vel cum stasibus abdominalibus junctæ sunt, ubi cum *sapone*, *gummiresina Guajaci* , *Heraclei*, *extracto etiam M. Chamomillae* et *Gentianae luteae* in pilulis exhibetur. Agendo in systema lymphaticum remedium præstans dat in scrofulis, adenemphraxi et splanchemphraxi, nec non in malis inde dependentibus, imo in syphilide inveterata cum herpetibus, arthrodynia, scrofulisque complicata.

D. Porrigitur in *pulvere*, vel in *pilulis*, vel per modum *boli*; non vero, uti antea, in *decocturis*, quia insolutum fundum petet. Initium fit tuto a decem granis gradatim ad scrupulum adscendendo. Magna cura, sub usu *ejus*, cavendum ab *acidis*, ne

enterodynia, diarrhœa, vomitus suboriantur; ideo recte *eidem* adduntur *absorbentia*. Connubium cum *Salibus* non convenit.

V. *Suboxydum Stibii hydrosulphuratum.*

## SUPERACETAS PLUMBI CRYSTALLISATUS.

PLUMBUM ACETICUM *Ph. Bor.*; SACCHARUM SATURNI *Ph. Ross.*

Уксусо-кислый Свинецъ.

*Superacetas Plumbi* primum apud Batavos; nunc vero optimus apud Britannos præparatur, atque levi pretio venalis, prostat Pro usu medico depuratur *solutione* in *aqua destillata* calida. *Solutio* filtratur, atque loco frigido ad crystallisandum seponitur. Liquor, qui remanet, evaporet ad dimidium, ut denuo crystalli effingantur. Præparatur sequenti modo:

R. *Oxycarbonatis Plumbi*, quantum lubet,
*Acidi acetici diluti*, quantum opus,

ut *Oxycarbonas Plumbi* solvatur. Solutio effusa evaporet et ad crystallisandum seponatur.

Q. Et *sal* medius metallicus, *Plumbo* et *Acido acetico* coalescens, crystallos albidas, subdiaphanas, aciculares, aut hexaëdras, sistens. In duabus *destillatae aquae* partibus solvitur, item in *Alcohole*. Igne liquescit, orbaturque *acido*.

V. Motus fibræ muscularis imminuens; adstringens; tandem destruens. Videsis: *Plumbum* et *Oxycarbonatem ejusdem.*

U. Ejusdem internus, licet sit anceps, concedendus tamen circumspectissimis Medicis; experiundo enim didicimus, eum coërcendis sangvinis e pulmonibus profluvis aliisque (REYNOLD,) phthisi pulmonali, hæmoptysi, menorrhagiæ, leucorrhœæ, sudori colliquativo, cum successu fuisse oppositum, præsertim, si concomitans malum febris, non est notabilis; pulsus vero licet celer, sed minime exilis observatur, calor corporis manifestus; citra tamen frigidorum, tenacium sudorum profusionem; aut

citam alvum. Jam post triduum, aut quatriduum talis curationis phthisiscens se, remittentibus morbi symptomatis, melius habere sensit. Si dolores ventriculi, aut intestinorum excitarit ab usu ejus per tempus aliquod abstinendum esse etiam me tacente liquet. Haud defuerunt, qui in aliis etiam *eum* morbis commendarent, ut in epilepsia, pertussi, melancholia etc. Sed quum tutiora suppetant, facile, hoc in casu, *eo* carere possumus. Ulcus pedis phthisiscentis cujusdam cacoëtheum, saniosum, fuisse interno *ejusdem* usu curatum AMELANGIUS memoriæ prodidit. Carcinomata utilius deligantur pulte e *radicibus Dauci Carotae* cum *Superacetate Plumbi crystallisato et fomentis* ex *eodem* ac *herba Conii maculati.* Dyspepsia notabilis et diarrhoea, usum ejus vetant.

D. Ab $\frac{1}{3}$ grani ad semigranum adscendendo gradatim ad grana duo bis de die, cum *Elaeosaccharo Anisi*, aut *Opio*, vel *succo spissato Hyoscyami nigri*, imo subinde *extracto gummiresinae L. Myrrhae, seminibus Phellandrii aquatici* etc. His subjungatur *decoctura* quævis *mucilaginosa.*

V. *Acidum aceticum*; *Cataplasma Superacetatis Plumbi*; *Ceratum ejusdem*; *Collyrium Plumbi opiatum*; *Solutio Superacetatis Plumbi*; — — — *alcoholisata*; *Superacetas Plumbi liquidus*; *Vapores Acidi acetici.*

## SUPERACETAS PLUMBI LIQUIDUS.

ACETUM SATURNI *Ph. Ross.*

УКСУСЪ СВИНЦОВЫЙ.

R. *Superacetatis Plumbi crystallisati* partem,
*Aquae destillatae* partes duas.

Commiscendo solve. Hæc formula, licet majoris sit dispendii, meretur præferri; tutius enim faciliusque proportio ingredientium determinari potest; ubi tamen ratio parsimoniæ habenda est, tum *Oxycarbonas Plumbi* adhiberi potest, vel *Oxydum Plumbi semivitreum* e. g.

R. *Oxydi Plumbi semivitrei* (in pulvere) partem,
*Acidi acetici diluti impuri* partes duodecim.

Lebeti *Stanno* obducto immitte, ut ebulliat, eousque spathula lignea (sæpius) movendo, donec liquor chartam cœruleam non amplius rubeo tingat colore. Tum amoto lebete clarus a sedimento effunditur liquor, usuique servatur.

Q. Est liquor pellucidus, *coloris* flavescentis, *saporis* adstringentis et dulcescentis; ad aërem atmosphæricum et cum *aqua* dilutus deponit albidum pulverem; ubi vero evaporarit, *Extractum Saturni Ph. Ross.* largitur.

V. Ut præcedentis, externo usui præcipue serviens et quacunque demum forma admoveatur, par est compescendo æstui, topicæ inflammationi mitigandæ, nimio humorum cursui reprimendo.

U. Utilitas *ejus* in inflammationibus est notissima, infringendo quippe exaltatam activitatem organicam, his obviam it. Usus *ejusdem* in inflammationibus oculorum; inprimis vero asthenicis humidis (rarius sthenicis, nec nisi ab initio,) omnium consensu probatur, præcipue, si *solutioni ejusdem*, vel *Tinctura Opii*, vel (suasu *JANINI*) aliquot guttæ *Alcoholis diluti camphorati* addantur. Inflammationes, quæ plagas, luxationes, fracturas et operationes chirurgicas sequuntur, optime reprimuntur eodem remedio, si, et *Tinctura Opii*, *eidem* adjungatur. Denique ad constringendas partes prolapsu et hernia laxatas, utiliter adhibetur. Obponitur etiam primo blennorrhagiæ stadio, tenui *solutione* in urinæ iter injicienda, quo et inflammationi et doloribus occurritur; in blennorrhæa vero cum *Opio*, in leucorrhœa cum *gummiresina Myrrhae*, *Camphora* etc., *conjungitur*.

V. *Cataplasma Superacetatis Plumbi*; *Ceratum ejusdem*; *Solutio Superacetatis Plumbi*; — — — *alcoholisata*.

## SUPERSULPHAS ALUMINÆ FUSUS.

ALUMEN USTUM *Ph. Bor.* et *Ross.*

Квасцы жженые.

R. *Supersulphatis Aluminae* et *Potassae*, quantum vis. Expone igni in crucibulo, vel fictili vitro non obducto, amplo, donec liquescens massa ebullire cesset, atque abacta sic omni crystallisationis *aqua*, in massam albam levem spumosam convertatur, usui externo, servandam.

V. Intense styptica; paululum caustica.

U. Siccus duntaxat extus ad carnem lixuriosam ulcerum exedendam, et ad maculas corneæ discutiendas (scrupulo cum *Sacchari* drachma) adhibetur. Ex eo olim *Lapis divinus* parabatur, qui aptius ex *Acetate Cupri*, *Nitrate Potassae*, *Supersulphate Aluminae* et *Potassae* colliquefactis, confit, atque apud nos sub nomine: MASSÆ ACETATIS CUPRI COMPOSITÆ notus est.

V. *Pulvis Aluminis compositus.*

## SUPERSULPHAS CUPRI.

CUPRUM SULPHURICUM *Ph. Bor.*; VITRIOLUM CÆRULEUM *Ph. Ross.*

Сѣрно-окисленная мѣдь; мѣдной купоросъ.

Nitore cæruleo perquam spectabili e Cypro adportatus venit; in officinis vero e *ramentis Cupri* in *Acido sulphurico* parumper diluto, parari potest, sequenti modo:

R. *Cupri limati*, quantum libet,
*Acidi sulphurici* triplum,
*Aquae communis* tantundem.

Commisce et in vitrea retorta distillando *acidum sulphurosum* elicito. Massam, quæ remanet contritam in ferventi *aqua* dissolvito; solutum vero filtra, et, ut formentur crystalli, seponito, quæ artis lege siccandæ, usui serventur.

Q. E *Cupri* p. 0,23, *Oxygenis* 0,07, *Acidi sulphurici* 0,30, et *aquae* 0,40, coalescens, sistit crystallos azureas, paralellepipedeas, ad aërem fatiscentes, in *aquae* quadrupla portione ad grad. 10 *th. R.* solubiles; *saporis* acris, nauseosi, metallici et styptici.

V. Emetica; purgans, (cum imminente inflammationis periculo;) adstrictoria; hæmostatica.

U. Adhibebatur olim adversus exedendas verrucas, condylomata, scabritiem oculorum et pannos tollendos, ad destruendas caruncculas luxuriantes, ulcera putescentia et syphilitica curanda. Reprimendis etiam ob stypticam vim sanguinis profluviis obponebatur; sed meliori successu in *aqua* solutus et pro *injectione* in blennorrhœis inveteratis, sexus præcipue sequioris, curandis, exhibitus. Usus *ejusdem* internus est anceps, minusque, quum sit admodum exedens, aptus; nihilo tamen minus a Britannis tentatus cum successu in hydrope (Wrigth,) phthisi tuberculosa (Simmons;) exhibentur autem sex ad decem grana, vel in *aquae* unciis duabus, vel additis totidem granis *C. Ipecacuanhae*, idque mane jejuno ventriculo bis aut ter per septimanam, quo facto et tuto, (quin stomachum relaxet, intestina irritet, aut oneri sit ægro) et perfecte agit. *Potio* sumto remedio, ob promptum, quem exserit effectum, superflua; inter *vomificia* vero præbia a quibusdam Mistura Myrrhæ ferrata commendatur, ægro ceteroquin in cubiculo minus *Oxygenis* habente, aut cujus aër odore *piceo* leniter inprægnatus est, in libratili motu servato. Adair observavit *ejus* usu nocturnos sudores inhiberi. Laudabatur etiam in scorbuto, hæmorrhagiis scorbuticis, hæmoptysi (Marx,) scrofulosis glandularum tumoribus (Pearson,) enterodynia plumbea (Chalmer,) dysenteria epidemica, dialeipyris (Adair, Monro,) in veneficio ab *Opio* et *Oxydo Arsenici albo*, ob certitudinem effectus, in avertendo per emesin periculo, valet. Adversus noxas *ciborum* in cupreis vasis præparatorum commendatur, haustus Carbonis albuminosus: e *Carbonis lignarii* drachma exacte cum *Albumine Ovi* subacta, solutis dein in *aquae purae* unciis tribus, vel

quatuor admiscetur *Sacchari albi* sicilicus. *Cuprum*, addita *Ammoniae solutione* pura, *fluidis id* continentibus, suborto viridi-cæruleo colore, probatur.

D. Datur in *pulvere, pilulis, solutione* ab octava grani parte ad granum. Scopo vomitum ciendi, quatuor, sex, aut decem grana exhibentur. Nausea, vomitu peracto, perdurante, æger cochlearia duo *Alcoholis diluti* (*frumenti*,) aut, si licet, scyphum *aquae Selteranae* cum *Vino* et *Saccharo* sumat.

V. *Subsulphas Cupri* et *Ammoniae*.

## SYRUPUS ALLIATUS.

### Сиропъ чесночный.

R. *Radicis Allii sativi* recentis contusæ partem,
*Acidi acetici diluti impuri*, vel
*Aquae ferventis* partes duas.

Macera *radicem* vase clauso per duodecim horas, et colato *liquido* adde:

*Sacchari albi*, vel
*Mellis despumati* quantum satis, ut fiat *syrupus*, vel
*Oxymel alliatum*

V. Eadem, quæ *plantae*, vicesque fere ubique *Scillae maritimae* supplet.

## SYRUPUS CITRI AURANTII.

### С. померанцовой.

R. *Corticis flavi Citri Aurantii* selibram,
*Aquae communis* fervidæ libras tres,

per biduum in vase clauso macerentur et colaturæ depuratæ addito:

*Sacchari albi* libras quatuor.

Misce fiat syrupus.

## SYRUPUS HERACLEI.

### C. Аммоніаковый.

R. *Gummiresinae Heraclei gummiferi* depuratæ uncias duas,

*Gummi Acaciae verae* unciam,

In mortario lapideo contunde, et per aliquot minuta, pistilli ope, terito, sub trituratione successive addendo:

*Vini Sudacensis* uncias decem.

Massam per aliquot minuta probe tritam exprime per linteum novum. Emulsioni ita obtentæ addito:

*Sacchari purissimi* pulverati uncias sedecim.

Agitentur in sartagine bene *Stanno* obducta leni igne, usque dum syrupi consistentiam habuerint.

## SYRUPUS OPIATUS.

### Syrupus Diacodii.

### C. опіатный.

R. *Capsularum seminalium Papaveris somniferi* mediocriter maturarum, siccatarum contusarumque selibram.

*Aquae ferventis* bilibram.

Macera per duodecim horas, et dein leniter coque, ut humoris inde expressi, et colati supersit libra,

cui adde:

*Sacchari albi* bilibram.

Unica ebullitione fiat syrupus, colandus, usuique servandus.

## SYRUPUS SCILLÆ.

### C. Морсколуковой.

R. *Aceti scillitis* bilibram,

*Sacchari albi* libras tres et semis.

Fiat leni calore solutio, ut sit syrupus.

D. Drachma ad tres per se, vel in connubio aliorum.

V. *Mistura scillina.*

## SYRUPUS SIMPLEX.

### С. простой.

R. *Aquae fontanalis* bilibram,
*Sacchari albi* libras tres et semis.

Misce et leni cocta igne cola.

U *Decocturae*, *Infusiones*, *Misturae*, *Haustus*, *eo* edulcorantur; ad formandas quoque *pilularum* massas adhibetur.

## SYRUPUS ZINGIBERIS.

### С. инбирный.

R. *Radicis Amomi Zingiberis* tritæ sescunciam,
*Aquae communis* sesquilibram,
*Alcoholis diluti* libram,
*Sacchari puri* libras tres et semis.

*Radicem* digere vase leniter clauso in *Alcohole diluto* per nychthemeron, dein colato liquori adde: contritum *Saccharum*, ut syrupus fiat.;

Et *aromate* suo, et gratia, qua se commendat, merito præfertur ceteris.

## TARTRAS STIBII et POTASSÆ.

TARTARUS STIBIATUS *Ph. Bor.*; TARTARUS EMETICUS *Ph. Ross.*

### Соль рвотная виносюрьмяная.

R. *Supertartratis Potassae* triti partes quatuor,
*Suboxydi Stibii fusci* partes tres.
Commista injiciantur in
*Aquae communis* partes decem.

In vase vitreo arenæ imposito, ebulliant per sesquihoram. Calentia adhuc filtrentur et ad crystallisationis momentum

evaporata, per noctem reponantur. *Liquor* residuus a crystallisatione evaporet, ut denuo crystalli effingantur. Collectas dein et siccatas simul in mortario lapideo, aut vitreo in pulverem terito, vitro probe clauso, adservandum.

Q. Continet, si Thenardo fides habenda, in centenis partibus: *Suboxydi Stibii* 38, *Acidi tartarici* 34, *Potassae* 16, et *aquae* 8. Format crystallos tetraëdra referentes, metallici stypticique *saporis*. Ad gr. 212 *th. F.* solvitur pars earum *aquae destillatae* partibus tribus; ad gr. 60 ejusdem *th.* part. quindecim (Duncan.) Aëri expositæ albescunt et opacæ fiunt.

V. Stimulans, refracta dosi nauseam, sputum, lotium sudoremque (constrictionem vasorum exhalantium abnormem sublevando) promovens; antispasmodica; majori vero emetica, haud raro cathartica. Cuti infricatus irritat pustulasque elevat, quæ *frictione* repetita exaggerantur.

U. Commendatur initio febrium acutarum, in typhum proclivium, ubi exiguis dosibus cum *Submuriate Hydrargyri* et *Opio* exhibetur; in aliis etiam diuturnis morbis cum nevroblacia vasorum absorbentium conjunctis, in scrofulosis adfectibus, in hydropisi, melancholia, in suffocationibus, devoratis *narcoticis venenis*, aut e mephyticis exhalationibus, ortis; in apoplexia hydrocephalica utilis esse censetur, uti etiam, ubi contenta exinanitione per superiora educi juvat. Hunc in finem apte cum *C. Ipecacuanha*, ad vim *ejusdem* augendam conjungitur; minus vero commode, ut Marryat vult, cum *Subphosphate Cupri*. Ubi alvum ab inferiori simul parte evocari lubet, pauxillum *Amyli triticini* et *Supertartratis Potassae* adjectum prodest. Non ita huic connubio aptus est *Sulphas Sodae*, aliive *Sales neutri* ob decompositionis metum. Cum *Muriate Sodae*, ut scite observat Lassone, *aquae* portione mistus, naturam cathartici induit. Scire licet, ut cate innuit cl. Govorow (*Dissert. febrim nervosam epidemicam exhibens Petropoli* 1809 *p.* 57) *Tartratem Stibii* et *Potassae*, minus convenire hominibus mobili nervorum systemate præditis, ac potissimum febribus sthenicis esse alienum, cum haud imminuat, sed potius

adaugeat systematis vasculosi reactionem, periculum sub emesi, pro certo, minaturum. Extrinsecus forma *emplastri*, *solutionis*, *unguenti* admovetur, ut stimulans, calefaciens, rubefaciens, pustulas producens; *unguentum* hoc stimulat, resolvit; admota vero abdomini frictione provocat vomitiones, imo, adjecto *Submuriate Hydrargyri* in tumoribus glandularum, jecinoris, testiculorum, respondisse experimenta testantur. In alvum subterdatus plerumque ducit eandem, subinde vomitum cit et sic in herniis incarceratis et enterodynia prodesse fertur. Ulcera rebellia supercrescentia recte resperguntur *pulvere* ejusdem. *Solutio* vix tantam in curanda ophthalmitide et maculis corneæ promittit utilitatem, quanta a quibusdam prædicatur; commendatur etiam pro *balneis ablutionibus*que, si fortior erit, verrucas venereas egregie eradicat.

D. An ad vomitum ciendum auctior, aut exigua sit propinanda dosis ex ratione ætatis irritabilitatisque æstimari oportebit; in anniculis ab una quarta grani parte ad dimidium ejusdem; bimulis vel trimulis a dimidio grani ad integrum; ætate majori usque ad octennem; fortioris habitus a grano ad sesquigranum, adultis demum a duobus ad tria grana, in totidem unciis *aquae* soluta, cochleari pro re nata majori vel minori, omni quadrante vel semihora, donec vomitum ciet propinanda. Si pro varia ægrorum indole in minori dosi, quam pro vomitione cienda opus sit, præscribatur, tum passim vicario catharticorum munere fungitur et additus catharticis, eorum vim intendit; in dosi vero adhuc minori alterantis, antispasmodici, sudorifici vices implet, addito præcipue *Carbonate Calcariae*, idque a sexta ad tertiam grani *Tartratis Stibii* et *Potassae* partem et *Carbonatis Calcariae* et *Sacchari*, utriusque granis quinque, tertia vel quarta quaque hora auctore Fordyce.

V. *Emplastrum ad strumam*; — *Conii compositum*; — *Galbani stibiatum*; *Linimentum stibiatum*; *Solutio Tartratis Stibii*; — — — *camphorata*; *Unguentum stibiatum*; *Vinum stibiatum*.

## TINCTURA ACONITI.

H. прострѣльной травы.

R. *Foliorum* recenter exsiccatorum *Aconiti neomontani* semunciam,

*Alcoholis diluti* uncias duas.

Macera in vase clauso per septimanam saepius agitando et cola.

U. Myodyniæ rheumaticæ, arthrodyniæ, notas astheniæ ferentibus, a guttis decem, ad viginti per se, vel in connubio aliorum, exhibita, cum successu obponitur.

## TINCTURA ACONITI COMPOSITA.

H. простр. тр. сложная.

R. *Succi Aconiti recenter spissati*,
*Camphorae*, utriusque drachmas duas,
*Tartratis Stibii* et *Potassae* scrupulum,
*Alcoholis diluti* uncias quinque,

in vas vitreum dimitte agitando, ut solvantur et cola.

V. Excitans; narcotica; antispasmodica; secretiones, exhalationem præsertim cutaneam, et sputum sollicitans.

D. Guttæ viginti, dosin gradatim, pro re nata, ad drachmam, augendo.

## TINCTURA AROMATICA.

H. арòматическая.

R. *Pulveris aromatici* uncias duas,
*Alcoholis diluti* libras duas et semis,
digere per hebdomadem, et cola.

D. A drachma ad semunciam præbetur.

## TINCTURA AROMATICA ACIDULATA.

—————— —————— SULPHURICA.

ACIDUM SULPHURICUM AROMATICUM.

Н. аром. кисловатая.

R. *Corticis Lauri Cassiae* semunciam,
*Radicis Amomi Zingiberis* sescunciam,
*Alcoholis* bilibram,
digere lenissimo igne in vase clauso per septimanam, colaturæ adde guttatim:
*Acidi sulphurici* selibram.

Cola per chartam bibulam super infundibulum vitreum positam.

U. Imbecillo stomacho, notis lentæ febris stipato, post dialeipyras, superstite, conducit, propinatis decem ad triginta, in convenienti *aquae* quantitate, guttis.

## TINCTURA ASSÆ AMMONIATA.

Н. вонючая спиртно-аммiаковая.

R. *Alcoholis ammoniati* uncias novem,
*Gummiresinae Assae foetidae* semunciam,

in vase clauso digere per decem horas, tandem *aquae bullientis* calore unciæ novem, in receptaculum destillent.

V. Stimulans; antispasmodica.

U. Adversus varios asthenicos morbos, stomachi languorem, inflationem, spasmos hystericos: a semidrachma ad drachmam, ex quavis convenienti *aqua aromatica* exhiberi potest.

## TINCTURA CÁLAMI.

Н. ирная.

R. *Radicis Acori Calami* sescunciam,
concisæ adfundito:
*Alcoholis diluti* libram.

Vase clauso ad sufficientem extractionem digeratur; *tinctura* filtretur, usui servanda. Perraro sola a drachma ad duas, et

amplius propinatur, sæpius *misturis* additur, ut succedanea, exoticis *aromatibus* majoris dispendii, haud immerito subrogatur.

## TINCTURA CATECHU.

### Н. японскаго сока.

R. *Extracti Catechu* semunciam,
*Corticis Lauri Cassiae* unciam,
*Alcoholis diluti*, vel
——— ——— *impuri* libram.

Digere per dies septem, et per chartam cola.

U. In profluviis et sanguinis et alvi, et pituitæ, quæ solam agnoscunt laxitatem, et torporem vasorum, auxilium fert.

D. Drachma (ad tres) in quolibet vehiculo idoneo datur. Eodem modo paratur: *Tinctura Tormentillae erectae*, medicamentosa virtute vix postponenda præcedenti, quibus haud male *anodyna*, et *aromatica* adduntur, præsertim ubi citæ alvo medicinam fieri expedit.

## TINCTURA CINCHONÆ.

### Н. Хины.

R. *Corticis Cinchonae officinalis* uncias quatuor,
*Alcoholis diluti* libras duas et semis.

Digere per septimanam, et cola.

D. Drachma (ad semunciam) exhibetur.

## TINCTURA CINCHONÆ COMPOSITA.

### Н. Хины сложная.

R. *Corticis Cinchonae officinalis* pulverati selibram,
*Radicis Acori Calami* concisæ,
*Fructus Citri Aurantii* immaturi, utriusque semunciam,
*Alcoholis diluti* libras quatuor.

Digere per septem dies atque cola.

D. Drachma ad tres per se, vel in quovislibet convenienti liquido.

## TINCTURA COCCIONELLÆ SEPTEMPUNCTATÆ.

### H. Козявки семиточечной.

R. *Coccionellas septempunctatas* recentes No IX.
In mortario lapideo comminutas cum uncia *Alcoholis diluti* conterito, atque per septimanam, sub frequenti motitatione, vas soli exponito, et *Tincturam* tela lanea colatam, atque in vase rite obturato usui servandam, habebis.

V. Stimulans; narcotica; in odontalgia etiam efficax. Laudatur etiam in morbis nervorum, et doloribus. (Sauter.)

D. Guttæ viginti ad triginta ex quovis vehiculo convenienti administrantur.

## TINCTURA DIGITALIS.

### H. Наперсточной травы.

R. *Foliorum* recentium *Digitalis purpureae* unciam
*Alcoholis diluti* uncias octo.
Misce et digere leni calore per hebdomadem, dein *tincturam* per chartam cola (Maclean.) Hujus guttæ quindecim ad viginti *foliorum* grano æquiparabiles.

D. Guttæ decem, adscendendo gradatim ad triginta, et amplius ter de die cum uncia *aquae* cujuslibet *aromaticae* v. g. *Menthae*, vel *infusi amari* propinantur. Addito *succo Citri medicae* majores quoque doses feruntur. Vel

R. *Foliorum Digitalis purpureae* in pulverem crassum redactorum unciam,
*Alcoholis diluti* uncias quinque.
Digere leni calore per dies septem, dein per chartam colato.

D. Guttæ quindecim, viginti, adscendendo ad nonaginta, vel centum (Drake.)

## TINCTURA DIGITALIS COMPOSITA.

H. Наперст. тр. сложная.

R. *Foliorum* exsiccatorum *Digitalis purpureae* drachmas sex,

*Radicis Scillae maritimae* recens siccatæ drachmas quatuor,

*Aetheris nitrici alcoholisati* uncias octo.

Macera in vase vitreo clauso per hebdomadem sub temperatura frigida, inter macerandum sæpius agitando, et cola.

V. hujusce diuresin movens efficacior est, quam præcedentium.

U. Guttae decem, (sensim sensimque dosin ad quadraginta augendo) mane et vesperi propinatæ hydropicis utilitatem promittunt.

## TINCTURA EUCALYPTI.

H. Ершеника смолистаго.

R. *Succi Eucalypti concreti* unciam,

*Alcoholis diluti* selibram,

Digere per septimanam, et cola.

## TINCTURA GEI URBANI.

H. Гвоздичника.

R. *Radicum Gei urbani* unciam,

*Alcoholis diluti* libram.

Digere per septimanam, ut fiat *Tinctura*, filtranda, servandaque usui.

V. *Tincturae Cinchonae* succedanea.

D. Cochlearis mensura exhibetur.

## TINCTURA GENTIANÆ COMPOSITA.

H. Горечавки сложная.

R. *Pulveris radicis Acori Calami*,

——— ——— *Gentianae luteae*, utriusque unciam,

*Fructus Citri Aurantii* immaturi,
*Pulveris aromatici*, utriusque drachmam,
*Alcoholis diluti* sesquilibram.

Digere per quatriduum, cola et servato. *Tincturae* Whyttii, in privatis obtentæ officinis, subpar.

D. A semidrachma ad duas drachmas commode datur.

## TINCTURA GUAJACI.

### Н. бакаутной смолы.

R. *Gummiresinae Guajaci officinalis* uncias quatuor,
*Alcoholis diluti* libras duas et semis.

Digere per dies septem et per chartam cola.

U. In myodynia rheumatica, arthrodynia, auxilium spondet.

D. A drachma ad tres, bis terve de die, in quovis idoneo vehiculo.

## TINCTURA GUAJACI AMMONIATA.

### Н. бакаутно-аммiаковая.

R. *Gummiresinae Guajaci officinalis* uncias quatuor,
*Alcoholis ammoniati* sesquilibram.

Misce et macera per septimanam in vase bene clauso, et per chartam cola.

D. Drachma (ad duas,) mane et vesperi e quovis vehiculo, (*lacte* præsertim, vel *sero* ejusdem) administratur.

## TINCTURA HUMULI L.

### Н. хмѣлевая.

R. *Pulveris conorum Humuli Lupuli* unciam,
*Alcoholis diluti* selibram.
Digere per dies octo, et cola.

D. Guttæ triginta ad sexaginta (vel deficiente *Tinctura* hac) exhibe: *Pulveris conorum Humuli Lupuli* grana decem ad scrupulum hora decubitus, superbibendo *succi Citri medicae*, vel *Acidi acetici diluti impuri*, cochlear. Iisdem fere virtutibus gaudet, ut *Opium*.

## TINCTURA HYOSCYAMI.

### Н. белены.

R. *Foliorum Hyoscyami nigri* siccatorum unciam,
*Alcoholis diluti* uncias octo.

Digere per dies septem et per chartam cola.

V. *Tincturae Opii*, medicamentosa virtute, in variis, præsertim externis morbis, vix cedit.

D. Guttæ viginti ad sexaginta præbentur.

## TINCTURA LYTTÆ.

### TINCTURA CANTHARIDUM *Ph. Ross.*

### Н. шпанскихъ мухъ.

R. *Lyttae vesicatoriae* pulveratæ unciam,
*Alcoholis diluti* libram.

Digere per quatriduum et per chartam cola.

U. Hydrops; polyuria (diabetes) utraque, mellita pariter ac insipida; gonorrhœa; enuresis a paralysi urocystidis orta; anaphrodysia; raro tamen interne adhibetur, idque a guttis sex, decem, viginti, aucta cautim dosi, in vehiculo quopiam idoneo, uti cum *aqua*, vel aptius cum *mucilagine gummi Acaciae verae*, vel mistura *gummiresinae Heraclei gummiferi*, ad guttas triginta ter quaterve de die. Interdum singulis præbiis, *Tincturae Opii camphoratae* drachma additur, præcipue in pertussi, quoadusque levis stranguria fuerit oborta. Extrinsecus: in primis pro fricationibus, vel sola, vel cum *linimento* quovis *irritante*, adversus arthrodyniam, myodyniam rheumaticam, debilitatem membrorum, paralysin adhibetur.

V. *Linimentum Saponis rubefaciens.*

## TINCTURA MOSCHI.

### Н. мскусовая.

R. *Moschi Sinensis* drachmam,
*Alcoholis diluti* selibram.

Digere per septimanam, et cola.

U. In typho, subsultibus tendinum, aut convulsionibus, stipato; in morbis spasmodicis etc., commendatur.

D. Drachma, duæ, in idoneo vehiculo aliquoties de die.

## TINCTURA MURIATIS FERRI.

### H. Солекислаго желѣза.

R. *Ferri limati* uncias tres, vel
*Suboxydi Ferri praeparati*, vel
*Carbonatis — praecipitati* tantundem,
*Acidi muriatici* uncias circiter decem, vel
quantum sufficit ad solvendum pulverem.

Digere leni calore et solutioni adde:
*Alcoholis*, quantum sufficit,
ut sint totius *liquoris* libræ duæ et semis.

U. Est excellens *antiasthenicon*, leniter adstringens, quod in omnibus adhiberi potest casibus, ubi debilitatis *medicamina*, e re fore existimantur, et quidem a guttis decem ad viginti bis terve de die; in dysuria, strictura urethræ spasmodica guttæ decem ad quindecim singulis horæ quadrantibus, donec nausea aliæve universalis relaxationis notæ, supervenerint. Externe: tumores scirrhosi; verrucæ, etc., *eadem*, tractantur.

## TINCTURA MURIATIS FERRI ALCOHOLISATA.

### H. солекислаго Желѣза спиртная.

R. *Ferri limati* partem,
*Nitratis Potassae depurati* partes duas,
*Muriatis Sodae depurati*,
*Acidi sulphurici*,
*Aquae communis*, singulorum partes quatuor.

Prima *solida* ingredientia in subtilissimum pulverem tenuentur atque vitro pharmaceutico immittantur, quibus admisceatur primo *aqua communis*; dein vero *Acidum sulphuricum* sub continua concussione sensim sensimque instilletur, orta exinde

*solutio* lenissimo calore ad siccitatem evaporet, huic salinæ (flavo-brunei coloris) massæ infundantur: *Alcoholis* (*Vini*) partes octo, quæ *tinctura* eousque digeratur, donec *Alcohol* flavo-bruneum colorem acceperit; tunc autem per chartam bibulam filtretur et pro usu in vitro bene obturando servetur. *Tinctura* hæc, *Muriatem Ferri* tenens, methodo cl. NELYUBIN præparata, est levioris pretii, semihora parari potest, nec facile decomponitur, atque ceteris merito anteponenda est.

V. *Mistura Myrrhae ferrata*; *Murias Ammoniae ferratus*.

## TINCTURA MYRRHÆ.

### H. Мирры или Смирны.

R. *Gummiresinae Myrrhae* tritæ uncias tres,
*Alcoholis diluti* uncias viginti,
*Aquae purae* uncias decem.

Digere per dies septem, et per chartam cola.

U. In primis externus: cariei ossium ulceribusque sordidis apta; *gargarismatibus* pariter, ac *lotionibus* quoque non est aliena. Interne: rarius asthenicis, dyspepsia laborantibus a semidrachma ad drachmam, propinatur.

## TINCTURA OPII.

### H. Опiя.

R. *Opii puri* (in pulvere) unciam,
*Alcoholis diluti* libram.

Terendo solve, dein leni calore digere per dies septem, et tunc colaturam, per chartam coactam, serva. Drachma *Tincturae*, (vel guttæ 100 ejusdem,) *Opii* grana quinque continent; evaporatione attamen grana tria et semis tantummodo redintegrantur.

D. Guttæ viginti (granum,) ad quadraginta guttas, (grana *Opii* duo continentes,) in quovis vehiculo idoneo, per se, vel in

connubio *aliorum*, quae effectum ejus intendunt, vel morantur, vel mutant, vel temperant, adposite administrari possunt.

V. *Clyster opiatus*; *Haustus* —.

## TINCTURA OPII AMMONIATA.

H. Опія спиртно-аммiаковая.

R. *Opii puri* semunciam,
*Olei Pimpinellae Anisi* drachmam,
*Alcoholis ammoniati* uncias triginta duas.

Macera frigide per septimanam, et per chartam cola. Drachma (100 guttae) granum circiter *Opii* continet.

D. A guttis triginta ad drachmam offertur.

## TINCTURA OPII CAMPHORATA.

H. Опія камфорная.

R. *Opii puri*,
*Camphorae*,
*Olei Pimpinellae Anisi*, singulorum drachmam,
*Alcoholis diluti* bilibram.

Digere per quatriduum lenissimo calore et cola. Semuncia *tincturae* hujus (mensura,) continet granum circiter *Opii*.

D. A guttis triginta ad drachmam, duas, exhibetur. Addita tertia parte *Tincturae Scillae* egregium aptumque fit, tussi, catarrhoque incipienti, medicamen. Addita *Acidi benzoici* drachma, fiet *Elixir paregoricum*, a Britannis usitatum.

## TINCTURA OPII CROCATA.

LAUDANUM LIQUIDUM *Ph. Ross.*

H. Опія шафранная.

R. *Opii puri* uncias quatuor,
*Stigmatum pistilli Croci sativi* sescunciam,

*Florum Eugeniae caryophyllatae* immaturorum,
*Corticis Lauri Cassiae*, utriusque drachmas duas,
*Vini Malacensis* bilibram.

Infunde ac digere donec *Opium* fuerit solutum, tum exprime, cola et post subsidentiam filtra. Guttæ *ejus* sex, *Opii* granum habent.

D. A guttis tribus ad sex, et ultra, exhibetur.

V. *Collyria varia.*

## TINCTURA POTASSÆ FUSÆ.

### Н. ѣдкопоташная.

R. *Potassae fusae*, recenter paratæ, uncias duas,
in ferreo calente mortario in pulverem tenuatam immittito in
*Alcoholis*, (in cucurbita leviter calefacti,) libram.

Agitentur bene, tum imposito alembico digerantur arenæ balneo per aliquot dies. *Tinctura* usui servetur.

Q. *Tinctura*, hac ratione obtenta, est rubicunda. Interdum singulæ ejusdem unciæ addere licet scrupulum *Olei Cari Carvi*, vel — *Pimpinellae Anisi.*

V. Fines serosarum arteriarum sollicitans; resolvens pituitam, sub morborum, hinc pullulantium, nevroblacico apyretoque statu.

U. In hypochondriasi, colluvie primarum viarum pituitosa, incipiente hydropisi, scrofulis, rachitide, urolithiasi (Dehne,) arthrodynia, podagra, tumoribus adenemphracticis (Theden,) scirrhis, herpetibus, blennorrhoea, vel eadem suppressa resuscitanda, ardore lotii (Dehne,) leucorrhoea, ulceribus canceraticis etc., (Theden.)

D. A decem ad viginti, quadraginta, imo etiam sexaginta guttas, in uncia *aquae destillatae* diluendas, porrigitur.

## TINCTURA RHEI AMARA.

### Н. Ревенная горькая.

R. *Radicis Rhei palmati* unciam,
—— *Gentianae luteae* drachmas duas,

*Radicis Amomi Zingiberis* drachmam,
*Alcoholis diluti* uncias quindecim.

Digere per dies septem et per chartam cola.

D. Semuncia (ad sescunciam) præbetur. Interdum præcedenti additur: *gummiresinae Aloës perfoliatae* semuncia et tunc habebis: *Tincturam Rhei* et *Aloës*, sic dictam, cujus semuncia ad unciam propinatur, si alvum ducere lubet; quibus vero ea habitualiter adstricta est, iis minores doses, quotidie aptiores sunt.

## TINCTURA SCILLÆ.

### Н. Морскаго лука.

R. *Radicis Scillae m.* exsiccatæ et contusæ uncias duas,
*Alcoholis diluti* libram. Misce.

Digere per dies septem, et cum subsederint fæces, liquorem cola.

D. Guttæ decem (ad quinquaginta) administrantur.

## TINCTURA SENNÆ COMPOSITA.

### Н. Александрійской Сенны сложная.

R. *Foliorum Cassiae Sennae* unciam,
*Radicis Convolvuli Jalappae* semunciam,
*Seminum Cari Carvi*,
*Radicis Amomi Zingiberis*, singulorum drachmas duas,
*Alcoholis diluti* uncias viginti.

Digere per dies septem et tincturæ colatæ addito:
*Sacchari purissimi* uncias duas.

D. Ex quovis vehiculo apto ad semunciam, (vel in connubio aliorum, præsertim *salium neutrorum*, eadem virtute, pollentium,) administrari cum fructu potest.

## TINCTURA VALERIANÆ ÆTHEREA.

Н. Мауна эфирная.

R. *Pulveris radicis Valerianae officinalis* unciam,
Infunde:
*Aetheris sulphurici* uncias octo.

Macera vase clauso, sine calore, per dies septem et per chartam cola.

V. U. et D., ut *Aetheris sulphurici*; præstantior tamen est *haec* quibusdam in casibus.

## TINCTURA VALERIANÆ AMMONIATA.

Н. Мауна спиртно-амміаковая.

R. *Radicis Valerianae officinalis* uncias duas,
*Alcoholis ammoniati* libram.

Macera frigide, vase clauso, per quatriduum, dein cola.

U. Morbi spasmodici, epilepsia etc., *ea* curantur.

D. Drachma (ad tres,) in vehiculo idoneo, porrigitur.

## TINCTURA VALERIANÆ CAMPHORATA.

Н. Мауна эфирно-камфорная.

R. *Tincturae Valerianae aethereae* drachmas sex,
*Camphorae* drachmam. Solve.

U. In arthrodynia retrograda (anomala,) variisque spasmodicis adynamiis, in *ea* præsidium est.

D. Guttæ viginti (ad quinquaginta) pro dosi dantur.

## TROCHISCI SPONGIÆ COMPOSITI.

Лепешки Грецкой губки сложные.

R. *Carbonis Spongiae officinalis* uncias duas,
*Pulveris gummi Acaciae verae* drachmas totidem,
——— *corticis Lauri Cinnamomi* semidrachmam,
*Syrupi* ——— *Citri Aurantii*, quantum satis,

ut fiat massa, longiori lentaque trituratione, addito sensim sensimque *Syrupo*, subigenda, ex qua formentur *Trochisci* viginti quatuor, super patinam *Oleo* illitam, siccandi.

U. Quotidie *Trochiscus*, summo mane, est continendus ore, donec solutus fuerit, dein sensim devorandus; praeterea subsidiariam opem ferent: Pulvis Spongiæ compositus, (ut præscriptum est, sumendus,) emplastrum ad strumam, et linimentum Bilis salinum, extrinsecus admovenda.

## UNGUENTUM ACETATIS CUPRI.

### Мазь уксусокислой мѣди.

R. *Unguenti resinosi* partes quindecim,
*Acetatis Cupri* partem.

Commisceto. Quandoque pauxillum *Adipis suillae depuratae*, crassitudinis debitæ ergo, additur commode.

V. Stimulante, detergente, leniter escharotica vi, phagedænæ cum successu, medetur.

## UNGUENTUM ACETATIS CUPRI COMPOSITUM I.

### М. уксусокислой мѣди сложная 1.

R. *Acetatis Cupri* semunciam,
*Oxydi Zinci impuri* (*Tutiae*,)
*Camphorae* ope aliquot guttarum *Alcoholis* in subtilem pulverem tenuatæ, utriusque sescunciam,

probe contritis in calenti mortario adde:

*Adipis ovillae depuratae*,
——— *suillae* ———, utriusque uncias quatuor. Vel

## UNGUENTUM ACETATIS CUPRI COMPOSITUM II.

### М. уксусокислой мѣди сложная 2.

R. *Acetatis Cupri*,
*Oxycarbonatis Zinci praeparati*,
*Camphorae*, singulorum drachmas sex,

*Oxydi Zinci impuri* (*Tutiae*) drachmam,
*Adipis suillae depuratae* uncias octo.

Conterendo examussim longiori tempore, fiat lege artis unguentum.

U. Utrumque hoc UNGUENTUM ACETATIS CUPRI COMPOSITUM in ophthalmitide palpebrarum chronica, trichiasi etc., palpebras (noctu dormituris) inungendo, proficuum est, illi, quod Londini, *Smellome's Ointment*, nomine insignitur, vix non æquiparabile. Posterior formula antiquior est.

## UNGUENTUM ACIDI SULPHURICI.

M. Сѣрнокислая.

R. *Adipis suillae depuratae* unciam,
*Acidi sulphurici* guttas triginta.
Commisceto.

In foeditatibus cutis: psora, herpete etc., auxilium spondet.

## UNGUENTUM BETULINUM.

M. Березовыхъ свѣжихъ листовъ.

R. *Foliorum* recentium *Betulae albae* partem,
*Adipis ovillae depuratae*, vel
——— *suillae* ——— partes duas.

Contunde et fortiter tere in mortario lapideo per aliquot horas, donec *adeps* viridescet, dein massa leni calore, quoad omne humidum avolarit, colliquescat, atque per linteum expressa servetur.

U. In ulceribus psoricis, herpeticis, scrofulosis, scorbuticis, imo et gangraenosis, cum tertia *lignarii carbonis* (*betulini*) parte, est efficacissimum.

## UNGUENTUM CONII.

M. Омеговая.

R. *Succi foliorum Conii* recenter expressi selibram,
*Adipis suillae depuratae* bilibram.

Coque leni igne donec omne humidum avolarit.

U. Ulcera carcinomatosa, scrofulosa, aliave phagedænica rebellia, tumores glandularum etc., recte curantur *eo*.

## UNGUENTUM INULINUM.

### M. Девясильная.

R. *Radicis Inulae Helenii* pulveratæ selibram,
*Aquae fontinalis* libram,
coque ad consistentiam pultis, dein probe movendo adde:
*Adipis suillae depuratae* selibram,
et coque simul leni igne, (donec omne humidum avolarit,) ut fiat unguentum.

U. In fœditatibus cutis: psora, herpete etc., partes adfectas omni vespere inungendo, est efficax.

## UNGUENTUM NITRATIS HYDRARGYRI FORTIUS.

### UNGUENTUM CITRINUM.

### M. Селитро-ртутная сильная.

R. *Hydrargyri depurati* partem,
*Acidi nitrico-nitrosi* partes duas,
*Adipis suillae depuratae* partes tres,
*Olei napini*, vel
—— *olivi*, vel
alterius congrui partes novem.

*Hydrargyro* cum *Acido* super arenam rite digesto, fiat solutio, quæ adhuc calens, cum *adipe* commisceatur denuoque frigescens, in mortario vitreo probe subacta, *unguentum* exhibet. Haud dispari ratione cum triplici *adipis* quantitate fit:

## UNGUENTUM NITRATIS HYDRARGYRI MITIUS,

(M. ртутно-селитряная слабая)

variis palpebrarum indurationibus et ulcusculis, astheniæ notas ferentibus, illinendo, peridoneum.

## UNGUENTUM NITRICATUM FORTIUS.

M. селитрокислая сильнѣйшая.

R. *Adipis suillae depuratae* recentis uncias octo,
*Acidi nitrico-nitrosi* unciam.

*Adipi* in vase figulino vitreato, calore leni liquefactæ, adfunditur *Acidum*, ebulliente dein massa, vas ab igne removetur, ut frigescat eadem. Dum hæc fiunt, *acidum* decomponitur, *oxygene* cum *adipe*, conjuncto; *azoto* autem avolante. Vase clauso obscuroque loco, servetur.

U. Indurationibus glandularum, ulceribus syphiliticis, herpeticis, psoræ et id genus aliis, extrinsecus ungendo, admotum, est efficax.

## UNGUENTUM NITRICATUM MITIUS.

M. селитрокислая слабая.

R. *Adipis suillae depuratae* recentis libram,
*Acidi nitrico-nitrosi* unciam.

Massa igni exposita, baculo vitreo jugique motu, diligenter agitetur, donec ebullire cœperit; dein ab igne remota teratur, quoad frigefacta fuerit.

## UNGUENTUM OLIVI CERATUM.

M. оливо-вощаная.

R. *Olei olivi* partes tres,
*Cerae albae* partem,
Liquescentia lege artis commisce.

## UNGUENTUM OXYDI ARSENICI ALBI.

M. мышьяковая.

R. *Oxydi Arsenici albi* subtilissime pulverati grana decem,
*Butyri recentis insulsi* sescunciam,
*Cerae albae* semunciam.

Colliquefactis adde *Oxydum Arsenici album* et fiat unguentum, ulceri carcinomatoso, ter in die, illinendum.

### UNGUENTUM OXYDI ARSENICI COMPOSITUM.

М. мышьяковая сложная.

R. *Oxydi Arsenici albi* grana sex,
*Aquae destillatae* drachmas totidem,
solve et admisce:
*Superacetatis Plumbi liquidi,*
*Extracti Cinchonae officinalis,*
*Succi Conii spissati,* singulorum unciam.

Misce fiat unguentum, ter vel pluries de die, carcinomati admovendum.

### UNGUENTUM OXYDI HYDRARGYRI RUBRI.

М. красно-осадочной Ртути.

R. *Unguenti Olivi cerati,* vel
*Butyri recentis* insulsi semunciam,
*Oxydi Hydrargyri rubri,* subtilissime pulverati, grana decem.

Misce (ut fiat lege artis unguentum) exactissime.
Interdum, pro re nata, etiam quindecim grana *Oxydi Hydrargyri rubri* adhibentur. Si huic *Succi spissati Hyoscyami* semiscrupulum, vel scrupulum, aut *Aluminae* tantumdem addideris, tum habebis: UNGUENTUM OXYDI HYDRARGYRI ALUMINATUM, vel — — — HYOSCYAMINUM.

### UNGUENTUM OXYDI HYDRARGYRI ZINCIQUE.

М. ртутно-красной и цинковой Окиси.

R. *Unguenti Olivi cerati,* vel
*Butyri recentis insulsi* semunciam,
*Oxydi Hydrargyri rubri* subtiliss. pulv. grana decem,
——— *Zinci* grana sex.

Misce exactissime, ut fiat unguentum, cui si lubet adde: *Tincturae Opii crocatae* guttas duodecim, vel *Opii* grana duo.

U. Quodlibet horum OXYDI HYDRARGYRI RUBRI UNGUENTORUM bis de die internis palpebris, cum successu admoveri potest, lentis magnitudine, secretionemque asthenicam præternaturaliter auctam magnopere reprimit, humores, qui modo ipsum oculum, modo angulos, aut palpebras, exasperant, coërcet, easque crassas, duras resolvit, ac corneæ maculas transparentis, extenuat, ad glandulas induratas, trichiasin, distichiasin, hypopion, et vitia similia dissipanda haud parum confert, et ulcera istarum partium cicatrisat. In universum, quum de compositione *eorum* agetur, ratio sensibilitatis adfectæ partis, est habenda.

## UNGUENTUM PHOSPHORICATUM.

M. фосфорно-кислая.

R. *Acidi phosphorici* drachmam,
*Adipis suillae depuratae* unciam,

Leni igne fusa probe commisceto.

U. Arthrodynia; tumor ossium rachiticorum, *ei* cedunt.

## UNGUENTUM PICIS CERATUM.

UNGUENTUM BASILICUM *Ph. Ross.*

M. варо-вощаная.

R. *Resinae empyreumaticae pineo-sylvestris* uncias duas,
*Cerae flavae* unciam,
*Olei olivi* semunciam.

Commista liquefiant leni calore in unguentum.

## UNGUENTUM PICIS SULPHURATUM.

M. деготно-сѣрная.

R. *Olei empyreumatici pineo-sylvestris* libram,
*Sulphuris sublimati* uncias quatuor,
*Cerae flavae* unciam.

*Cerae* et *Oleo* colliquefactis gradatim addito *Sulphur*, ut in unguentum coëant. Idem subinde etiam sine *cera* est parabile.

U. In fœditatibus cutis: psora, herpete, tinea etc., adhibetur.

## UNGUENTUM RESINOSO-CERATUM I.

Balsamo Arcæi (*Ph. Ross.*) *succedaneum.*

М. смоляно-восковая 1.

R. *Adipis suillae depuratae,*
*Resinae balsami pineo-sylvestris,*
*Cerae flavae,*
*Olei olivi,* singulorum partem.

Misce et colliquefiant, lege artis, in unguentum.

## UNGUENTUM RESINOSO-CERATUM II.

М. смоляно-восковая 2.

R. *Adipis suillae depuratae* partes octo,
*Resinae balsami pineo-sylvestris* partes quinque,
*Cerae flavae* partes duas,

Misce, colliquefiant in unguentum.

V. *Linimentum resinosum.*

## UNGUENTUM RESINOSUM.

М. канифольная.

R. *Resinae balsami pineo-sylvestris,*
*Adipis suillae depuratae,* utriusque pares portiones.

Colliquefacta lege artis, misce.

## UNGUENTUM SIMPLEX.

М. простая.

R. *Adipis suillae depuratae* partes quatuor, vel
*Olei olivi* partes quinque,
*Cerae albae,* vel *flavae,* partem.

Commista liquefiant in unguentum. Si singulis *ejusdem* liquefactis et jam frigescentibus unciis, addideris: *Tincturae Lyttae* drachmas duas, vel semunciam, erit egregium *stimulans unguentum,* fonticulis et fricationi paralyticorum, adcommodatissimum.

## UNGUENTUM STIBIATUM.

M. вино-сюрьмяная.

R. *Tartratis Stibii* et *Potassae* scrupulum,
*Adipis suillae depuratae* unciam,
Commisce. Interdum additur:
*Submuriatis Hydrargyri*, vel
*Suboxydi Hydrargyri nigri*,
*Camphorae* tritæ, utriusque scrupulum.
V. Excitans; rubefaciens.

## UNGUENTUM SUBOXYDI HYDRARGYRI.

UNGUENTUM MERCURIALE *Ph. Ross.*

M. ртутная.

R. *Hydrargyri depurati* unciam,
*Balsami pineo-laricini* semunciam.
Contere, quamdiu guttula, vel minima *Hydrargyri* adparuerit, dein addito;
*Adipis suillae depuratae* drachmas quatuordecim, vel
*Unguenti simplicis* tantundem.

U. In syphilide drachmam, ad tres, pro una frictione, adhibendo. Si *balsamum pineo-laricinum*, hoc unguentum ingrediens, irritando pustulas erythema æmulantes, excitarit, adplicantibus *id* remoram, posituras, tum subsequens præfertur:
R. *Hydrargyri depurati* bilibram,
*Adipis suillae depuratae* uncias viginti tres,
*Sevi praeparati* unciam,
*Hydrargyro* cum *Sebo* et pauxillo *adipis* in mortario lapideo, rite, donec globuli evanuerint, trito, admisce reliquias *adipis*. *Unguentum* hoc est valens et dum per frictionem, juxta decursum lymphaticorum vasorum internis femoribus, cruribus, brachiisve, vel ubi cuticula tenuior est, admovetur, perfacile et absorbetur, et interiora penetrat; sed, ut *Hydrargyrum* oxydetur, multum temporis insumendum est triturationi.

Procedenti tempore ſit fortius et rancidum, formatione in primis *acidi sebacei* plus oxydationis *metallo* impertientis. Ad facilitandam *Hydrargyri* exstinctionem proponitur, ut trituratio cum portione antiqui *unguenti* instituatur, addendo subinde debitam *adipis* quantitatem, vel, ut ea, jam rancida, adhibeatur, rancedine sensim trituratione, et pro ratione oxydationis *Hydrargyri*, privanda; incipiendum tamen est pauxillo *Sebi ovillini*, si resistere lubet. Adhibita quoque *adipe* recenti, si addas tantillum *Acidi nitrico nitrosi*, quo exstinctio *Hydrargyri* peragitur.

D. Drachma pro frictione mane et vesperi sufficit, quoad systema glandulare fuerit adfectum.

V. *Linimentum Suboxydi Hydrargyri.*

## UNGUENTUM SUBOXYDI HYDRARGYRI NIGRI.

M. черно-осадочная ртутная.

R. *Suboxydi Hydrargyri nigri* partem,
*Adipis suillae depuratae* partes quatuor,

Commisce. Admota internis femoribus, cruribus, brachiisve, juxta vasorum lymphaticorum decursum, fricatione, valens est adversus syphilidem, et in primis tumores syphiliticos; sed praecedentibus duobus unguentis postponendum est, cum non tam facile absorbeatur.

D. Drachma (et ultra) infricatur.

## UNGUENTUM SUBOXYDI HYDRARGYRI NIGRI COMPOSITUM.

M. Черноосадочной Ртути сложная.

R. *Suboxydi Hydrargyri nigri*,
*Oxydi Zinci*, utriusque partem,
*Adipis suillae depuratae* partes quatuor.
Commisce.

U. In syphilide commendatur; praesertim vero ophthalmi-

tidi syphiliticæ, et ulceribus ejusdem indolis resistit cum successu. Nec frambæsiæ, ut quidam referunt, est alienum.

## UNGUENTUM SULPHURATUM.

### Мазь сѣрная.

R. *Sulphuris sublimati* partem,
*Adipis suillae depuratae* partes quatuor.
Commisce lege artis in unguentum.

## UNGUENTUM SULPHURATUM COMPOSITUM.

### М. сѣрная сложная.

R. *Sulphuris sublimati* selibram,
*Radicis Veratri albi* pulveratæ uncias duas,
*Nitratis Potassae depurati* drachmam,
*Saponis picei* selibram,
*Adipis suillae depuratae* sesquilibram.
Commisce, ut fiat lege artis unguentum.

U. In psoræ curatione est maximæ efficaciæ. Libra hujusce *unguenti* quatuor frictionibus inservit, ideoque noctu dormituro quarta pars adsiduo, corporis prius in *balneo saponato* loti, quartæ parti est infricanda; dein vero eæ partes per aliquot noctes tangendæ, quæ plus fœdatæ sunt. Quamvis morbus externo usu una portione profligari possit; nihilo tamen minus tutius exhibetur cum PULVERE SULPHURIS COMPOSITO interne sumendo. Propulsata psora iterum *balneum saponatum* ad lavandum corpus adhibeatur.

## UNGUENTUM SUPERACETATIS PLUMBI.

### UNGUENTUM SATURNINUM.

### М. уксусо-кислаго Свинца.

R. *Cerati Superacetatis Plumbi,*
*Olei olivi,* utriusque pares portiones.
Colliquescant in unguentum.

U. Ut *Cerati* ejusdem nominis.

## VAPORES ACIDI ACETICI.

Пары уксусокислые.

R. *Superacetatis Plumbi crystallisati*, vel
*Acetatis Potassae liquidi*, vel
——— *Cupri*, quantum vis,
*Acidi sulphurici*, ——— satis,
ad *Acidum aceticum* penitus liberandum. Committito phialae.

## VAPORES ACIDI MURIATICI.

П. солекислые.

R. *Muriatis Sodae depurati* et pulverati libras quinque.
Committe vasi vitreo amplo et gradatim adfundito:
*Acidi sulphurici* libras quatuor.
Contagionem correcturus vas vaporiferum de loco in locum, per cubiculum, transferto (Guyton Morveau.)

## VAPORES ACIDI NITRICI.

П. селитрокислые.

R. *Acidi sulphurici*,
*Nitratis Potassae depurati* et pulverati, utriusque pares portiones.
*Sali* in vase aperto, super arenam leniter calefactam, sensim additur *Acidum*, et vapores a Johnston olim laudati; nunc vero a Carmichael Smith ab oblivione vindicati, surgent.

## VAPORES ACIDI OXYMURIATICI.

П. Соленопресыщенно-кислые.

R. *Oxydi Mangani* pulverati drachmas sex,
*Muriatis Sodae depurati*,
*Nitratis Potassae* ——— utriusque uncias duas.
Commisce terendo, dein vasi vitreo committe et addito:

*Aquae purae* semunciam.
tandem gradatim adfundito:
*Acidi Sulphurici* uncias duas, vel,

R. *Oxydi Mangani* pulverati drachmas sex,
*Muriatis Sodae* ——— uncias quatuor,
Misce terendo; dein vasi vitreo committe et adde:
*Aquae purae* semunciam.
Tandem gradatim affunde:
*Acidi sulphurici* uncias duas.

V. *Vapores* a GUYTON MORVEAU propositi, efficaciter adversus effluvia putrida, possunt, contagionem valetudinariorum, carcerum, navium tollunt et eandem vestibus inhærentem destruunt; in quarantenis præcipue sunt magnæ efficaciæ. Vel

R. *Oxydi Mangani* grosso modo pulverati drachmam.
Committito phialæ vitreæ, duas circiter uncias continenti, eique adfundito:

*Acidi nitrico-muriatici*, quantum satis,

ut phiala ad duas circiter tertias repleatur, atque obturamento vitreo claude. *Vasa fumigatoria antiloimica*, nota sunt sub nomine: *flacons de desinfection*. Liquor hic, (levioris pretii,) duobus præcedentibus, præferendus est, ut diu conservabilis; attamen post aliquod tempus, pauxillo *Mangani* subinde addito, renovatur. Antequam *fumigatio* instituitur, ægroti amovendi sunt, ne pulmonibus noxa inferatur. VAPORES ACIDI SULPHURICI, (*Gas sulphuricum*,) combustione *Sulphuris* producti, a BUQUETO in suffocatione et asphyxia toxicathmica, naribus admovebantur; sed ob vehementem, quam illico excitant, tussim, merito damnantur.

## VINUM IPECACUANHÆ.

### Вино рвотнаго корья.

R. *Radicis Callicoccae Ipecacuanhae* contusæ unciam,
*Vini albi* uncias quindecim.
Macera per septimanam et per chartam cola.

D. Semuncia (ad unciam,) scopo vomitum ciendi, datur. Minoribus vero dosibus a guttis duodecim ad quadraginta, vices sup-

plet C. *Ipecacuanhae*, refracta dosi, propinatæ, videsis: C. Ipecacuanham. Si singulis præbilis, *succi Hyoscyami spissati*, vel *Conii maculati* granum, vel *Opii* tantundem additur, vis ejusdem medica in catarrho intenditur; asthma etiam spasmodicum, declinante dysenteria, diarrhoea, *eo* curatur. In pertussi guttæ ejusdem quinque, *Tincturae Opii* una et *Subcarbonatis Sodae* grana duo, quarta quaque hora (præmissis *emeticis*,) dantur infantibus.

V. *Mistura Carbonatis Calcariae composita.*

## VINUM LUSITANICUM ARTEFACTUM.

Anglice *Port Wine.*

B. Португальское искуственное.

R. *Liquoris pomacei* fermentati (*Cyderae*,) vel
——— *napini* ——— libras tres,
*Alcoholis diluti* (*Spiritus vini gallici*) libram,
*Succi Eucalypti concreti* drachmam,

Misce, et obturatum probe servetur. Si loco *succi Eucalypti concreti*, *Aetheris nitrici alcoholisati* drachmam addideris, *Vinum* æmulans vetustum *rhenanum* (britannice *Old Hock* dictum) habebis.

## VINUM SCILLITES.

B. морско-луковое.

R. *Radicis Scillae maritimae* recentis contusæ semunciam,
*Corticis fructus Citri Aurantii* contusi,
*Radicis Acori Calami* contusæ, utriusque drachmam,
*Vini albi* libram,
digere per triduum et colatis adde:
*Oxymellis scillini* unciam.

U. Ob vires diureticas in hydropisi et asthmate pituitoso, utilitatem promittit. Vis *Scillae* debilitans, *incitantibus* adjectis, corrigitur et tum stomacho fit aptior.

D. Cochlearii mensura sorbendum.

## VINUM SCILLITES JUNIPERINUM.

### В. Морскаго Лука можжевеловое.

R. *Pulveris radicis Scillae m.* contusæ drachmam,
*Baccarum Juniperi* contusarum unciam,
*Seminum Amomi Cardamomi* contus. semidrachmam, vel
*Pulveris aromatici* tantundem,
*Vini Sudacensis* libram.

U. In hydrope magni æstimatur, propinato ter in die cochleari.

## VINUM STIBIATUM.

### В. сурьмяное.

R. *Tartratis Stibii* et *Potassae* grana viginti quatuor,
*Vini albi dulcis* libram.

Misce et solvito. In singulis unciis *Vini* hujusce continentur grana duo *Tartratis Stibii* et *Potassae.*

U. In morbis ex transpiratione suppressa valet; laudatur etiam a quibusdam in pertussi, præsertim addito *Althaeae syrupo* dulcificatum (Buchholz) vel—*opiato* atque omni quadrante horæ cochleari parvo, donec vomitus fuerit insecutus, porrectum. Præbia pro ratione ætatis adcommodanda. Adultis semidrachma (ad drachmam) bis terve de die exhibetur; si vero vomitionem movere libet, semuncia (ad unciam) datur. Juvat etiam singulo præbio minori addere granum, aut sesquigranum *succi spissati Aconiti,* aut *Conii maculati,* aut *Hyoscyami,* vel grana quinque ad decem *extracti conorum Humuli Lupuli,* et tum adversus catarrhum, myodyniam rheumaticam, pertussim, aliaque similia mala, efficacius aget.

Multum egerunt, qui ante nos fuerunt; sed non peregerunt; multum restat operis multumque restabit, nec ulli nato post sæcula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. Seneca.

# INDEX

PAGINARUM, PHARMACA SIMPLICIA, PRÆPARATA, ET COMPOSITA, SISTENTIUM.

## A.


| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Absinthium vulgare . . . . | I. | 56. |
| Acacia Catechu . . . . . | — | 1. |
| —— vera . . . . . . . | — | 2. |
| Acetas Ammoniæ liquidus | II. | 3. |
| —— Cupri . . . . . . | — | 4. |
| —— Potassæ liquidus . | — | 5. |
| Acetum camphoratum . . | — | 6. |
| —— destillatum . . . . | — | 8. |
| —— Saturni . . . . . | — | 281. |
| —— scillites . . . . . | — | 7. |
| —— Vini . . . . . . | I. | 6. |
| —— —— destillatum . | II. | 8. |
| Achillea millefolium . . | I. | 4. |
| Acidum aceticum . . . | II. | 7. |
| —— —— dilutum . | — | 8. |
| —— —— —— impurum | I. | 6. |
| —— citricum concretum | II. | 8. |
| —— muriaticum . . . | — | 9. |
| —— nitrico-muriaticum | — | — |
| —— —— nitrosum . | — | 10. |
| —— nitricum . . . . | — | — |
| —— —— dilutum . | — | — |
| —— oxymuriaticum . | — | 11. |
| —— phosphoricum . . | — | 12. |
| —— —— concretum | — | 14. |
| —— —— dilutum . | — | 12. |
| —— succinicum . . . | — | 14. |
| —— sulphuricum . . . | — | 15. |
| —— —— dilutum | — | 16. |
| —— Tartari crystallisatum | — | 17. |
| —— tartaricum . . . . | — | — |
| —— vitriolicum . . . . | — | 15. |
| Acipenser stellatus . . . | I. | 9. |
| —— Sturio . . . . . . | — | — |
| Aconitum neomontanum . | — | 11. |
| Acorus Calamus . . . . . | — | 12. |
| —— verus . . . . . . . | — | — |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Adeps ovillina . . . . . | I. | 51. |
| —— suilla depurata . . | II. | 17. |
| —— Tauri pedum . . | I. | 66. |
| Aerugo crystallisata . . . | II. | 4. |
| Aesculus Hippocastanum . | I. | 13. |
| Aether nitricus . . . . . | II. | 18. |
| —— —— alcoholisatus | — | — |
| —— sulphuricus . . . | — | 19. |
| —— —— alcoholisatus | — | 20. |
| —— —— camphoratus . | — | 21. |
| Agaricus Chirurgorum . . | I. | 66. |
| Alcali causticum . . . . | II. | 202. |
| —— minerale . . . . . | — | 248. |
| Alcohol . . . . . . . . . | — | 21. |
| —— ammoniatum . . . | — | 22. |
| —— dilutum . . . . . | — | — |
| —— —— amarum . | — | 23. |
| —— —— antiscorbuticum . . | — | — |
| —— —— camphoratum . . . | — | 24. |
| —— purissimum . . . . | — | — |
| —— vini alcoholisatum | — | — |
| Alisma Plantago . . . . | I. | 15. |
| Allium Cepa . . . . . . | — | 16. |
| —— sativum . . . . . | — | 17. |
| Aloë perfoliata . . . . . | — | 19. |
| —— spicata . . . . . . | — | — |
| Althæa officinalis . . . | — | 21. |
| Alumen crudum . . . . . | — | 274. |
| —— ustum . . . . . | II. | 283. |
| Alumina . . . . . . . . | — | 25. |
| Amomum Cardamomum . | I. | 22. |
| —— Zingiber . . . . | — | — |
| Ammonia liquida . . . | II. | 25. |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Ammonium carbonicum | II. | 240. |
| ——— martiatum | — | 148. |
| ——— muriaticum | — | 144. |
| Amylum triticinum | I. | 24. |
| Anethum Fœniculum | — | — |
| Angelica Archangelica | — | 25. |
| ——— sativa | — | — |
| Anthemis nobilis | — | 27. |
| Antimonium crudum | — | 274. |
| ——— —— præparatum | II. | 279. |
| Apis mellifica | I. | 25. |
| Aqua | — | 31. |
| —— Acidi carbonici | II. | 27. |
| —— —— nitrici | — | 28. |
| —— —— sulphurici | — | 29. |
| —— acidula artefacta | — | — |
| —— Aëris fixi | — | 27. |
| —— betulina vinosa | — | 30. |
| —— Calcariæ | — | — |
| —— ——— ustæ | — | — |
| —— Calcis vivæ | — | — |
| —— cardiaca | — | 33. |
| —— depurata | — | 34. |
| —— destillata | — | — |
| —— Anethi Foeniculi | — | 36. |
| —— Carvi | — | — |
| —— corticis Citri aurantii | — | — |
| —— ——— Citri medicæ | — | — |
| —— florum Rosæ centifoliæ | — | — |
| —— fructus Myrti Pimentæ | — | — |
| —— herbæ Menthæ crispæ | — | — |
| —— herbæ Menthæ piperitæ | — | — |
| —— herbæ Menthæ Pulegii | — | — |
| —— Lauri Cassiæ | — | — |
| —— —— Cinnamomi | — | — |
| —— Pimpinellæ Anisi | — | — |
| —— extemporanea Anethi Foeniculi | — | 33. |
| —— ——— Carvi | — | — |
| —— ——— Menthæ crispæ | — | — |
| —— ——— Menthæ piperitæ | — | — |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Aqua extempor. Pimpinellæ Anisi | II. | 33. |
| —— fortis | — | 10. |
| —— Hussonii medicata | I. | 292. |
| —— Hydrargyri caustica | II. | 35. |
| —— hydrosulphurata acidula | — | — |
| —— marina artefacta | — | 36. |
| —— mephitica alcalina | — | 38. |
| —— ——— kalina | — | 245. |
| —— ophthalmica cœrulea | — | 226. |
| —— phagedaenica | — | 35. |
| —— regia | — | 9. |
| —— sulphurata artefacta | — | 37. |
| —— Supercarbonatis Potassæ | — | — |
| —— ——— Sodæ | — | 38. |
| —— vulneraria | — | 98. |
| Aquæ acidulæ hypocaucaseæ | I. | 34. |
| ——— Kislowodscenses | — | — |
| —— —— Kutomarenses | — | — |
| —— —— Pogromnenses | — | — |
| —— amaræ Pattenhoffiæ | — | 36. |
| —— —— Sareptenses | — | — |
| —— ferratæ Andreapolitanæ | — | 37. |
| —— ——— Kaschinenses | — | — |
| —— ——— Kortsevenses | — | — |
| —— ——— Lipsienses | — | — |
| —— ——— Mosquenses | — | — |
| —— ——— Simeonovienses | — | — |
| —— ——— Twerenses | — | — |
| —— ——— Wisokoënses | — | — |
| —— fluviales | — | 40. |
| —— fontanæ | — | — |
| —— glaciales et nivales | — | 41. |
| —— marinæ | — | 42. |
| —— palustres | — | 43. |
| —— pluviales | — | — |
| —— puteales | — | 44. |
| —— salinæ Bycowcenses | — | 45. |
| —— —— Dubovogryadenses | — | — |
| —— —— Orelyenses | — | — |
| —— stagnantes et lacustres | — | 46. |
| —— sulphuratæ | — | 273. |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Aquæ sulphur. Baldohnenses | I. | 47. |
| —— —— Barbenenses | — | — |
| —— —— Bargusinenses | — | — |
| —— —— Constantino-montanæ | — | — |
| —— —— Libawienses | — | — |
| —— —— Sergiewienses | — | — |
| —— —— Smordonianæ | — | — |
| —— —— Turcenses | — | 47. |
| Arbutus uva ursi | — | 49. |
| Archangelica officinalis | — | 25. |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Arctium Lappa et Bardana | I. | 49. |
| Argentum nativum | — | 50. |
| —— nitricum | II. | 155. |
| —— —— fusum | — | 156. |
| Aries domesticus | I. | 51. |
| Aristolochia Serpentaria | — | 52. |
| Arnica montana | — | 54. |
| Arsenicum album | — | 195. |
| Artemisia Absinthium | — | 56. |
| —— Contra | — | 57. |
| —— Judaica | — | — |
| Aspidium Filix mas | — | 58. |
| Atropa Belladonna | — | 59. |
| Avena sativa | — | 62. |

B.

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Baccæ Juniperi | I. | 149. |
| Balsamum Arcæi | II. | 309. |
| —— peruvianum | I. | 183. |
| —— pineo-laricinum | — | 217. |
| —— —— piceum | — | 219. |
| —— —— sylvestre | — | — |
| —— Sulphuris anisatum | II. | 162. |
| —— —— simplex | — | — |
| —— —— terebinthinatum | — | — |
| Baryta | — | 38. |
| —— muriatica | — | 148. |
| —— sulphurica nativa | I. | 269. |
| Betula alba | — | 63. |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Bilis taurina | I. | 67. |
| —— —— spissata | II. | 39. |
| Bismuthum nativum | I. | 65. |
| —— oxydatum album | II. | 255. |
| Boletus igniarius | I. | 66. |
| —— —— præparatus | II. | 40. |
| Borax | I. | 264. |
| —— calcinata | — | — |
| —— usta | — | — |
| Bos Taurus | — | 66. |
| Botrys mexicana | — | 87. |
| Brassica Napus | — | 70. |
| Bubon Galbanum | — | — |
| Butyrum insulsum | — | 67. |

C.

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Calamus aromaticus | I. | 12. |
| Calcaria | II. | 40. |
| —— muriatica | — | 150. |
| —— sulphurata | — | 278. |
| Calcitrapa | I. | 82. |
| Callicocca Ipecacuanha | — | 71. |
| Calx salita | II. | 150. |
| — viva | — | 40. |
| Camphora | I. | 154. |
| Cannabis sativa | — | 73. |
| Cantharis | — | 167. |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Capsicum annuum | I. | 74. |
| Carbo lignarius | II. | 42. |
| —— Spongiæ officinalis | — | 46. |
| Carbonas Barytæ | — | — |
| —— Calcariæ nativus | I. | 76. |
| Carbonas Calcariæ præparatus | II. | 46 |
| —— Ferri præcipitatus | — | 47. |
| Cardamomi minoris fructus | I. | 22. |
| Carduus benedictus | — | 81. |
| —— stellatus | — | 82. |
| Carex arenaria | — | 76. |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Carica pinguis | I. | 126. |
| Caro bubula | — | 66. |
| —— ovillina | — | 51. |
| —— vitulina | — | 66. |
| Carum Carvi | — | 77. |
| Caryophyllus aromaticus | — | 122. |
| Caseus | — | 66. |
| Cassia Senna et lanceolata | — | 78. |
| Castor Fiber | — | 80. |
| Castoreum | — | — |
| Cataplasma acetatum | II. | 47. |
| ——— aluminatum | — | 48. |
| ——— antisepticum | — | — |
| ——— avenaceum | — | — |
| ——— Carotæ | — | 49. |
| ——— ——— compositum | — | — |
| ——— Conii ammoniatum | — | — |
| ——— discutiens | — | 50. |
| ——— emolliens | — | — |
| ——— Heraclei salinum | — | — |
| ——— maturans primum | — | — |
| ——— ——— secundum | — | 51. |
| ——— Secalis muriatum primum | — | — |
| ——— ——— muriatum secundum | — | — |
| ——— sinapinum | — | — |
| ——— ——— acerrimum | — | 52. |
| ——— ——— acre | — | — |
| ——— Superacetatis Plumbi | — | 53. |
| ——— tabacinum | — | — |
| ——— Tritici | — | — |
| ——— ——— cæpinum | — | 54. |
| ——— ——— opiatum | — | — |
| Cayenne pepper | I. | 75. |
| Centaurea benedicta | — | 81. |
| ——— Calcitrapa | — | 82. |
| Centaureum minus | — | 128. |
| Cephaëlis Ipecacuanha | — | 71. |
| Care | — | 28. |
| Ceratum Oxy-carbonatis Zinci | II. | 54. |
| Ceratum Sabinæ | II. | 55. |
| ——— Saturni | — | — |
| ——— simplex | — | — |
| ——— Superacetatis Plumbi | — | — |
| Cereoli | I. | 218. |
| Cerevisia amara | II. | 56. |
| ——— antiscorbutica | — | — |
| Ceromel | — | 57. |
| Cerussa | I. | 194. |
| Cervus Elaphus | — | 83. |
| Cetraria Islandica | — | 84. |
| Chamomilla Romana | — | 27. |
| ——— vulgaris | — | 176. |
| Chelidonium majus | — | 85. |
| Chenopodium Ambrosioides | — | 87. |
| Chironia Centaurium | — | 128. |
| Cichorium Intybus | — | 88. |
| Cicuta major | — | 106. |
| Cidre | — | 295. |
| Cinchona Condaminea | — | 88. |
| ——— cordifolia | — | 90. |
| ——— lancifolia | — | — |
| ——— officinalis | — | 88. |
| Cineres clavellati | I. | 266. |
| | II. | 244. |
| Citrus Aurantium | I. | 98. |
| —— medica | — | 100. |
| Clavelli Cinnamomi | — | 159. |
| Clutia Elutheria | — | 101. |
| Clyster acetatus | II. | 57. |
| —— adstringens opiatus | — | — |
| —— alliatus | — | — |
| —— Aloës | — | 58. |
| —— —— compositus | — | — |
| —— Amyli | — | — |
| —— Assæ fœtidæ | — | 59. |
| —— —— ——— opiatus | — | — |
| —— catharticus | — | — |
| —— communis | — | — |
| —— Muriatis Sodæ | — | 60. |
| —— nutriens | — | — |
| —— opiatus | — | — |
| —— pineo-balsameus | — | 61. |
| —— Sabadillæ | — | — |
| —— tabacinus | — | — |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Coccionella septempunctata | I. | 102. |
| Cochlearia Armoracia | — | 103. |
| ——— officinalis | — | 104. |
| Colla Piscium | — | 9. |
| Collyrium Acetatis Ammoniæ | II. | 62. |
| ——— aluminatum | — | — |
| ——— Cupri compositum | — | — |
| ——— ——— opiatum | — | 63. |
| ——— Hydrargyri opiatum | — | — |
| ——— Hyoscyami opiatum | — | — |
| ——— opiatum | — | 64. |
| ——— Plumbi opiatum | — | — |
| Colomba | I. | 105. |
| Colophonium | — | 216. 219. |
| Conium maculatum | — | 106. |
| Convolvulus Jalappa | — | 108. |
| ——— Scammonia | — | 110. |
| Cornu cervi ustum | — | 261. |
| Cortex Cascarillæ | I. | 101. |
| ——— Chinæ | — | 88. |
| ——— Cinnamomi | — | 159. |
| ——— Citri | — | 100. |
| ——— Mezerei | — | 113. |
| ——— peruvianus | — | 88. |
| ——— Quercus | — | 231. |
| Coxwell's concrete salt of Lemons | II. | 9. |
| Cremor tartari solubilis crudus | I. | 279. |
| Crocus Antimonii | II. | 258. |
| Croton Eleutheria | I. | 101. |
| Cucumis Colocynthis | — | 111. |
| Cuprum | — | 112. |
| ——— aceticum | II. | 4. |
| ——— ammoniacale | — | 264. |
| ——— sulphurico-ammoniatum | — | — |
| ——— sulphuricum | — | 283. |


## D.


| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Daphne Mezereum et Laureola | I. | 113. |
| Daucus Carota | — | 115. |
| ——— sativus | — | — |
| Decoctura Althææ | II. | 64. |
| ——— ——— composita | — | 65. |
| ——— antiscorbutica | — | — |
| ——— Aspidii composita | — | — |
| ——— Avenæ | — | 66. |
| ——— Cetrariæ | — | 67. |
| ——— Cinchonæ | — | — |
| ——— ——— clarificata | — | 68. |
| ——— ——— succedanea | — | 69. |
| ——— Colocynthidis | — | — |
| ——— Furfuris | — | 70. |
| ——— gallarum quernarum | — | — |
| ——— Guajaci | — | — |
| ——— ——— cum Mezereo | — | 71. |
| ——— Hæmatoxyli | — | — |
| ——— Hordei | — | — |
| Decoctura Hordei nitrata | II. | 72. |
| ——— Juglandis | — | — |
| ——— Lappæ | — | — |
| ——— Malti | — | — |
| ——— composita prima | — | 73. |
| ——— composita secunda | — | — |
| ——— Mezerei | — | — |
| ——— mucilaginea prima | — | 74. |
| ——— ——— secunda | — | — |
| ——— Orchidis | — | — |
| ——— Polygalæ amaræ | — | 75. |
| ——— Quassiæ | — | — |
| ——— Quercus aluminata | — | — |
| ——— Salicis composita | — | — |
| ——— Sydenhami alba | — | 76. |
| ——— Ulmi | — | — |
| Defrutum | I. | 295. |
| Digitalis purpurea | — | 116. |

Pars. Pagina.

E.

Eau medicinale d'Husson I. . 292.
Elæosaccharum Anethi F. II. . 76.
——— Carvi . . — . —
——— Chamomillæ — . 77.
——— Menthæ crispæ . . — . 76.
——— Menthæ piperitæ . . — . —
——— Pimpinellæ Anisi . . — . —
Electuarium Sennæ . . . — . 77.
Elettaria Cardamomum . . I. . 22.
Elixir paregoricum . . . II. . 99.
Emplastrum adhæsivum . — . 80.
——— ad strumam . . — . 77.
——— Conii . . . . . — . 78.
——— ——— compositum — . —
——— Galbani stibiatum — . —
——— gummiresinosum — . 79.
——— gummosum . . — . —
——— Lythargyrii . . — . 80.
——— Lyttæ . . . — . 79.
——— Meliloti . . . . — . 80.
——— mercuriale . . — . 81.
——— Oxydi Plumbi — . 80.
——— resinosum — . —
——— saponatum — . 81.
——— simplex . . . . — . —
——— Subóxydi Hydrargyri . . . . . — . —
——— stibiatum . . . — . 82.
Emulsio phosphorata . . — . —
——— resinoso composita — . —
Essentia Bergamota . . . — . 170.
——— de Portugal . . — . —
——— Neroli . . . . . — . 171.
Essential Salt of Lemons . — . 9.
Eucalyptus resinifera . . I. . 121.
Eugenia Caryophyllata . . — . 122.
Extracta alcoholisata vél gummeoresinosa . . II. . . 92.
——— decoctione spissata — . 83.
——— infusione spissata . — . 91.

Pars. Pagina.

Extracta peculiariter parata II. . 94.
——— plantarum . . . — . 83.
Extractum Aconiti . . . — . 266.
——— amarum . . . — . 94.
——— Catechu . . . I. . 1.
——— Chinæ spirituosum II. . 92.
——— ——— gummeoresinosum . . — . —
——— Colocynthidis compositum . . . — . 94.
——— corticis Cinchonæ officinalis . . — . 84. 92.
——— corticis Cinchonæ officinalis frigide paratum . . . — . 91.
——— corticis Citri Aurantii . — . 93.
——— ——— Clutiæ Elutheriæ . — . 84.
——— ——— Rhois Cotini . . — . 93.
——— ——— Salicis albæ — . 85.
——— Ferri pomatum — . 94.
——— florum Anthemidis nobilis . . — . 91.
——— florum Matricariæ Chamomillæ . . — . 92.
——— foliorum Juglandis Regiæ . . — . 85.
——— foliorum Menyanthidis trifoliatæ — . —
——— herbæ Achilleæ Millefolii — . —
——— ——— Artemisiæ Absinthii — . 86.
——— ——— Centaureæ benedictæ — . —
——— ——— Fumariæ officinalis — . —
——— ——— Gratiolæ officinalis — . 87.
——— ——— Marrubii vulgaris . — . —

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Extractum herbæ Tanaceti vulgaris | II. | 93. |
| —— Hyoscyami | — | 267. |
| —— ligni Hæmatoxyli Campechiani | — | 87. |
| —— —— Quassiæ amaræ | — | 88. |
| —— —— Quassiæ excelsæ | — | — |
| —— Liquiritiæ | — | 89. |
| —— nucis Strychni vomicæ | — | 88. |
| —— pulpæ Cucumeris Colocynthidis | — | 93. |
| —— radicis Cichorii Intybi | — | 88. |
| Extractum radicis Gentianæ luteæ | II. | 88. |
| —— —— Glycyrrhizæ glabræ | — | 89. |
| —— —— Krameriæ | — | — |
| —— —— Leontod. Taraxaci | — | 90. |
| —— —— Rhei palmati | — | — |
| —— —— Tormentillæ erectæ | — | — |
| —— stipitum Solani Dulcamaræ | — | 91. |
| —— turionum Pini sylvestris | — | 93. |

F.

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Far avenaceum | I. | 63. |
| Farina Hordei | — | 139. |
| Fel Tauri | — | 67. |
| Ferrum | — | 123. |
| —— limatum | II. | 95. |
| —— sulphuricum crystallisatum | — | 269. |
| Ferula Ammon | I. | 137. |
| —— Asa fœtida | — | 124. |
| Ficus Carica | — | 126. |
| Flacons de desinfection | II. | 314. |
| Flores Arnicæ | I. | 64. |
| —— Sulphuris | II. | 276. |
| —— salis Ammoniaci martiales | — | 148. |
| Flores Zinci | II. | 182. |
| Fœniculum vulgare | I. | 24. |
| Folia Sabinæ | — | 151. |
| —— Sennæ | — | 78. |
| Fomentum acidum | II. | 98. |
| —— aluminatum | — | — |
| —— aromaticum | — | 99. |
| —— commune | — | — |
| —— discutiens | — | — |
| —— pineo-oleosum compositum | — | 100. |
| Fructus Colocynthidis | I. | 111. |

G.

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Gallæ quercinæ | I. | 230. |
| —— quernæ | — | — |
| Gallina domestica | — | 211. |
| Gargarisma acidum | II. | 100. |
| —— aluminatum | — | 101. |
| —— ammoniatum | — | — |
| —— antisepticum | — | — |
| —— boracicum | — | 102. |
| —— commune | — | — |
| Gargarisma Muriatis Ammoniæ | II. | 103. |
| —— opiatum | — | — |
| —— Oxymuriatis Hydrargyri | — | — |
| Gas azoticum oxydulatum | — | 104. |
| — carbonicum | — | — |
| — hydrogenium | — | — |
| — —— carbonatum | — | 105. |
| — —— sulphuratum | — | — |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Gas oxygenium | II. | 106. |
| Gelatina | I. | 66. |
| ——— Amyli | II. | 108. |
| ——— animalis | — | 107. |
| ——— Cetrariæ | — | 108. |
| ——— cornu Cervi | — | — |
| ——— Ichthyocollæ | — | — |
| Gentiana Centaureum | I. | 128. |
| ——— lutea | — | 129. |
| ——— rubra | — | — |
| Geum urbanum | — | — |
| Glycyrrhiza glabra | — | 131. |
| ——— glandulifera | — | — |
| Gratiola officinalis | I. | 132. |
| Guajacum officinale | — | 133. |
| Gummi Ammoniacum | — | 137. |
| ——— arabicum | — | 3. |
| ——— Assæ fœtidæ | — | 124. |
| ——— Galbani | — | 70. |
| ——— gambiense | — | 121. |
| ——— Guttæ | — | 261. |
| ——— Kino | — | 121. |
| ——— Myrrhæ | — | 160. |
| ——— resina Guajaci | — | 133. |
| Guttifera vera | — | 261. |

H.

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Hæmatoxylon Campechianum | I. | 136. |
| Haustus aërophorus | II. | 109. |
| ——— camphoratus | — | — |
| ——— carbonicus | — | — |
| ——— carbonis aluminosus | — | 284. |
| ——— Cinchonæ | — | 110. |
| ——— diaphoreticus | — | — |
| ——— guajacinus | — | — |
| ——— opiatus | — | — |
| ——— pineo-balsameus | — | 111. |
| ——— saponatus | — | — |
| ——— sudorifer | — | — |
| Heracleum gummiferum | I. | 137. |
| Herba Cicutæ | — | 106. |
| Hepar Sulphuris | II. | 116. |
| Hordeum distichon | I. | 139. |
| Hordeum mundatum | I. | 139. |
| ——— perlatum | — | — |
| ——— præparatum Thilenii | — | 140. |
| Humulus Lupulus | — | 141. |
| Hydrargyrum | — | 142. |
| ——— depuratum | II. | 111. |
| ——— muriaticum corrosivum | — | 184. |
| ——— ——— mite | — | 250. |
| ——— oxydulatum nigrum | — | 257. |
| ——— oxydatum rubrum | — | 181. |
| Hydromel | — | 115. |
| Hydrosulphuretum Potassæ | — | 117. |
| Hyoscyamus niger | I. | 143. |
| Hyperoxymurias Potassæ | II. | 117. |

I. J.

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| James's powder | II. | 262. |
| Ichthyocolla | I. | 9. |
| Infuso decoctura Lepidii ruderalis | II. | 118. |
| ——— Padi | — | — |
| Infusum Absinthii | — | 126. |
| ——— Angelicæ | — | — |
| ——— aromaticum | — | 120. |
| ——— baccarum Juniperi | — | 126. |
| ——— Calami | — | — |
| ——— Cannabis | — | 120. |
| ——— Catechu | — | — |
| Infusum opiatum | II. | 121. |
| ——— Chamomillæ | — | 126. |
| ——— ——— kalinum | — | 121. |
| ——— Chenopodii | — | 126. |
| ——— Cochleariæ Armoraciæ | — | — |
| ——— Digitalis | — | 121. |
| ——— florum Arnicæ | — | 119. |
| ——— Gentianæ compositum | — | 122. |
| ——— Lini | — | — |
| ——— Mentha crispæ | — | 126. |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Infusum Menthæ Pulegii | II. | 126. |
| ——— Phellandrii | — | — |
| ——— radicis Arnicæ | — | 119. |
| ——— Rhei | — | 123. |
| ——— Rhododendri | — | — |
| ——— Salviæ | — | 126. |
| ——— Sambuci | — | — |
| ——— Sennæ | — | 123. |
| ——— ——— salinum | — | 124. |
| ——— Serpentariæ | — | — |
| Infusum Tabaci | II. | 124. |
| ——— Tormentillæ compositum | — | 125. |
| ——— Valerianæ | — | — |
| Inula Helenium | I. | 145. |
| Juglans regia | — | 146. |
| Juniperus communis | — | 149. |
| ——— Lycia | — | 150. |
| ——— Sabina | — | 151. |
| Jusculum cæpinum | — | 17. |

L.

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Lac | I. | 66. |
| Lapis calaminaris | — | 195. |
| ——— infernalis | II. | 156. |
| Laudanum liquidum | — | 299. |
| Laurus Camphora | I. | 154. |
| ——— Cassia | — | 159. |
| ——— Cinnamomum | — | — |
| ——— Myrrha | — | 160. |
| Lavandula Spica | — | 161. |
| Leontodon Taraxacum | — | 162. |
| Lepidium ruderale | — | 163. |
| Lichen Islandicus | — | 84. |
| ——— parietinus | — | 164. |
| Lignum Campechense | — | 136. |
| ——— Guajaci | — | 133. |
| Linimentum Acetatis Cupri. | II. | 126. |
| ——— acidum | — | 127. |
| ——— ——— pineo-oleosum | — | — |
| ——— Ammoniæ | — | — |
| ——— ——— camphoratum | — | — |
| ——— bilis salinum primum | — | 128. |
| ——— ——— ——— secundum | — | — |
| ——— calcareum | — | — |
| ——— Oxydi Hydrargyri rubri | — | 129. |
| ——— Oxymuriatis Hydrargyri | — | — |
| Linimentum Phosphori ammoniatum | II. | 130. |
| ——— resinosum | — | — |
| ——— Saponis ammoniatum | — | — |
| ——— ——— rubefaciens | — | — |
| ——— ——— rubefaciens fortius | — | 131. |
| ——— simplex | — | — |
| ——— stibiatum | — | — |
| ——— Suboxydi Hydrargyri | — | 132. |
| ——— volatile | — | 127. |
| Linum usitatissimum | I. | 165. |
| Liquor Ammonii acetici | II. | 3. |
| ——— ——— carbonici aquosus | — | 242. |
| ——— ——— vinosus | — | 22. |
| ——— anodynus mineralis | — | 20. |
| ——— Kali acetici | — | 5. |
| ——— ——— carbonici | — | 247. |
| ——— ——— caustici | — | 205. |
| ——— terræ foliatæ Tartari | — | 5. |
| ——— van Swietenii | — | 230. |
| ——— vini probatorius Hahnemanni | — | 35. |
| Lithargyrum | I. | 203. |
| Lixivium causticum saponar. | II. | 205. |
| Lycopodium clavatum | I. | 166. |
| Lytta vesicatoria | — | 167. |

## M.


| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Magnesia . . . . . . . | II. | 132. |
| ——— aërata . . . . . | — | 243. |
| ——— carbonica . . . . | — | — |
| ——— nigra . . . . . | I. | 173. |
| ——— pura . . . . . . | II. | 132. |
| ——— sulphurica . . . | I. | 269. |
| ——— usta . . . . . . | II. | 132. |
| Magnesium oxydatum nativum | I. | 173. |
| Maltum hordeaceum . . . | — | 139. |
| Malum Aurantiorum . . . . | — | 98. |
| Manganum . . . . . . . . | — | 173. |
| Marrubium album . . . | — | 175. |
| ——— vulgare . . . . | — | — |
| Maſsa Acetatis Cupri composita | II. | 134. |
| Matricaria Chamomilla . . | I. | 176. |
| Mel . . . . . . . . . . | — | 27. |
| —— despumatum . . . | II. | 134. |
| —— Oxycocci . . . . . . | — | 115. |
| —— rosatum . . . . . . | — | — |
| Meloë vesicatorius . . . | I. | 167. |
| Menispermum hirsutum . . | — | 105. |
| Mentha crispa . . . . . . | — | 177. |
| ——— piperita . . . . . | — | 178. |
| ——— Pulegium . . . . | — | 179. |
| Menyanthes trifoliata . . . | — | 180. |
| Mercurius dulcis . . . . | II. | 250. |
| ——— præcipitatus ruber. | — | 181. |
| ——— solubilis . . . . | — | 257. |
| ——— sublimatus corroſivus | — | 184. |
| ——— vivus . . . . | I. | 142. |
| Millefolii summitates . . . | — | 4. |
| Mimosa Catechu . . . . . | — | 1. |
| ——— nilotica . . . . . . | — | 2. |
| Mistura Acetatis Potassæ juniperina | II. | 134. |
| ——— Assæ fœtidæ . . . | — | — |
| ——— ——— ——— composita | — | 135. |
| Mistura Camphoræ . . . | II. | 135. |
| ——— ——— acetata . | — | — |
| ——— Carbonatis Calcariæ composita | — | 136. |
| ——— Ceræ adstringens . | — | — |
| ——— Chelidonii majoris . | — | 137. |
| ——— Cinchonæ . . . . . | — | — |
| ——— Citratis Potassæ stibiata | — | 138. |
| ——— cretacea Londinensis | — | 46. |
| ——— Heraclei gummiferi | — | 138. |
| ——— Juglandis . . . . . | — | 139. |
| ——— Lycopodii . . . | I. | 167. |
| ——— Magnesiæ . . . | II. | 139. |
| ——— Millefolii . . . . . | — | 140. |
| ——— Muriatis Ammoniæ stibiata | — | — |
| ——— Myrrhæ ferrata . . | — | — |
| ——— ——— ——— mitior | — | 141. |
| ——— Nitratis Potassæ . . | — | — |
| ——— scillina . . . . . | — | 142. |
| ——— Strychni nucis vomicæ | — | 88. |
| ——— Taraxaci . . . . . | — | 142. |
| ——— ——— composita | — | — |
| Molasses . . . . . . . . | I. | 242. |
| Moschus artificialis . . . | II. | 143. |
| ——— moschiferus . . . | I. | 181. |
| Mucilago Acaciæ veræ . | II. | 143. |
| ——— seminum Lini . | — | 144. |
| Murias Ammoniæ . . . | I. | 184. |
| ——— ——— depuratus | II. | 144. |
| ——— ——— ferratus . | — | 148. |
| ——— Barytæ . . . . . | — | — |
| ——— Calcariæ . . . . . | — | 150. |
| ——— Magnesiæ . . . . | — | 151. |
| ——— Sodæ . . . . . . | I. | 185. |
| ——— ——— depuratus . | II. | 151. |
| Mustum . . . . . . . . . | I. | 295. |
| Myroxylon peruiferum . . | — | 186. |
| Myrtus Pimenta . . . . . | — | 187. |

Pars. Pagina. Pars. Pagina.

N.

Naphta Vitrioli . . . . . II. . 19.
Nasturtium aquaticum . . I. . 258.
Natrum boraxatum . . . — . 264.
——— carbonicum . . II. . 248.
——— impurum . . . I. . 267.
——— phosphoricum . II. . 263.
——— sulphuricum crystallisatum — . 272.
Nicotiana Tabacum . . I. . 187.
Nitras Ammoniæ . . . II. . 154.
—— Argenti . . . . . — . 155.
—— ——— fusus . . . — . 156.
—— Bismuthi . . . . . — . 255.
—— Hydrargyri liquidus — . 158.
—— Potassæ . . . . I. . 189.
—— ——— depuratus . II. . 159.
Nitrum depuratum . . . — . —
——— nativum . . . . I. . 189.

O.

Olea æætherea . . . . . II. . 169.
—— adusta . . . . . . — . 166.
—— cocta . . . . . . . — . 161.
—— empyreumatica . . — . 166.
—— Europæa . . . . I. . 190.
—— expressa . . . . II. . 162.
—— fixa . . . . . . . — . 161.
—— fœtida . . . . . . — . 166.
—— pinguia . . . . . . — . 161.
—— unguinosa . . . . . — . —
—— volatilia . . . . . — . 169.
Oleum Amomi . . . . . — . 170.
——— anethinum . . . — . 180.
——— animale æthereum — . 166.
——— ——— Dippelii . — . —
——— baccarum Juniperi communis — . 169.
——— ——— Myrti Pimentæ — . 170.
——— cannabinum . . . — . 162.
——— Chamomillæ . . . — . 161.
——— cornu Cervi . . . — . 166.
——— corticis Citri Aurantii — . 170.
——— ——— ——— medicæ destillatum — . 171.
——— ——— ——— medicæ expressum — . —
——— ——— flavi Citri Aurantii — . —
——— ——— Lauri Cassiæ — . —
——— ——— ——— Cinnam. — . —
Oleum de Cedro . . . . II. . 171.
——— empyreumaticum betulinum I. . 64.
——— florum Anthemidis nobilis II. . 172.
——— ——— Citri Aurantii — . 171.
——— ——— Eugeniæ Caryophyllatæ — . 172.
——— ——— Lavandulæ Spicæ — . —
——— ——— Matricariæ Chamomillæ — . 173.
——— ——— Rosæ centifoliæ . — . —
——— ——— Tanaceti vulgaris . — . —
——— foliorum Juniperi Sabinæ — . 174.
——— ——— Roris marini officinalis — . —
——— herbæ Artemisiæ Absinthii — . —
——— ——— Menthæ crispæ — . —
——— ——— ——— piperitæ — . 175.
——— ——— Origani vulgaris — . —
——— ——— Thymi Serpylli — . —
——— hyoscyaminum . . — . 162.
——— inulinum . . . . . — . 179.
——— Juglandis . . . . — . 164.
——— Lini . . . . . . . — . 163.
——— myrteum . . . . — . 170.

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Oleum naphæ | II. | 171. |
| —— napinum | — | 164. |
| —— nucum Juglandis regiæ | — | — |
| —— Oleæ Europææ | — | — |
| —— Olivarum | I. | 190. |
| | II. | 164. |
| —— olivum | I. | 190. |
| | II. | 164. |
| —— papavereum | — | 165. |
| —— pineo-balsameum | I. | 216. |
| —— —— larycinum | II. | 175. |
| —— —— larygnum | — | — |
| —— Pini Larycis | — | — |
| —— pyro-animale | II. | 166. |
| —— —— depuratum | — | — |
| —— radicis Inulæ Helenii | — | 179. |
| —— —— Valerianæ officinalis | — | — |
| —— seminum Anethi Fœniculi | — | 180. |
| —— —— Brassicæ Napi | — | 164. |
| —— —— Cannabis sativæ | — | 162. |
| —— —— Cari Carvi | — | 180. |
| —— —— Papaveris somniferi | — | 165. |
| —— —— Phellandrii aquatici | — | 180. |
| —— —— Pimpinellæ Anisi | — | — |
| —— —— Sesami orient. | — | 165. |
| —— —— sesaminum | — | — |
| Oleum sinapinum | II. | 166. |
| —— Sinapis nigræ | — | — |
| —— Succini depuratum | — | 168. |
| —— sulphurato-anisatum | — | 162. |
| —— sulphuratum | — | — |
| —— —— cum pineo-larycino | — | — |
| —— Tartari per solutionem | — | 247. |
| —— Terebinthinæ | — | 175. |
| Olibanum | I. | 150. |
| Oliva | — | 190. |
| Omphacium | — | 295. |
| Opium | — | 204. |
| Orchis bifolia | — | 192. |
| —— latifolia | — | — |
| —— mascula | — | — |
| —— militaris | — | — |
| —— Morio | — | — |
| Origanum vulgare | — | 193. |
| Oryza sativa | — | — |
| Ovis Aries | — | 51. |
| Ovum | — | 211. |
| Oxycarbonas Plumbi | — | 194. |
| —— Zinci | — | 195. |
| —— —— præparatus | II. | 181. |
| Oxycoccus europæus | I. | 288. |
| Oxydum Arsenici album | — | 195. |
| —— Hydrargyri rubrum | II. | 181. |
| —— Plumbi semivitreum | I. | 203. |
| —— Zinci | II. | 182. |
| —— —— nativum | I. | 195. |
| Oxymel Æruginis | II. | 126. |
| —— scillinum | — | 184. |
| —— simplex | — | — |
| Oxymurias Hydrargyri | — | — |


## P.


| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Papaver album | I. | 204. |
| —— somniferum | — | — |
| Parmelia parietina | — | 164. |
| Phasianus Gallus | — | 211. |
| Phellandrium aquaticum | — | 215. |
| Phosphorus | II. | 188. |
| Pilulæ alliatæ | II. | 190. |
| —— Aloës | — | 191. |
| —— —— et Stalagmitidis | — | — |
| —— —— fœtidæ | — | — |
| —— amaræ ferratæ | — | 192. |
| —— Assæ fœtidæ comp. | — | — |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Pilulæ cathartico-diureticæ | II. | 192. |
| —— Chelidonii | — | 193. |
| —— —— compositæ | — | — |
| —— Colocynthidis ferratæ | — | — |
| —— —— stibiatæ | — | 194. |
| —— Digitalis | — | — |
| —— Guajaci compositæ | — | 195. |
| —— gummi-resinosæ fœtidæ | — | — |
| —— Humuli Lupuli | — | — |
| —— Nitratis Argenti | — | 196. |
| —— Oxymuriatis Hydrargyri | — | — |
| —— piceæ | — | 197. |
| —— Rhei compositæ | — | — |
| —— Scillæ | — | — |
| —— —— compositæ primæ | — | 198. |
| —— —— —— secundæ | — | — |
| —— Sodæ | — | 199. |
| —— Submuriatis Hydrargyri | — | — |
| —— —— stibiatæ | — | — |
| —— Suboxydi Hydrargyri | — | 200. |
| —— —— nigri | — | 201. |
| —— Subsulphatis Cupri | — | — |
| Pimpinella Anisum | I. | 216. |
| Pinus Abies | — | 217. |
| —— Laryx | — | — |
| —— sylvestris | — | 219. |
| Piper album | — | 222. |
| —— hispanicum | — | 74. |
| —— indicum | — | — |
| —— jamaicense | — | 187. |
| —— longum | — | 221. |
| —— nigrum | — | 222. |
| Pix | — | 219. |
| — abiegna | — | 216. |
| — alba | — | — |
| — burgundica | — | — |
| Plantago aquatica | — | 15. |
| Plumbum | — | 223. |
| —— aceticum | II. | 280. |
| —— oxydulatum carbonicum | I. | 194. |
| Polenta avenacea | — | 63. |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Polygala amara | I. | 225. |
| Polypodium Filix mas | — | 58. |
| Poma | — | 228. |
| —— Aurantiorum | — | 93. |
| Port-wine | II. | 315. |
| Potassa fusa | — | 202. |
| —— liquida | — | 205. |
| Potio oxygenata | — | 229. |
| Potus acidus mineralis | — | 206. |
| —— —— vegetabilis | — | 207. |
| —— piceus | — | — |
| —— —— Berkeleyi | — | 178. |
| —— refocillans | — | 207. |
| Prunus domestica | I. | 226. |
| —— Padus | — | 227. |
| Pulpa Colocynthidis | — | 111. |
| —— pomorum | II. | 208. |
| —— prunorum | — | — |
| Pulvis absorbens | — | 209. |
| —— adstringens | — | — |
| —— Aluminis compositus | — | 210. |
| —— aromaticus | — | — |
| —— Aspidii compositus | — | 211. |
| —— carbonis acidulus | — | — |
| —— Cinchonæ succedaneus | — | 212. |
| —— Doveri | — | 214. |
| —— Guajaci compositus | — | 212. |
| —— —— ammoniatus | — | — |
| —— —— opiatus | — | 213. |
| —— —— stibiatus | — | — |
| —— Jalappæ compositus | — | — |
| —— —— et Submuriatis Hydrargyri | — | 214. |
| —— Ipecacuanhæ | — | — |
| —— —— opiatus | — | — |
| —— —— stibiatus | — | 215. |
| —— Muriatis Ammoniæ stibiatus | — | — |
| —— Nitratis Potassæ comp. | — | 216. |
| —— pro suffitu | — | — |
| —— Quercus compositus | — | — |
| —— Rhei compositus | — | 217. |
| —— —— et Submuriatis Hydrargyri | — | — |
| —— Sabinæ compositus | — | 218. |

Pars. Pagina.

Pulvis Salicis compositus II. . 218.
—— Spongiæ —— — . —
—— Submuriatis Hydrargyri compositus — . 219.
—— Sulphuris compositus — . —

Pars. Pagina.

Pulvis Supertartr. Potas. comp. II. . 219
—— —— Potassæ et Digitalis — . 220.
—— Tanaceti compositus — . —
Pyrus Malus . . . . . I. . 228.

## Q.

Quassia amara . . . . . I. . 229.
—— excelsa . . . . . — . —

Quercus Cerris . . . . . I. . 230.
—— Robur . . . . . — . 231.

## R.

Radix Bardanæ . . . . . I. . 49.
—— Caryophyllatæ . . — . 129.
—— Colombo . . . . . — . 105.
—— Filicis . . . . . . — . 58.
—— Jalappæ . . . . . — . 108.
—— Ipecacuanhæ . . . — . 72.
—— Liquiritiæ . . . . — . 131.
—— Ratanhiæ . . . . . — . 153.
—— Salab vel Salep . — . 192.
—— Zingiberis . . . . — . 22.
Raphanus rusticanus . . — . 103.
Rasura cornu Cervi . . . — . 83.
Regulus Antimonii . . . . II. . 239.
Resina abiegna . . . . . I. . 215.

Resina balsami pineo-sylvestris I. . 219.
Rheum palmatum . . . . — . 233.
Rhododendron Chrysanthum — . 235.
Rhus Cotinus . . . . . . . — . 237.
Roob Carotæ . . . . . . II. . 221.
—— Juglandis . . . . . — . —
—— Juniperi . . . . . . — . —
—— Oxycocci . . . . — . —
Rosa centifolia . . . . . I. . 238.
—— gallica . . . . . . . — . —
Rosmarinus officinalis . . . — . 239.
Rubigo Ferri præparata . II. . 256.
Rubus Chamæmorus . . . I. . 240.

## S.

Saccharum . . . . . . . I. . 242.
—— lactis . . . . . — . 66.
—— officinarum . . . — . 242.
—— Saturni . . . . . II. . 280.
Sal ammoniacum depuratum — . 144.
— anglicanum. . . . . . I. . 270.
— catharticus amarus . . — . 269.
— commune . . . . . . . — . 185.
— cornu Cervi . . . . . II. . 116.
— gemmæ . . . . . . . I. . 185.
— mirabilis Glauberi . II. . 272.
— polychrestum Seignetti I. . 279.
— volatile cornu Cervi . II. . 240.
— —— salis Ammoniaci — . —
Salix alba . . . . . . . I. . 245.

Salix amygdalina . . . . . I. . 245.
—— fragilis . . . . . . . — . —
—— laurea . . . . . . . . — . —
—— pentandra . . . . . — . —
—— vitellina . . . . . . — . —
Salvia officinalis . . . . . — . 247.
Sambucus nigra . . . . . — . 248.
Sapa . . . . . . . . . . — . 295.
Sapo albus . . . . . . . — . 249.
—— alicantinus . . . . . — . —
—— guajacinus . . . . . II. . 222.
—— hispanicus . . . . . I. . 249.
—— massiliensis . . . . . — . —
—— oleosus . . . . . . — . —
—— piceus . . . . . . . II. . 222.

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Sapo pineo-oleosus | II. | 222. |
| —— sebaceus | I. | 250. |
| —— stibiatus | II. | 223. |
| —— Wologdensis | I. | 250. |
| Saponaria officinalis | — | 251. |
| Saturnus | — | 223. |
| Scammonium | — | 110. |
| Scilla maritima | — | 253. |
| Secale cereale | — | 254. |
| Semen Anisi | — | 214. |
| —— Cynæ | — | 57. |
| —— Fœniculi | — | 25. |
| —— Lini | — | 165. |
| —— Lycopodii | — | 166. |
| —— Santonici | — | 57. |
| Serpentaria Virginiana | — | 52. |
| Serum lactis | II. | 224. |
| —— —— acetatum | — | — |
| —— —— aluminatum | — | — |
| —— —— sinapinum | — | 225. |
| —— —— vinosum | — | — |
| Sesamum orientale | I. | 256. |
| Sevum bovillum | II. | 18. |
| ——— bubulum | I. | 67. |
| ——— ovillum | I. | 51. |
| | II. | 18. |
| Sinapis nigra | I. | 257. |
| Sisymbrium Nasturtium | — | 263. |
| Smellome's ointment | II. | 304. |
| Soda impura | I. | 267. |
| Solanum Dulcamara | — | 268. |
| Solutio Acetatis Cupri et Muriatis Ammoniæ | II. | 226. |
| ——— ——— Zinci | — | — |
| ——— Arsenici et Nitratis Potassæ | — | 227. |
| ——— Arsenitis Potassæ | — | 228. |
| ——— Assæ fœtidæ | — | — |
| ——— Hahnemanni saponacea | I. | 202. |
| ——— HyperoxymuriatisPotassæ | II. | 229. |
| ——— Muriatis Ammoniæ acetata | — | — |
| ——— ——— Barytæ | — | — |
| Solutio Muriatis Calcariæ | II. | 230. |
| ——— Nitratis Argenti | — | — |
| ——— ——— ——— opiata | — | — |
| ——— Oxymuriatis Hydrargyri | — | — |
| ——— Phosphori ætherea | — | 231. |
| ——— Potassæ camphorata | — | — |
| ——— Saponis | — | — |
| ——— Subacetatis Cupri | — | 232. |
| ——— Sulphatis Zinci | — | — |
| ——— ——— ——— aluminata | — | — |
| ——— Superacetatis Plumbi | — | 233. |
| ——— ——— ——— alcoholisata | — | — |
| ——— Supersulphatis Zinci | — | 234. |
| ——— Tartratis Stibii | — | — |
| ——— ——— ——— camphorata | — | 235. |
| Spathum ponderosum | I. | 269. |
| Species Althææ compositæ | II. | 235. |
| ——— aromaticæ | — | — |
| ——— Chamomillæ compositæ | — | 236. |
| ——— Guajaci compositæ | — | — |
| ——— Pini compositæ | II. | 237. |
| ——— resolventes | — | — |
| ——— sopientes | — | 238. |
| Spiritus cornu Cervi | — | 182. |
| ——— Frumenti depuratus | — | 22. |
| ——— Mindereri | — | 3. |
| ——— salis Ammoniaci aquosus | — | 242. |
| ——— — ——— causticus | — | 25. |
| ——— — ——— volatilis vinosus | — | 22. |
| ——— vini camphoratus | — | 24. |
| ——— — rectificatissimus | — | 21. 24. |
| ——— vitrioli | — | 16. |
| Spongia cerata | — | 238. |
| ——— marina | I. | 260. |
| ——— ——— usta | II. | 46. |
| ——— officinalis | I. | 260. |

| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Stalagmitis Cambogioides | I. | 261. |
| Stibium | II. | 239. |
| ——— purum | — | — |
| ——— oxydulatum fuscum | — | 258. |
| ——— sulphuratum nigrum lævigatum | — | 279. |
| Strychnos nux vomica | I. | 263. |
| Subboras Sodæ | — | 264. |
| Subcarbonas Ammoniæ | II. | 240. |
| ——— ——— liquidus | — | 242. |
| ——— Magnesiæ | — | 243. |
| ——— Potassæ depuratus | II. | 244. |
| ——— ——— liquidus | — | 247. |
| ——— ——— venalis | I. | 266. |
| ——— Sodæ depuratus | II. | 248. |
| ——— ——— venalis | I. | 267. |
| Submurias Hydrargyri | II. | 250. |
| Subnitras Bismuthi | — | 255. |
| ——— Hydrargyri et Ammoniæ | — | 257. |
| Suboxydum Ferri præparatum | — | 256. |
| ——— Hydrargyri cinereum | — | 257. |
| ——— ——— nigrum | — | — |
| ——— Stibii fuscum | — | 258. |
| ——— ——— hydrosulphuratum | — | 259. |
| Subphosphas Calcariæ | — | 261. |
| ——— ——— stibiatus | — | 262. |
| ——— Sodæ | — | 263. |
| ——— Cupri et Ammoniæ | — | 264. |
| Succi plantarum spissati | — | 266. |
| Succinum | I. | 267. |
| Succus betulinus | — | 63. |
| ——— Citri | — | 100. |
| ——— Cochleariæ compositus | II. | 265. |
| ——— fol. Aconiti spissat. | — | 266. |
| Succus foliorum Hyoscyami nigri spissatus | II. | 267. |
| ——— herbæ Atropæ Belladonnæ spissatus | — | 268. |
| ——— ——— Chelidonii majoris spissatus | — | — |
| ——— Oxycocci nitratus | — | 265. |
| ——— putaminis immaturi Juglandis r. spissatus | — | 268. |
| Sulphas Barytæ nativus | I. | 269. |
| ——— Ferri | II. | — |
| ——— Magnesiæ | I. | — |
| ——— Potassæ | II. | 271. |
| ——— Sodæ | — | 272. |
| ——— Zinci | — | 274. |
| Sulphur auratum Antimonii | — | 259. |
| ——— depuratum | — | 276. |
| ——— nativum | I. | 271. |
| ——— stibiatum aurantiacum | II. | 259. |
| ——— sublimatum | — | 276. |
| Sulphuretum Calcariæ | — | 278. |
| ——— Stibii lævigatum | — | 279. |
| ——— ——— nativum | I. | 274. |
| Superacetas Plumbi crystallisatus | II. | 280. |
| ——— ——— liquidus | — | 281. |
| Supersulphas Aluminæ et Potassæ | I. | 275. |
| ——— ——— fusus | II. | 283. |
| ——— Cupri | — | — |
| Supertartras Potassæ | I. | 277. |
| Sus Scrofa | — | 280. |
| Syrupus alliatus | II. | 285. |
| ——— Citri Aurantii | — | — |
| ——— Diacodii | — | 286. |
| ——— Heraclei | — | — |
| ——— melassus | I. | 242. |
| ——— opiatus | II. | 286. |
| ——— Scillæ | — | — |
| ——— simplex | — | 287. |
| ——— Zingiberis | — | — |

## T.


| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Tanacetum vulgare | I. | 280. |
| Tartarus boraxatus | — | 279. |
| ——— depuratus | — | 277. |
| ——— emeticus | II. | 287. |
| ——— stibiatus | — | — |
| ——— tartarisatus | I. | 279. |
| ——— vitriolatus | II. | 271. |
| Tartras Potassæ | I. | 279. |
| ——— ——— et Ammoniæ | — | — |
| ——— ——— Sodæ | — | — |
| ——— Stibii et Potassæ | II. | 287. |
| Terebinthina argentoratensis | I. | 219. |
| ——— cocta | — | 216. |
| ——— communis | — | 219. |
| ——— larigna | — | 217. |
| Terra argillacea pura | II. | 25. |
| —— bolaris | — | — |
| —— Catechu | I. | 1. |
| —— Japonica | — | — |
| —— ponderosa pura | II. | 38. |
| —— ——— salita | — | 148. |
| Testæ ovorum | I. | 211. |
| Thus | — | 150. |
| Thrausma | — | 137. |
| Thymus Serpyllum | — | 281. |
| Tinctura Aconiti | II. | 290. |
| ——— ——— composita | — | — |
| ——— aromatica | — | — |
| ——— ——— acidulata | — | 291. |
| ——— ——— sulphurica | — | — |
| ——— Assæ ammoniata | — | — |
| ——— Calami | — | — |
| ——— Catechu | — | 292. |
| ——— Cinchonæ | — | — |
| ——— ——— composita | — | — |
| ——— Coccionellæ septempunctatæ | — | 293. |
| ——— Digitalis | — | — |
| Tinctura Digitalis composita | II. | 294. |
| ——— Eucalypti | — | — |
| ——— Gei urbani | — | — |
| ——— Gentianæ composita | — | — |
| ——— ——— ammoniata | — | 295. |
| ——— Humuli | — | — |
| ——— Hyoscyami | — | 296. |
| ——— Lyttæ | — | — |
| ——— Cantharidum | — | — |
| ——— Moschi | — | — |
| ——— Whyttii | — | 295. |
| ——— Muriatis Ferri | — | 297. |
| ——— ——— ——— alcoholisata | — | — |
| ——— Myrrhæ | — | 298. |
| ——— Opii | — | — |
| ——— ——— ammoniata | — | — |
| ——— ——— camphorata | — | 299. |
| ——— ——— crocata | — | — |
| ——— Potassæ fusæ | — | 300. |
| ——— Rhei amara | — | — |
| ——— Scillæ | — | 301. |
| ——— Sennæ composita | — | — |
| ——— Valerianæ composita | — | 302. |
| ——— ——— ammoniata | — | — |
| ——— ——— camphorata | — | — |
| Tormentilla erecta | I. | 282. |
| Trifolium fibrinum | — | 180. |
| ——— Melilotus officinalis | — | 283. |
| Triticum æstivum et hybernum | — | 284. |
| Trochisci Spongiæ compositi | II. | 302. |
| Turiones pineo-sylvestres | I. | 219. |
| ——— Pini | — | 215. |
| Tussilago Farfara | — | 286. |


## U.


| | Pars. | Pagina. |
|---|---|---|
| Ulmus campestris | I. | 287. |
| Unguentum Acetatis Cupri | II. | 303. |
| Unguentum Acet. Cupri compos. primum | II. | 303. |

Pars. Pagina.

Unguent. Acetatis Cupri compos. secundum II. . 303.
——— Acidi sulphurici — . 304.
——— betulinum . — . —
——— Conii . . . — . —
——— Hydr. Cyrilli — . 186.
——— inulinum . . — . 305.
——— mercuriale . — . 310.
——— Nitratis Hydrargyri fortius — . 305.
——— ——— Hydrargyri mitius — . —
——— nitricatum fortius — . 306.
——— ——— mitius — . —
——— Olivi ceratum — . —
——— Oxydi Arsenici albi — . —
——— ——— Arsenici compositum — . 307.
——— ——— Hydrargyri aluminatum — . —
——— Oxydi Hydrargyri hyoscyamin. — . —
——— Oxydi Hydrar. r. — . —
——— ——— Hydrargyri Zincique — . —

Pars. Pagina.

Unguentum phosphoricatum II. . 308.
——— Picis ceratum — . —
——— ——— sulphuratum — . —
——— resinoso-ceratum primum — . 309.
——— resinoso-ceratum secundum — . —
——— resinosum . . — . —
——— Salicis . . I. . 246.
——— saturninum . II. . 312.
——— simplex . . — . 309.
——— stibiatum . . — . 310.
——— Suboxydi Hydr. — . —
——— ——— Hydrargyri nigri — . 311.
——— ——— Hydrargyri nigri compos. — . —
——— sulphuratum . — . 312.
——— ——— compositum — . —
——— Superacetatis Plumbi — . —
——— Tittmanni — . 182.
——— Zinci . . . — . 54.
Uva . . . . . . . . . . I. . 295.
— passa . . . . . . . — . —

## V.

Vacca . . . . . . . . I. . 66.
Vaccinium Oxycoccos . . — . 288.
Valeriana officinalis . . — . —
Vapores Acidi acetici . . II. . 313.
——— ——— muriatici . — . —
——— ——— nitrici . . — . —
——— ——— oxymuriatici — . —
——— ——— sulphurici . — . 314.
Vasa fumigatoria antiloimica — . —
Veratrum album . . . . I. . 292.
——— Sabadilla . . — . 293.
Verjus . . . . . . . . — . 229.
Veronica Beccabunga . . — . 293.
Vervex . . . . . . . . . I. . 51.
Vinacea . . . . . . . . — . 295.
Vinum . . . . . . . . . — . —
——— lusitanicum artefactum II. . 315.
——— scillites . . . . . — . —
——— ——— juniperinum — . 316.
——— stibiatum . . . . — . —
Vitis vinifera . . . . . . I. . 294.
Vitriolum album . . . . II. . 274.
——— cœruleum . . . — . 283.
——— Martis . . . . — . 269.
Vitulus . . . . . . . . I. . 66.

## Z.

Zincum oxydatum album . II. . 182.
Zincum sulphuricum . . II. . 274.

# INDEX

## Paginarum morbos eorumque Curationes sistentium.

### A.


Abortus. I. pagina 5.
Abscessus. I. 29, 84, 127, 138, 166, 285. II. 79.
——— pulmonum. II. 87.
Acholia. (defectus bilis.) II. 39, 86.
Achores. I. 34, 43, 56, 134. II. 43, 219, 227, 243, 249.
Acor primarum viarum. I. 46, 125, 129, 232, 234. II. 30, 38, 39, 43, 88, 95, 97.
Adenemphraxis. (obstructio, induratio, infarctio glandularum.) I. 5, 8, 36, 42, 46, 126, 144, 233. II. 279, 306.
——— mesenterica, (obstructio glandularum et vasorum mesenterii) I. 42, 86, 107.
Adiapneustia. (transpiratio suppressa.) I. 206.
Adusta, (Ambustura.) I. 8, 148, 191, 208, 212. II. 32, 34, 53, 56, 127, 128, 233, 234.
Agalactia. (defectus lactis.) I. 25, 78. II. 78.
Algema hæmorrhoidale. II. 161.
Alopecia. (defluvium capillorum.) I. 50.
Alvifluxus viridis infantum. (Prasina alvi excrementa.) I. 234. II. 43, 243, 245, 247.
Amavrosis. (Gutta serena.) I. 11, 55, 75, 107, 170, 290. II. 15, 167, 187, 241, 267.
Amenorrhœa, (Defectus menstruorum. Catameniorum retentio, suppressio. Menstruatio dolorifica, tarda.) I. 20, 27, 34, 35, 42, 48, 55, 65, 81, 125, 138, 161, 169, 177, 179, 180, 193, 239, 256, 259, 274, 282. II. 95, 145, 168, 218, 228, 267.
Amnesia. (defectus memoriæ.) I. 239.
Anaphrodisia. (Impotentia virilis.) I. 39, 40, 160. II. 128, 296.
Anasarca. vide Hydrops.
Anæsthesia. (sensibilitas imminuta.) II. 26.
Anchylosis. (Contractura membrorum.) I. 11, 43, 46, 152, 250. II. 167.
Anevrisma aortæ. I. 118.
Angina. (Cynanche.) I. 8, 21, 29, 53, 127, 148, 166, 171, 232, 239, 247, 276. II. 102, 127.
——— gangrænosa. I. 92. II. 101.
——— maligna. II. 101, 136.
——— membranacea, polyposa, (Croup.) I. 118, 171.
——— parotidea. II. 77.
——— pectoris. (Stenocardia Breræ.) I. 118. II. 156, 261.
——— pituitosa. II. 147.
——— serosa. II. 101, 275.
——— spasmodica. I. 208.
——— stridula, trachealis. I. 118.
——— ulcerosa. I. 238. II. 101.
Anorexia. I. 23.
Anthrax. I. 127. II. 50.
Anxietas. (Angor.) I. 125, 207. II. 6.
Aphonia. (defectus vocis) I. 162.
Aphthæ. I. 8, 92, 116, 148, 235, 244, 247, 265. II. 16, 32, 102, 115, 245, 249, 275.
——— malignæ. II. 103.
Apoplexia. I. 33, 60, 81, 119, 170, 183, 253, 257, 290. II. 15, 147, 153, 168, 240, 288.
Arthritis. I. 135, 191, 257. II. 78, 189, 223.
Arthrodynia. (dolor artuum.) I. 11, 12, 23, 33, 39, 46, 48, 59, 64, 71, 104, 107, 126, 129, 135, 140, 144, 152, 157, 170, 171, 179, 183, 206, 218,

220, 221, 228, 229, 238, 250, 259, 274, 280, 287, 290, 299. II. 15, 38, 51, 78, 79, 96, 97, 110, 119, 131, 168, 170, 177, 192, 212, 223, 232, 241, 261, 266, 277, 278, 279, 290, 295, 296, 300, 302, 308.

Arthropuosis. (abscessus in articulatione.) II. 50.

Ascites. vide Hydrops.

Asphyxia. I. 174, 188, 240. II. 7, 61, 107, 147, 168.

Asthenia muscularis. (Debilitas musculorum. Fibræ muscularis laxitas.) I. 39, 229. II. 36, 104.

Asthma. I. 16, 25, 26, 29, 73, 81, 87, 93, 102, 104, 109, 118, 135, 138, 145, 151, 161, 170, 175, 180, 182, 193, 207, 214, 226, 239, 244, 253, 257, 261, 292. II. 7, 22, 26, 107, 135, 143, 148, 150, 178, 183, 241, 246, 260, 276, 315.

Asthma arthriticum. I. 126, 157. II. 20.

——— convulsivum. (Caducum pulmonum.) I. 126, 156.

——— Millari. I. 182.

——— spasmodicum. II. 20, 135.

Ataxia. I. 125, 183. II. 59.

Atrophia. I. 20, 39, 40, 55, 85, 94, 109, 211, 212, 232, 233, 234, 251, 263. II. 6, 96, 148, 150, 245, 247, 249, 254, 270, 271, 273.

## B.

Balbuties. I. 162.

Bilis inertia. I. 129.

Blennorrhagia. (effluvium muci activum.) I. 21, 62, 74, 131, 166, 208, 218. II. 163, 204, 282.

Blennorrhœa. (effluvium muci passivum.) I. 14, 65, 107, 151, 153, 165, 169, 186, 218, 223, 227, 231, 232, 256, 276. II. 5, 32, 84, 96, 111, 123, 150, 158, 170, 186, 204, 223, 230, 233, 234, 275, 282, 284, 300.

Blennorrhœa lacrymalis. II. 275.

Borborygmi, (inflatio, flatulentia, flatus.) I. 71, 73, 77, 87, 159, 178, 179, 180, 208, 221, 247. II. 20, 119, 161, 170, 175, 180, 192, 197, 211, 217, 243, 272.

Bradypepsia (lenta digestio) I. 23, 82, 109, 221, 222. II. 270.

Bubo pestilentialis. II. 157.

—— syphiliticus. I. 17, 127, 250. II. 157.

## C.

Cachexia. I. 43, 244. II. 86, 225, 229.

Cacochymia. II. 140.

Calculi ductus choledochi. I. 46. II. 177.

Callus. II. 157.

Capitis morbi. I. 217.

Carcinoma. I. 50, 60, 65, 199, 206, 218, 277. II. 5, 49, 150, 186, 254, 281.

——— uteri. II. 43.

Cardialgia. I. 21, 39, 43, 44, 73, 180, 228. II. 20, 21, 46, 136, 173, 245.

Cardiopalmus. (Palpitatio cordis.) I. 118, 144, 207. II. 267.

Cardiotromus. (tremor cordis.) I. 118, 144, 207. II. 267.

Caries. I. 13, 20, 30, 48, 94, 107, 126, 138, 152, 157, 161, 238. II. 13, 171, 172, 175, 178, 186, 298.

Carunculæ urethræ. II. 157.

Catalepsis. I. 42, 93, 183, 290, 293. II. 167, 246.

Cataracta. I. 265. II. 267.

Catarrhus. I. 7, 18, 26, 34, 36, 48, 55, 68, 85, 93, 94, 131, 161, 164, 166, 171, 177, 206, 215, 226, 253, 286.

II. 26, 111, 123, 138, 141, 145, 260, 276, 316.
Cephalalgia. (Cephalæa.) I. 8, 32, 93, 103, 118, 125, 157, 171, 257, 282. II. 7, 20, 26, 52, 103, 161, 168, 240, 267.
Chlorosis. I. 29, 39, 69, 125, 128, 129, 130, 161, 165, 174, 175, 179, 180, 239, 253, 259. II. 95, 96, 141, 145, 148, 150, 207, 228, 270.
Cholera. I. 24, 94, 105, 207, 278. II. 46, 61.
Clavi. I. 19. II. 7, 79.
Cnesmus. (pruritus) I. 10, 11, 56.
Coma. I. 18, 75. II. 52,
Commotio cerebri. I. 170.
Condyloma. (Porrus.) I. 152, 172. II. 35, 157, 284.
Congestio. (Anarrhopia.) I. 157, 171. II. 13.
Contusio. I. 8, 55, 71. II. 34, 53, 99, 127, 146, 232.
Convulsio. I. 33, 93, 99, 170, 182, 183, 199, 207. II. 15, 20, 59, 61, 96, 167.
Cophosis. (Auditus gravis. Paracusis. Surditas.) I. 17, 18, 170, 250. II. 7, 241.
Corneæ maculæ. I. 30, 69, 157, 245, 265, 291. II. 40, 150, 187, 224, 283, 308.
——— opacitas. II. 4.
——— proptosis. II. 129.
——— ulcera. II. 158, 233.
——— varicosi tumores. II. 157.
Coxalgia. II. 186, 192, 253.
Crusta lactea. I. 167, II. 32, 43, 251, 277, 279.
Cutis maculæ, (asperitas, pustulæ, maculæ faciei.) I. 2, 65, 151. II. 165.
Cystitis. (inflammatio vesicæ urinariæ.) II. 74.
Cystirrhœa. I. 49. II. 61.

## D.

Debilitas ligamentorum. II. 36.
——— (imbecillitas, languor, atonia,) ventriculi. I. 22, 102, 129, 160, 179, 194, 221, 222, 239. II. 39, 84, 88, 95, 119, 180, 291.
Deliria. I. 171.
Dentium vacillatio. I. 2, 83.
Diabetes. (Polyuria.) I. 2, 35, 49, 64, 68, 101, 138, 169. II. 31, 270, 296.
Dialeipyra. (Febris intermittens.) I. 10, 11, 13, 14, 18, 27, 41, 42, 53, 54, 55, 68, 72, 75, 80, 82, 83, 86, 91, 101, 102, 109, 128, 129, 130, 137, 163, 164, 165, 177, 180, 198, 208, 213, 222, 227, 229, 231, 232, 238, 246, 257, 261, 263, 276, 280, 283, 287, 291. II. 6, 43, 95, 96, 110, 140, 145, 148, 167, 173, 177, 190, 215, 217, 227, 231, 241, 253, 260, 264, 266, 270, 274, 279, 284.
Diarrhœa. (cita alvus. alvi profluvium.) I. 1, 3, 10, 21, 24, 25, 30, 53, 55, 62, 73, 74, 83, 85, 93, 102, 105, 130, 131, 137, 151, 153, 166, 177, 179, 186, 192, 194, 207, 212, 215, 229, 231, 240, 276, 278, 283, 285, 287. II. 43, 57, 59, 61, 71, 74, 84, 87, 90, 92, 121, 125, 133, 136, 137, 174, 211, 214, 217, 224, 225, 292.
Diarrhœa oxodes. (ab acore primarum viarum). II. 31.
Distichiasis. (Entropium.) II. 308.
Distorsio. II. 53, 127, 232.
Dolores puerperarum. (Dolores post partum.) I. 27, 81. II. 267.
——— spasmodici. II. 131.
Durities ligamentorum. I. 135. II. 71.
——— telæ cellulosæ. I. 191.
Dyscatabrosis. (Deglutitio difficilis) I. 209.
Dysenteria. I. 1, 3, 10, 21, 24, 30, 33, 35, 52, 53, 55, 60, 62, 68, 69, 73, 85, 93, 101, 102, 105, 130, 137, 157, 166, 171, 177, 186, 191, 192, 194, 207, 229, 234, 263, 276, 283, 285, 287, 299. II. 31, 43, 59, 61, 74, 87,

88 96. 121, 136, 137, 163, 179, 211, 214, 247, 252, 263, 277 284.
Dysmenorrhœa vide Amenorrhœa.
Dysodontiasis. (Dentitio difficilis.) I. 144, 234. II. 133.
Dyspepsia. (Colluvies pituitosa. Pituita primarum viarum. Pituitæ adcumulatio.) I. 21, 23, 25, 26, 29, 39. 56, 57, 74, 77, 82, 87, 88, 105, 109, 125, 128, 129, 138, 159, 160, 174, 177, 179, 180, 215, 222, 229, 234, 299. II. 16, 43, 87, 96, 97, 148, 192. 197. 211, 218, 225, 228, 245, 247, 270, 273, 275, 298, 300.
Dysphagia. I. 170. II. 60, 61, 253.
Dyspnœa (respiratio difficilis) I. 55, 138, 174. II. 139, 228.
Dysuria. I. 10, 21, 35, 138, 166, 188, 192. II. 29, 61, 74, 123, 161, 297.

E.

Ecchymosis. (Ecchysis. Ecchymoma. Sugillatio.) I. 8, 32, 55, 157, 178, 179, 250. II. 24. 53, 99. 127, 146, 153, 233.
Eclampsia. I. 117, 158, 188, 300. II. 183, 204, 253.
Ectropium. II. 158.
Effluvia putrida et contagiosa. I. 8. II. 11, 12. 203. 314.
Elephantiasis. I. 199 II. 227.
Enteritis. I. 33. 171, 191. 208. II. 160.
Enterodynia. I. 24, 25, 99 156, 178, 188, 206 212, 215, 229, 292. II. 59. 165, 170, 172, 175, 245, 289.
——— arthritica. I. 229.
——— flatulenta. I. 21, 23, 27, 78, 80, 101, 125, 148, 177, 179, 215, 234, 247, 276. II. 43, 59, 77, 181.
——— hæmorrhoidalis. I. 125.
——— rheumatica. I. 135.
——— saturnina. (plumbea.) I. 2, 68, 127, 186, 191, 244, 270. II. 163, 284.
——— spastica. I. 80, 170, 290. II. 59. 61, 77, 161, 174, 254.
——— verminosa. II. 59, 96.
Enuresis. (Uracratia.) I. 2, 40, 49, 169, 241, 276. II. 270, 296.
Epilepsia. I. 14, 43, 54, 59, 93, 99, 111, 117, 125, 144, 156, 170, 183, 199, 207, 290, 292, 293. II. 5, 15, 20, 27, 96, 113, 143, 156, 157, 167, 168, 179, 189, 201, 227, 230, 246, 264, 267, 268, 275, 281, 302.
Epiphora. I. 20, 73, 81.
Epistaxis. I. 8, 41, 118, 153.
Eruptiones cutaneæ. II. 150.
Erysipelas. I. 157, 167, 179, 248. II. 81, 209, 233, 273.
——— solaris. I. 43.
Erythema. II. 209.
Exania. (Prolapsus ani.) I. 231, 232, 276. II. 57.
Exanthemata I. 32, 73. II. 16, 28, 168, 246, 273.
——— faciei chronica. I. 36.
——— polymorpha. II. 149.
——— retropulsa. I. 7, 53, 144, 170, 172, 183, 274, 290. II. 52, 78, 136, 189, 212, 241.
Excrescentiæ. II. 41.
Exostosis. I. 152.
Exulceratio uteri. I. 60.
——— palpebrarum. II. 224.

F.

Febres sine adfectione topica. II. 34.
Febris americana flava. (Febris tropica.) I. 75. II. 12.
Febris asthenica. I. 7, 91, 83. II. 4, 10, 11, 22.

Febris biliosa. I. 7, 141, 288, 299. II. 17, 43, 92 115.
—— catarrhalis. (Febris a perfrictione.) II. 4, 145, 155, 159, 263.
—— continua. I. 72.
—— exanthematica. I. 183. II. 155, 160.
—— gastrica. I. 278.
—— hectica. (Tabes purulenta.) I. 68, 84, 102, 192. II. 16, 141, 180.
—— hemitritæa. I. 238.
—— inflammatoria. (hypersthenica. sthenica.) I. 266, 271, 299. II. 4, 10, 17, 115.
—— intermittens. vide Dialeipyra.
—— lenta. I. 286.
—— maligna. I. 92. II. 11, 155, 252.
—— mucosa. II. 145.
—— nervosa. I. 169. II. 145.
Febris petechialis. II. 16.
—— putrida. I. 8, 35, 41, 53, 54, 92, 169 276, 288, 299 II. 43, 92, 145, 153, 224, 274.
—— remittens. I. 13, 82, 105, 229.
—— scarlatina. I. 92.
—— urticaria. II. 241.
Fistula ani. II. 21.
—— lacrymalis. II 158, 234.
Fluxus cœliacus. Morbus cœliacus. I. 1, 234.
Fracturæ. I. 71, 208. II. 146.
Frambæsia. II. 312.
Fungus articuli. I. 41, 138. II. 81, 146, 167.
Furunculus. I. 30, 166, 285. II. 50, 79, 145, 246.


G.


Ganglion. I. 200.
Gangræna. I. 7, 14, 53, 56, 57, 94, 157, 165, 170, 183, 232, 238, 240, 300. II. 15, 24, 48, 49, 53, 145, 178, 186, 241.
Gastritis. I. 208. II. 160.
Gastrodynia. II. 16, 170, 245.
Gingivarum laxitas. I. 154, 161. II. 43, 100, 101.
Glossocarcinoma. II. 10. 28.
Glossoplegia. (Paralysis linguæ.) I. 87, 101, 164, 170, 223. II. 147, 171.
Gonorrhœa. (Gonacrasia. Stillicidium geniturae.) I. 39, 232, 276. II. 96, 296.
Gutta rosacea. II. 32.


H.


Hæmatemesis. I. 41, 153. II. 96, 77.
Hæmaturia. (Mictus cruentus.) I. 73, 118, 153, 169. II. 31.
Hæmorrhagia. (Profluvium sanguinis activum.) I. 2, 3, 5, 30, 32, 39, 41, 55, 73, 118, 144, 179, 217, 239, 260. II. 15, 21, 40, 75, 96, 153, 160, 210, 224, 262, 270, 292.
—— ventriculi. I. 93.
Hæmorrhœa. (Profluvium sanguinis passivum.) I. 92, 165, 231, 232, 276, 299. II. 13, 177. 224.
—— faucium. I. 8.
Hæmorrhœa gingivarum. I. 8.
—— uteri. II. 13 96, 267.
Hæmorrhois. I. 2, 5, 20, 34, 35, 39, 48, 55, 65, 68, 71, 79, 118, 138, 231, 232, 265, 273, 278. II. 6, 57, 59, 96, 219, 273, 277.
Hæmoptysis. I. 2, 5, 21, 32, 55, 62, 68, 73, 85, 93, 151, 153, 171, 241, 278. II. 135, 150, 153, 160, 161, 163, 267, 280, 284.
—— angiorrhagica. I. 118.
Helminthiasis. (Ascarides. Lumbrici. Vermes.) I. 8, 18, 29, 39, 56, 57, 58, 64, 65,

69, 71, 82, 87, 93, 109, 116, 125, 128, 129, 132, 146, 147, 148, 149, 150, 152, 158, 181, 191, 220, 230, 235, 244, 263, 280, 291, 293, 295. II. 32, 39, 58, 61, 66, 85, 86, 95, 96, 113, 139, 151, 153, 163, 164, 170, 173, 174, 178, 183, 186, 214, 228, 254.
Hemicrania. I. 103, 118, 222, 290.
Hepatemphraxis.(Obstructio hepatis.)I. 42. 56, 126, 128, 138, 226, 251, 259. II. 28, 118.
Hepatitis. I. 171, 208. II. 10, 28, 118.
Hernia. I. 232. II. 282.
——— incarcerata. I. 8, 41, 118, 157, 188, 191, 206, 270. II. 61, 146, 254, 289.
Herpes. I. 11, 17, 18, 60, 65, 86, 94, 114, 128, 134, 140, 152, 163, 167, 169, 172, 174, 188, 199, 250, 259, 287, 292. II. 10, 11, 16, 32, 43, 49, 53, 118, 150, 153, 186, 197, 227, 242, 251, 258, 261, 275, 277, 279, 300, 304, 305, 309.
Hirudines deglutitæ. II. 153.
Hydrargyrosis. (Morbi ex abusu hydrargyri.) I. 48, 198, 274. II. 116.
Hydrarthrus. (Hydrops articuli.) I. 119, 138. II. 82, 146.
Hydrencephalus. II. 242.
Hydrocele. II. 146, 157, 206.
Hydrocephalus. I. 171, 183. II. 154, 253.
Hydrops. I. 14, 17, 18, 20, 56, 64, 65, 75, 82, 86, 104, 107, 109, 119, 126, 131, 132, 135, 138, 149, 163, 164, 165, 169, 171, 180, 188, 191, 199, 218, 241, 248, 251, 253, 257, 261, 265, 278, 287, 292, 299. II. 6, 7, 23, 56, 86, 87, 96, 111, 127, 135, 139, 145, 148, 156, 177, 193, 198, 199, 207, 214, 220, 241, 253, 260, 271, 273, 284, 288, 294, 296, 300, 315, 316.
Hydrosis. (Sudores excessivi.) I. 153, II. 270.
Hydrorachitis. (Spina bifida.) I. 214.
Hydrothorax. (Hydrops pectoris.) I. 111, 119, 161, 172, 253. II. 38. 69, 220.
Hyperæsthesia. (aucta sensibilitas.) I. 230, II. 20.
Hyperemesis. I. 207.
Hypersarcosis. (Caro luxurians. Carunculæ fungosæ.) I. 244. II. 5, 157, 202, 283.
Hypochondriasis. I. 5, 20, 27, 32, 42, 46, 48, 56, 69, 73, 80, 88, 93, 99, 106, 125, 129, 130, 138, 144, 163, 178, 179, 181, 207, 229, 234, 235, 251, 270, 290, 273. II. 12, 85, 86, 140, 148, 172, 179, 198, 207, 218, 237, 243, 277, 300.
Hypopion. II. 308.
Hysteralgia. I. 42.
Hysteria. I. 5, 27, 32, 46, 69, 71, 73, 80, 93, 99, 106, 125, 129, 130, 144, 148, 170, 178, 179, 181, 207, 229, 234, 256, 270, 273, 290. II. 7, 12, 15, 20, 21, 22, 27, 59, 167, 168, 172, 179, 228, 243, 246, 264, 275.
Hysteritis. II. 123.

## I. J.

Ichthyotosis. I. 216, 287.
Icterus. I. 20, 32, 36, 55, 56, 65, 73, 74, 86, 88, 107, 126, 127, 129, 138, 212, 251, 253, 261, 278. II. 39, 87, 96, 142, 148, 253, 268, 271, 273.
Ileus. I. 206, 270. II. 57, 61, 113, 163, 254.
Impetigines. (Fœditates cutis.) I. 35, 50, 65, 77, 94, 119, 138, 146, 163, 164, 274. II. 72, 74, 116, 151, 164, 223, 227, 246, 275.
Induratio prostatæ. I. 107.
——— ventriculi. II. 254.
Indurationes. I. 46. II. 82.

Infarctus (hypochondriacorum, Infarctus viscerum, splanchemphraxis abdominalis.) I. 29. II. 6, 237. videsis splanchemphraxis.
——— pulmonum. I. 86.
Inflammatio faucium. I. 248.
——— testiculorum. I. 107. II. 4, 233.
Inflammationes asthenicæ. II. 24.
——— topicæ. II. 257, 273, 282.
Intertrigo. (Excoriatio.) I. 3, 24, 167, 212. II. 25, 32, 53, 56, 80. 128, 181, 245.
Intestinorum intussusceptio. II. 113.
Ischialgia. I. 171.
Ischias nervosa. I. 11, 43, 48, 59, 169, 206, 236. II. 177, 266.
Ischuria. (Retentio urinæ.) I. 17, 18, 33, 35, 55, 167, 218, 241. II. 31, 61, 123, 223, 245, 253, 267.

## L.

Læsio ligamentorum. I. 220. II 178.
——— nervorum. I. 186, 220. II. 178.
——— tendinum. I. 186, 220. II 178.
Lepra. I. 42, 43. 94, 119, 128, 163, 169, 172, 216, 287. II. 150, 251.
Lethargus. I. 8, 170. II. 22, 240.
Leucoma. II. 129, 164.
Leucophlegmatia. I. 11, 128, 129, 180. II. 6, 23, 38. 96.
Leucorrhœa. I. 35, 39, 48, 49, 107, 151, 152, 153, 169. 179, 232, 247, 256, 269, 276. II. 67, 84, 90, 96, 150, 186, 207, 234, 280, 282, 300.
Lichenes. I. 265.
Lienteria. I. 1, 49, 85, 101, 179. II. 84, 121.
Ligamentorum atonia. II. 21.
Lochia dolorifica. I. 208.
Lochiorum defectus. I. 177.
——— nimius fluxus. I. 153.
Lumbago. I. 43, 48.
Luxatio. I. 157, 191, 232. II. 34, 53, 146.
Lypothimia. (Deliquium animi. Defectio animi.) I. 33, 81, 125, 162. II. 154, 168, 240.
Lythialgia. I. 167.

## M.

Macies. I. 62, 244.
Mammarum induratio. I. 179.
Mania. I. 32, 60, 73, 93, 118, 144, 157, 171, 183, 292, 293. II. 6, 136, 157, 214, 267.
Marasmus senilis. I. 94.
Mariscæ hæmorrhoidales. (Tuberculi hæmorrhoidales. Varix ani.) I. 127, 144, 265, 285.
Mastocarcinoma. I. 93.
Melancholia. I. 60, 73, 118, 126, 128, 144, 163, 293. II. 6, 237, 253, 267, 281, 288.
Melæna. (Vomitus niger.) I. 75, 278.
Menorrhagia. (Menstruorum profluvium activum.) I. 2, 5, 49, 153. II. 280.
Menorrhœa (Menstruorum profluvium passivum.) II. 96.
Mentis alienatio. I. 133.
Mesenteremphraxis. (obstructio glandularum et vasorum mesenterii.) I. 42, 68, 86. II. 26, 45, 150.
Metastases. I. 172. II. 38, 246.
Meteorismus. I. 41, 157, 207. II. 119.
Metroptosis. (Prolapsus uteri.) I. 231, 232, 260, 276, 283.
Metrorrhagia. (Hæmorrhagia uteri activa.) I. 8, 32, 41, 55, 73, 93, 99, 118, 130, 152, 153, 207, 247, 256, 276.
Mictus mucosus. II. 31.
Morbi asthenici. I. 26. II. 6.
——— chronici oculorum. II. 183, 187.

Morbi chronici nervorum. I. 108. II. 12.
—— contagiosi. I. 26. II. 16.
—— convulsivi. I. 93, 156.
—— cutis. I. 50, 109. II. 37, 71, 233.
—— inflammatorii putridi. I. 92.
—— ossium. II. 13.
—— pulmonum. I. 82. II. 7.
—— —————— asthenici. II. 198, 276.
Morbilli. I. 7, 82 92, 156, 170, 248, 291.
Morsura animalium venenatorum. II. 157.
——— aranearum. I. 60.
——— aspidum. I. 60.
——— Beri. II. 26.
——— Boiciningæ. I. 53.
——— canis rabidi. II. 153, 203, 206, 242.
——— insectorum. I. 158, 191. II. 127.
——— scorpionum. I. 60.
Morsura serpentum. I. 114, 191. II. 22, 26, 203, 242.
——— tarantulæ. II. 163, 164.
——— viperarum. II. 241, 242.
Myodynia rheumatica. (Rheumatalgia.) I. 11, 12, 26, 40, 43, 46, 50, 53, 59, 64, 71, 103, 107, 126, 135, 141, 144, 152, 157, 164, 171, 179, 206, 215, 218, 220, 227, 236, 250, 257, 259, 261, 268, 290, 300. II. 4, 15, 20, 24, 27, 37, 42, 51, 71, 78, 79, 82, 96, 110, 119, 127, 131, 153, 160, 168, 177, 186, 192, 200, 212, 213, 214, 223, 225, 231, 232, 241, 253, 257, 261, 266, 277, 279, 290, 295, 296, 316.
Myositis rheumatica. (Rheumatismus. Rheumatica inflammatio.) I. 34. 118, 135. II. 20, 31, 116, 136, 168, 266.

## N.

Nausea. I. 99, 160, 175, 229.
Nævus maternus. I. 172, 265. II. 157.
Narcotismus. II. 20, 57.
Necrosis. II. 241.
———— digitorum. I. 208.
Nephelium. I. 30.
Nephralgia. I. 29.
Nephritis I. 42, 131, 157, 166, 191, 253. II. 74, 123, 160.
Nevrantistases astheniæ notas ferentes. I. 12.
———— stheuicæ. I. 7, 21.
Nevrasthenia. (Nevroblacia. Debilitas nervorum.) I. 7, 13, 87. II. 30, 95, 225.
Nostalgia. I. 75.
Nyctalopia. II. 62.

## O.

Obesitas. II. 38.
Obstipatio alvi. (Alvus obstructa. Alvus tarda.) I. 8, 20, 79, 93, 109, 125, 188, 191, 212, 218, 222, 226, 235, 250, 261, 270, 278. II. 6, 43, 57, 61, 111, 113, 163, 191, 192, 197, 214, 272.
Obstructio lienis. I. 42, 55, 86.
———— ramorum venæ portarum. I. 138.
———— uteri. I. 42.
Obstructiones chronicæ. I. 248.
Oculorum morbi. I. 86, 217. II. 4.
——— ——— asthenici. II. 63.
——— panni. II. 5, 129, 187, 277, 284.
Odontalgia. I. 23, 103, 123, 144, 157, 170, 188, 206, 209, 257, 286. II. 13, 20, 101, 103, 147, 171, 175, 293.
Oedema. I. 11, 57, 86, 157, 193, 232, 240, 285. II. 32, 153, 162, 234.

Oenomania. I. 282.
Oestromania (Priapismus. Satyriasis. Nymphomania.) I. 157.
Ophthalmalgia. I. 93.
Ophthalmia. (Ophthalmitis.) I. 21, 41, 42, 59, 75, 157, 171, 209, 229, 256, 276. II. 48, 62, 64, 129, 146, 150, 233, 234, 252, 267, 273.
——— asthenica. II. 224, 234, 275, 282.
——— palpebrarum chronica. II. 304.
Opistotonus. I. 207.
Orchiocele. (Testiculi induratio. Hernia humoralis.) I. 107, 138, 209. II. 4, 154, 170, 289.
——— scirrhosa. II. 249.
Ossium et periostei adfectiones. II. 71.
——— exfoliatio. II. 158.
Ostealgia (dolor osteocopus.) I. 103. II. 251.
——— syphilitica. I. 114, 236. II. 200.
Otalgia. I. 34, 206. II. 101, 103.
Otorrhœa. I. 20.
Ozæna. I. 42.

## P.

Panaritium. I. 250.
Pancreatemphraxis. (Obstructio pancreatis.) I. 42, 55, 86, 109, 119, 138. II. 245.
Paralysis. (Resolutio membrorum.) I. 11, 26, 42, 48, 54, 64, 75, 87, 104, 107, 111, 123, 144, 162, 169, 174, 183, 199, 208, 215, 221, 228, 237, 239, 250, 257, 290, 300. II. 15, 20, 22, 24, 26, 37, 42, 52, 56, 79, 104, 119, 128, 131, 162, 168, 178, 225, 241, 296.
——— urocystidis. I. 170.
Paraphonia. (mutatio vocis morbosa.) I. 3, 104, 131.
Paraplegia. I. 40.
Paresis. (Torpor.) I. 43.
Parotis. I. 107.
Partus difficilis. I. 191.
Parulis. (Tumor gingivæ.) I. 127.
Pemphigus. II. 207, 241, 251.
Pernio. I. 71, 107, 138, 157, 220. II. 27, 48, 99, 127, 128, 146, 167, 233.
Pertussis. I. 3, 18, 23, 73, 93, 107, 118, 125, 141, 156, 165, †169, 170, 183, 188, 199. II. 20, 67, 78, 116, 143, 183, 227, 228, 241, 246, 267, 281, 316.
Pestis. I. 8, 18, 53, 65, 82, 92, 145, 188, 191. II. 16, 252.
Petechiæ. I. 92, 276, 291.
Phymosis. II. 233.
Phlegmone. I. 30, 166.
Phrenitis. I. 33, 208. II. 20, 57.
Phthyriasis. I. 34, 188, 292. II. 181, 227.
Phthisis. I. 11, 21, 30, 35, 49, 55, 68, 84, 85, 94, 116, 118, 135, 138, 140, 161, 165, 171, 186, 192, 193, 212, 214, 241, 244, 257, 286, 299. II. 31, 42, 67, 96, 105, 116, 119, 135, 140, 141, 145, 178, 226, 246, 250, 267, 270, 280, 284.
Pleuritis. I. 55, 171. II. 145, 163.
Pneumonitis. (Pneumonia. Inflammatio pectoris.) I. 53, 55, 118, 144, 166, 171, 182, 191, 208, 226, 251, 286. II. 123, 136, 139, 142, 145, 252.
——— asthenica. II. 260.
Podagra. I. 35, 39, 43, 48, 50, 56, 148, 152, 177, 222, 280, 287, 292. II. 20, 31, 38, 78, 116, 136, 163, 177, 188, 241, 249, 253, 300.
Pollutiones. I. 276. II. 86, 270.
Polycholia. I. 278.
Polypi. II. 157.
Porrigo. II. 227, 275.
Profluvium auris fœtidum. I. 244.
Prolapsus. II. 282.

Prosopalgia. (Dolor faciei. Gallice, Tic douloureux.) I. 42, 48, 103, 107, 126, 135, 144. II. 186, 253.
Pseudosyphilis. II. 221, 223, 278.
Psoriasis. (Psora. Scabies.) I. 11, 34, 42, 60, 64, 65, 94, 107, 114, 119, 128, 134, 145, 152, 158, 163, 170, 174, 181, 188, 214, 220, 250, 259, 265, 272, 287, 292. II. 10, 11, 28, 32, 43. 49, 118, 150, 153, 154, 186, 197, 207, 210, 219, 227, 249, 251, 258, 275, 276, 279, 304, 305, 306, 309, 312,
Psorophthalmia. II. 158, 183, 233.
Pterygium. II. 265.
Puerperium. I. 177, 207.
Pustulæ. II. 54.
Pyrosis. (Soda. Ardor ventriculi.) I. 46. II. 16, 46, 243, 245, 133, 192.

## R.

Rabies hydrophoba. (Hydrophobia.) I. 15, 112, 169, 170, 183, 199, 292. II. 5, 12, 26, 113, 246, 251.
Rachitis. I. 20, 39, 40, 42, 46, 64, 94, 109, 140, 150, 212, 232, 234. II. 6, 36, 96, 148, 153, 243, 245, 247, 249, 262, 270, 271, 273, 300.
Ranula. II. 158.
Raphania. II. 246.
Raucedo. (Raucitas. Ravis. Asperitas faucium.) I. 3, 10, 21, 26, 104, 116, 127, 131, 138, 180, 286.
Retentio lochiorum. I. 55.
Rhagades. (Papillarum mammarum excoriatio, fissuræ.) I. 212, 244. II. 35, 183, 210.
Rigiditas articulorum. I. 237. II. 37, 204, 254.
——— musculorum. I. 84. II. 37.
——— tendinum. II. 37.
Risus sardonicus. I. 43, 93, 183. II. 183.
Rubeolæ. I. 92.
Ructus. II. 243.

## S.

Saburra canalis alimentaris. (Sordes gastricæ. Morbi viscerum pituitosi.) I. 44. II. 111, 189, 207, 219, 225, 263.
Sabulum renum. I. 46, 263.
Sarcoma. II. 41.
Scarlatina, et Scarlatina anginosa. I. 7, 75, 101, 156, 170, 248. II. 16, 101, 103, 127, 189, 253, 273.
Scelotyrbe. (Chorea.) I. 42, 59, 87, 93, 156, 290, 293, 300. II. 21, 96, 143, 167, 204, 246, 264.
Scirrhoma. (Scirrhus.) I. 11, 60, 107, 114, 119, 126, 138, 144, 156. II. 6, 41, 49, 178, 186, 300.
Scorbutus. I. 7, 13, 17, 42, 64, 68, 86, 88, 94, 99, 100, 104, 127, 130, 140, 164, 174, 180, 216, 219, 220, 241, 244, 257, 258, 276, 288, 294. II. 11, 13, 16, 17, 23, 43, 56, 73, 96, 118, 145, 160, 178, 197, 207, 229, 237, 266, 284.
Scrofulæ. I. 5, 11, 36, 39, 40, 42, 46, 64, 94, 107, 119, 126, 130, 138, 140, 144, 163, 165, 174, 209, 222, 232, 259, 286. II. 28, 36, 38, 39, 45, 74, 148, 149, 150, 151, 153, 154, 223, 243, 245, 249, 254, 278, 279, 288, 300.
Sialorrhœa. (Ptyalismus.) I. 176. II. 43, 102, 114.
Singultus. I. 44, 182, 207. II. 20, 21, 59, 174, 179, 246.
Sopor. I. 8, 170. II. 27.
Spasmi et morbi spastici. I. 16, 24, 27, 33, 46, 71, 72, 93, 99, 144, 156, 157, 170, 178, 179, 188, 207, 215, 228, 285. II. 6, 12, 15, 20,

59, 161, 167, 168, 173, 174, 179, 241, 272, 291.
Spasmi ventriculi. I. 157. II. 264.
Spasmus mandibulæ inferioris. I. 207.
Sphacelus. I. 7. II. 15, 43, 48, 53, 145, 172, 178.
Spina ventosa. I. 11, 107, 152, 276.
Splanchemphraxis. (Obstructio viscerum.) I. 29, 36, 46, 48, 55, 65, 68, 82, 83, 86, 88, 111, 127, 128, 129, 163, 238, 251, 258, 273. II. 6, 29, 38, 39, 86, 87, 92, 139, 145, 148, 194, 223, 237, 254, 260, 273, 279.
Splenitis. II. 123.
Stagnationes humorum. I. 162. II. 4, 246.
Staphyloma. II. 64, 129, 158, 187.
Stases abdominales. I. 180, 262. II. 271.
Steatoma. II. 154.
Sterilitas. I. 39.
Stomacace. I. 2, 8, 13, 94, 188, 283.
Stomatorrhœa. I. 8.
Stranguria. (Ardor lotii.) I. 3, 74, 103, 131, 199, 299. II. 15, 31, 59, 61, 245, 267, 300.
Strictura urethræ spasmodica. II. 297.
Stupor. II. 52.
Sudores colliquativi. II. 280.
——— nocturni. II. 284.
——— pedum fœtentes. II. 44.
——— phthisicorum. I. 66, 229, 247.
Suffocatio. II. 288.
Suppuratio renum. I. 140.
Susurrus aurium. I. 17.
Syncope. I. 8, 33. II. 7, 27.
Synocha. I. 7, 278. II. 159, 207, 273.
Synochus. II. 16.
——— miliaris. II. 207.
Syphilis. I. 11, 48, 50, 60, 77, 86, 94, 107, 114, 146, 152, 174, 208, 227, 252, 259. II. 5, 10, 72, 113, 118, 185, 201, 257, 261, 279, 310, 312.

## T.

Tabes. I. 66, 82, 84. II. 29, 67.
——— dorsalis. I. 39, 94.
——— pulmonum. I. 176.
Tænia. I. 21, 32, 57, 109, 132, 148, 213, 262, 271. II. 96, 164, 178, 211, 219, 270, 273.
Tendinum subsultus. I. 182.
Tenesmus. I. 3, 8, 10, 24, 30, 68, 94, 166, 191. II. 59, 61.
Tetanus. I. 93, 170, 183, 300. II. 189, 241, 246, 253.
——— traumaticus. II. 204.
Thyremphraxis. (Bronchocele. Struma.) I. 107, 119. II. 6, 45, 83, 128, 148, 154, 218, 254.
Tinea capitis. I. 34, 43, 56, 94, 107, 138, 140, 167, 188, 199, 217, 220, 259, 287, 292. II. 32, 43, 116, 186, 197, 249, 251, 277, 279, 309.
——— squammosa. I. 119.
Tonsillitis. I. 239. II. 7, 101, 103.
Tophi. (Nodi syphilitici. Osteophymata.) I. 107, 141, 152. II. 53, 162, 185, 308.
Tormina. I. 101. II. 180.
Torpor hydropicus. I. 110.
——— melancholicus. I. 110.
Tracheitis. (Cynanche trachealis.) I. 118, 126, 144. II. 116, 241, 252, 260.
Tremor artuum. I. 162.
——— ——— ex abusu hydrargyri. I. 146.
Trismus. I. 43, 144, 170, 183, 290. II. 61, 241, 253.
——— neonatorum. II. 111.
——— traumaticus. I. 207.
Trichiasis. II. 183, 304, 308.
Trichoma. I. 11, 167. II. 277.
Tuberculi. II. 41.
——— pulmonum. II. 150.
Tumor albus. (Tumor genuum.) I. 59, 172, 217, 276. II. 99.

Tumor lienis nevroblaeicus. I. 107.
——— a stagnante lacte. (Tumor mammarum ex lacte. Mammarum durities a turgescente lacte. Lactis coagulum in mammis.) I. 30, 178, 247. II. 146, 247, 249.
Tumores. I. 46.
——— articulorum. II. 31, 49, 50, 146, 151.
——— arthritici. II. 204.
——— asthenici. II. 78, 128.
——— cystici. (Atheroma. Meliceris. Lupia.) I. 138, 250. II. 27, 41, 146, 154, 202.
——— epidydimidis. I. 209.
——— frigidi. I. 34/41, 178, 179, 250. II. 24, 27, 79, 81, 146, 167, 168.
——— glandularum. I. 285. II. 6, 79, 150, 178, 241, 245, 284, 289, 300, 305.
Tumores indurati. I. 11. II. 78, 162.
——— inflammatorii. I. 21.
——— lymphatici. I. 119.
——— scirrhosi et canceratici. I. 237, II. 167, 297.
——— scrofulosi. II. 128.
——— tonsillarum. I. 114, 148. II. 147.
Tussis. I. 3, 18, 21, 23, 25, 29, 55, 70, 73, 74, 85, 102, 116, 125, 127, 131, 138, 145, 151, 164, 166, 175, 192, 193, 207, 212, 217, 226, 236, 244, 248, 252, 253, 285, 286, 299. II. 106, 142, 178, 264, 267, 276.
Tympanitis. I. 23, 125. II. 96, 228.
Typhus. I. 26, 32, 54, 75, 80, 92, 118, 141, 155, 170, 182, 208, 232, 291, 300. II. 4, 6, 10, 11, 15, 20, 21, 26, 27, 75, 119, 136, 189, 208, 251, 263, 297.
——— nervosus. II. 12, 145, 241.

## U.

Ulcera. I. 82, 86, 165, 174, 237, 287. II. 16, 233.
——— aphthosa. II. 5, 133.
——— atonica, (cacoëthea, desperata, flaccida, fœtida, impura, mali moris, putescentia, putidula, rebellia, sordida.) I. 6, 11, 13, 20, 32, 60, 71, 106, 114, 116, 128, 129, 138, 144, 152, 157, 187, 199, 232, 235, 250, 265, 283. II. 5, 32, 43, 48, 49, 53, 80, 98, 127, 128, 130, 157, 162, 178, 181, 186, 203, 206, 210, 229, 230, 236, 265, 275, 298.
——— callosa. II. 5, 162, 182, 186, 202, 231, 246.
——— canceratica. (cancrosa. carcinomatosa.) I. 107, 116, 140, 152, 214. II. 32, 49, 158, 178, 183, 300, 305.
——— faucium atonica. (Oris.) I. 148, 174, 175, 247. II. 101.
Ulcera faucium syphilitica. I. 107. II. 103, 185.
——— fungosa. (spongiosa.) I. 153, 209. II. 5, 182, 186, 246.
——— gangrænosa. I. 13, 157. II. 43, 100, 130, 304.
——— herpetica. (serpiginosa.) I. 116, 126, 147, 167, 263, 265. II. 28, 183, 229, 304, 306.
——— a hydrargyrosi. II. 206. vide Pseudosyphilis.
——— interna. I. 161.
——— intestinorum. (Exulceratio viscerum abdominalium.) I. 36. II. 31.
——— inveterata. I. 35, 43, 172. II. 246.
——— linguæ. II. 103.
——— pedum dolorifica inveterata. I. 164. II. 183, 233.
——— phagedænica. (ichorosa. saniosa.) I. 13, 60, 94, 116, 152. II. 32, 80, 103, 128, 186, 210, 224, 233, 275, 305.

Ulcera pulmonum. II. 85.
——— psorica. II. 304.
——— renum. II. 207, 246.
——— scirrhosa. I. 35.
——— scorbutica. I. 2, 30, 43, 94, 104, 147, 152, 164, 174, 181, 214, 263, 265, 294. II. 5, 43, 128, 158, 210, 275, 304.
——— scrofulosa. I. 13, 94, 126, 214. II. 126, 254. 304.
——— syphilitica. I. 65, 94, 107, 114, 140, 147, 174, 265. II. 5, 28, 157, 158, 182, 203, 206, 232, 246, 249, 251, 254, 306.
Ulcera urocystidis. II. 32, 207, 246.
——— verminosa. I. 60.
Ulcuscula. II. 54.
Urocystidis atonia. I. 241.
Urolythiasis. (Calculi urinarii.) I. 5, 17, 18, 21, 35, 36, 46, 49, 50, 56, 64, 74 83, 116, 127, 131, 135, 206, 218, [illegible], 274. II. 9, 29, 31, 38, 61, 111, 133, 177, 199, 204, 206, 245, 249, 300.
Urinæ impedimenta. II. 6.
Uvulæ laxitas, (prolapsus, prolongatio, relaxatio.) I. 23, 222, 232, 247, 276, 283 II. 101.

## V.

Varicellæ. II. 207.
Varices. I. 17, 265.
Variolæ. I. 7, 18, 82, 92, 156, 170, 171, 183, 214, 276, 291. II. 145, 189, 253, 277.
Verminatio febris epidemicæ. I. 94.
Verrucæ. I. 19, 86, 127, 152, 172. II. 5, 11, 35, 41, 79, 157, 202, 210, 284, 297.
Vertigo. I. 81, 125, 144, 162, 221, 222, 229, 239, 257. II. 240.
Veternus. I. 92.
Vomituritiones. I. 46.
Vomitus. I. 101, 170, 179, 207, 222, II. 20, 43, 104, 174, 175 243.
——— chronicus. (habitualis.) I. 105. II. 35, 41.
——— inconsuetus. I. 44.
——— pertinax. I. 35, 41.
——— porraceus. I. 14.
——— puerperarum. I. 27.
——— spasmodicus. I. 78.
Vulnera. (lacerationes.) I. 133, 153, 191, 208, 220. II. 40, 50, 80, 98, 146, 232, 233.

## Z.

Zona. II. 241.

## *Antidota.*

Antidota contra Barytam. I. 271. II. 273.
——— ——— Cuprum. I. 113, 245. II. 277, 278, 284.
——— ——— Daphne Mezereum. I. 115.
——— ——— Opium. I. 209. II. 284.
——— ——— Oxydum Arsenici album. I. 215, 265. II. 43, 46, 116, 245, 249, 277, 279, 284.
——— ——— ——— Plumbi. I. 157, 215, 224, 271. II. 116, 245, 273, 277, 279.
Antidota contra Oxymuriatem Hydrargyri. I. 212. II. 43, 249, 277.
——— ——— Prussicum acidum. II. 242.
——— ——— Salia Hydrargyri. II. 245.
——— ——— Sulphatem Zinci. II. 275.
——— ——— venena acida. II. 245.
——— ——— ——— acria. I. 68, 191.
——— ——— ——— metallica. I. 48.
——— ——— ——— narcotica. I. 8. II. 5, 275.

## *Criteria.*

Criterium Arsenici. I. 272. II. 35.
——— Cupri. II. 35.
Criterium Plumbi. I. 301. II. 16, 35.
——— Stibii. II. 35.

I.

| Pag. | Lin. | Errata. | Legendum. |
|---|---|---|---|
| XV. | 16. | [illegible]/5 | [illegible]/6 |
| 7. | 35. | omenti | fomenti. |
| 15. | 6. | Попутникъ водяной; | Попутникъ; Воданой |
| 16. | 17. | concentritis | concentricis |
| 23. | 34. | confectum | confecto |
| 38. | 31. | sciptorii | scriptorii |
| 54. | 11. | fficaciores | efficaciores |
| 65. | 23. | preventus | proventus |
| 71. | 10. | obscænas | obscœnas |
| — | 13. | spasinos | spasmos |
| 79. | 26. | frigide | frigidæ |
| 82. | 19. | succesu | successu |
| 84. | 1. | bussimo | bissimo |
| 87. | 32. | electurii | electuarii |
| 88. | 27. | quiqua | quinqua- |
| 114. | 13. | instrinsecus | intrinsecus |
| 138. | 25. | hydarthro, | hydrarthro, |
| 143. | 27. | in primit. | imprimit. |
| 144. | 11. | siccut | sicut |
| 153. | 2. | consisorum | concisorum |
| 169. | 1. | hæece | hæcce |
| 175. | 26. | xperientiam. | experientiam. |
| 196. | 18. | Arsenci | Arsenici |
| 201. | 1. | Arsenitis | Arsenitis |
| — | 2. | Aicenici | Arsenici |
| — | 4. | Arsenici, albo | Arsenici albo, |
| 202. | 33. | Arseni. | Arsenici |
| 203. | 5. | Bosrock) | Bostock) |
| 204. | 24. | cteus | lacteus |
| 209. | 14. | secudum | secundum |
| 221. | 20. | stomachia; | stomachica; |
| 222. | 27. | in pimit, | imprimit, |
| 231. | 33. | borleaiibus | borealibus |
| 232. | 17. | ci- | cy- |
| 251. | 5. | ablonga, | oblonga, |
| 252. | 16. | Triciti. | Tritici |
| 296. | 16. | petitur. | potitur. |

II.

| Pag. | Lin. | Errata. | Legendum. |
|---|---|---|---|
| 5. | 4. | externns | externus |
| 8. | 17. | кислошая | кислота |
| 11. | 19. | partem | partes |

| *Pag.* | *Leg.* | *Errata.* | *Legendum.* |
| --- | --- | --- | --- |
| 13. | 15. | succesu | successu |
| 39. | 3. | Corbonatis | Carbonatis |
| 43. | 1. | im | in |
| 46. | 11. | porhyritem | porphyritem |
| 61. | 11. | Alli | Allii |
| 62. | 11. | obnormi | abnormi |
| 67. | 24. | tantumdem, | tantumdem, vel |
| 84. | 27. | hœæ, | rhœæ, |
| 99. | 7. | bavilla | bovilla |
| 109. | 30. | illico, dum effervescit, porrigenda est. | illico, porrigenda est. |
| 147. | 24. | exractorum | extractorum |
| 170. | 26. | et. | etc. |
| 185. | 24. | parallelipedis | parallelipipedis |
| 188. | 4. | Qnodsi | Quodsi |
| 190. | 18. | Сабуро-Гутоповыя. | Сабуро-Гуттовыя. |
| 200. | 9. | Tartraris | Tartratis |
| 209. | 10. | abmovetur. | admovetur. |
| 215. | 30. | qnod | quod |
| 218. | 17. | lateæ | luteæ |
| — | 20. | dauso | clauso |
| — | 31. | jujuslibet | cujuslibet |
| 219. | 7. | Sulphurcti | Sulphureti |
| 220. | 1. | duo. | duo, |
| — | 7. | possuut. | possunt. |
| 221. | 6. | clarifIca | clarifica |
| 223. | 2. | (chronica | chronica ( |
| — | 26. | aliisqne | aliisque |
| — | 27. | Sapo. Stibiatus | Sapo stibiatus |
| 225. | 1. | Potasæ | Potassæ |
| 229. | 5. | Potassac | Potassæ |
| 240. | 24. | Aleohole | Alcohole |
| 241. | 29. | dedicimus | didicimus |
| 245. | 18. | grandularum | glandularum |
| 251. | 17. | ant | aut |
| — | 18. | ventricuti | ventriculi |
| 254. | 24. | exitandum | excitandum |
| 255. | 7. | prævertende | prævertendæ |
| — | 23. | Injeetio | Injectio |
| 256. | 17. | ab | ad |
| 260. | 1. | maio- | majo- |
| — | 2. | ucida | acida |
| 270. | 7. | pollutionibis | pollutionibus |
| 271. | 2. | sulhuricum | sulphuricum |
| 273. | 26. | ex | et |

| Pag. | Lin. | Errata. | Legendum. |
|---|---|---|---|
| 274. | 27. | tubi | ubi |
| — | 28. | ibus | tibus |
| 277. | 14. | pullullantium. | pullulantium |
| — | 17. | obſtructione | obstructione |
| 280. | 18. | Et | Est |
| 283. | 10. | lixuriosam | luxuriosam |
| 286. | 13. | consistentium | consistentiam |

d/- new